BULLARIUM

ROMANUM

AM

BULLARUM

DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM

SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM

TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

TOMUS XVI

ALEXANDER VII (ab an. MDCLV ad ann. MDCLXII).

AUGUSTAE TAURINORUM

A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS

SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM

M DCCC LXIX.

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Alexandri VII et Clementis IX Summorum Pontificum constitutiones tribus voluminibus digessit Carolus Cocquelines editionis Mainardianae curator; nos duobus editionis nostrae tomis quotquot ille evulgavit complectemur. Quorum primum (totius Operis XVI), octuaginta quinque supra tercentas Alexandri VII Bullas septem prioribus sui pontificatus annis emanatas continentem, en tibi, Lector benigne, ex officina nostra recens excusum exhibemus, mox et alterum magna iam parte concinnatum edituri, quo Bullarium Cherubinianum, ad viginti usque volumina per Cocquelinium adauctum, ultimo exactum erit.

Quantum et in hoc volumine adornando impendimus curarum et laboris testatum abunde facient tum proxime adiectus catalogus octingentarum et amplius quas voluminibus romanis quae huic nostro correspondent adhibuimus emendationum, tum indices copiosissimi et creberrimae ad inferiorem paginarum marginem adnotationes.

Ast de opere nostro satis. Cunctis populis christianis laetitia gestientibus quod pater omnium amantissimus itemque omnibus dilectissimus Pius IX Pontifex Maximus ante annos L sacerdotio initiatus quinquagesimum anniversarium sacrum III idus aprilis instauraturus est, et nos adiungimur, ad perennemque rei memoriam volumen istud sub eodem faustissimo die evulgamus.

Utinam brevi et ad Acta tanti Pontificis edenda perveniamus, quorum exemplar absolutissimum ad finem usque anni MDCCCLIV Ipse iam ab initio huius nostrae editionis insigni nobis liberalitate donavit.

Augustae Taurinorum, III idus aprilis MDCCCLXIX.

A. Vecco et Socii.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. XVI.			Edit. Rom. Tom. VI, part. IV et V.
		ALEXANDER VII.	
1655	I	Aliàs a venerabilibus	1
»	II	Unigenitus Dei filius....	2
»	III	Aliàs, cum ad aures	3
»	IV	Exponi nobis nuper fecit	4
»	V	Exponi nobis nuper fecit	5
»	VI	Romanus Pontifex, gregis	6
»	VII	Nuper tuo et dilectorum	7
»	VIII	Decet Romanum Pontif..	8
»	IX	Cum tu felicis recordat..	9
»	X	Ex Romani Pontificis....	10
»	XI	Pervenit ad aures nostras	11
»	XII	Conscientiae securitati...	12
»	XIII	Sacrosanctum apostolatus	13
»	XIV	Exponi nobis nuper facer.	14
»	XV	Exponi nobis nuper fecit	15
»	XVI	Nuper pro parte dilector.	16
»	XVII	Emanavit nuper a vener.	17
»	XVIII	Aliàs emanarunt a felicis	18
»	XIX	Primitive illa Ecclesia...	19
»	XX	Emanavit nuper a congr.	20
»	XXI	Posito decreto felicis....	21
»	XXII	Nuper pro parte dilector.	22
»	XXIII	Nuper pro parte dilector.	23
»	XXIV	Cum, sicut accepimus...	24
»	XXV	Ex Romani Pontificis....	25
»	XXVI	Piis christifidelium votis.	26
»	XXVII	Nuper pro parte dilecti..	27
»	XXVIII	Cupientes, ut in monast.	28
»	XXIX	Exponi nobis nuper fecer.	29
»	XXX	Circumspecta Rom. Pont.	30
»	XXXI	Superni dispositione.....	31
»	XXXII	Aliàs emanavit a felicis.	32
»	XXXIII	Exponi nobis nuper fecer.	33
»	XXXIV	Exponi nobis nuper fecer.	49
»	XXXV	Exponi nobis nuper fecer.	34
»	XXXVI	Exponi nobis nuper fecit.	35
»	XXXVII	Ex commissâ nobis a....	36

Edit. Taur. Tom. XVI.			Edit. Rom. Tom. VI, part. IV et V.
1655	XXXVIII	Decet Romanum Pontific.	37
»	XXXIX	Cum, sicut accepimus...	38
»	XL	Cum, sicut venerabilis...	39
»	XLI	Tuae in nos et Apostolicam	40
»	XLII	Cum, sicut non sine.....	41
»	XLIII	Nuper tuo et dilectorum.	42
»	XLIV	Exponi nobis nuper fecit	43
»	XLV	Grata familiaritatis......	44
»	XLVI	Exponi nobis nuper fecit	45
»	XLVII	Creditam nobis divinitus.	46
»	XLVIII	Nuper, certis ex causis..	47
»	XLIX	Spectata vestra in rebus.	48
»	L	Ut quacumque opportunâ	50
»	LI	Singularis dilectorum....	51
»	LII	In eminenti Sedis.......	52
»	LIII	Inter gravissimas multipl.	53
»	LIV	Cum carissime in Christo	54
»	LV	Exponi nobis nuper fecit	55
»	LVI	Pro pastoralis officii.....	56
»	LVII	Romanum decet Pontific.	57
»	LVIII	Cum, sicut accepimus...	58
»	LIX	Singularis maiestatis tuae	59
»	LX	Spirituali consolatione...	60
»	LXI	Eximia maiestatis tuae..	61
»	LXII	Cum, sicut accepimus...	62
1656	LXIII	Ut carissime in Christo..	63
»	LXIV	Eximia maiestatis tuae...	64
»	LXV	Singularis maiestatis tuae	65
»	LXVI	Commissum nobis Eccl..	66
»	LXVII	Quanto maiori animi....	67
»	LXVIII	Quoniam in prosequendo	77
»	LXIX	Cum, pro componendis..	68
»	LXX	Cum, sicut non sine....	69
»	LXXI	Cum nos dilectum filium	89
»	LXXII	Cum in pastorali visitat..	70
»	LXXIII	Rarum, quae nobis cordi.	71
»	LXXIV	De singulari tuâ fide et.	72
»	LXXV	Dudum felicis recordat...	73
»	LXXVI	Innotuit nuper nobis....	74
»	LXXVII	Cum, sicut non sine....	88

ERRATA-CORRIGE.

Pag. 203 *b*	num.	CXXXVIII	*Lege*	CXXVIII
» 211 *a*	»	CXXXIX	—	CXXIX
» 311 *a*	»	CXXVII	—	CLXXVII
» 430 *a*	»	CCXXXIX	—	CCXXIX

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO XVI

EXTRA ORDINEM CHRONOLOOICUM VAOANTUR.

1 Vel 1316, etenim edit. Main. habet pontif. anno III.
2 Vel 1342, etenim eadem edit. ponit pontif. anno II.
3 Vel 1400, etenim edit. Main. habet pontif. anno XI.

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* IV.				*Edit. Taur. Tom.* XVI.			
Pag.	2 *b*	linea 6	Vicarium	*Pag.*	2 *b*	lineа 10 *ult.*	vicariam
»	2 *b*	» 22	praetermittimus	»	3 *a*	» 8	praetermittamus
»	2 *b*	» 23	principales	»	3 *a*	» 9	principes
»	2 *b*	» 32	his, non sunt	»	3 *a*	» 18	his, qui non sunt
»	2 *b*	» 21 *ult.*	et	»	3 *a*	» 8 *ult.*	ut
»	2 *b*	» 12 *ult.*	et ac	»	3 *b*	» 7	et
»	3 *b*	» 19	valeant	»	4 *b*	» 18	valeat
»	8 *a*	» 18 *ult.*	fuerit	»	8 *b*	» 4 *ult.*	fuerint
»	7 *a*	» 13	ad	»	10 *a*	» 4	ob
»	7 *a*	» 33	et	»	10 *a*	» 14 *ult.*	et sigillo
»	7 *a*	» 19 *ult.*	1655	»	10 *a*	» 3 *ult.*	1656
»	7 *a*	» 11 *ult.*	1654	»	10 *b*	» 6	1657
»	7 *a*	» 6 *ult.*	1655 anno I.	»	10 *b*	» 12	1656 anno II.
»	8 *a*	» 6	terris	»	11 *b*	» 4	tenus
»	9 *b*	» 32 *ult.*	exorta	»	14 *a*	» 21 *ult.*	exortae
»	9 *b*	» 31 *ult.*	inopia	»	14 *a*	» 20 *ult.*	inopiae
»	9 *b*	» 4 *ult.*	summa	»	14 *b*	» 9	summae
»	9 *b*	» 2 *ult.*	emendis	»	14 *b*	» 11	et emendis
»	10 *a*	» 5	exacta	»	14 *b*	» 17	exactae
»	10 *a*	» 17 *ult.*	octingentorum	»	15 *a*	» 19 *ult.*	octingentarum
»	10 *b*	» 19	octingentorum	»	15 *b*	» 18	octingentarum
»	11 *a*	» 3	fuere	»	17 *a*	» 2	fuerit
»	11 *b*	» 18	ut quae	»	17 *a*	» 20 *ult.*	atque
»	11 *b*	» 22 *ult.*	presse	»	17 *b*	» 14	pressé
»	13 *a*	» 13	itidem	»	19 *b*	» 9	ibidem
»	14 *b*	» 1	itaque nuper	»	21 *b*	» 21 *ult.*	itaque, dum nuper
»	14 *b*	» 24 *ult.*	eorumdem	»	22 *a*	» 23	earumdem
»	15 *b*	» 14 *ult.*	intervenirent	»	23 *b*	» 10 *ult.*	intervenient
»	17 *a*	» 23 *ult.*	pro	»	26 *a*	» 5	quo
»	18 *b*	» 16	peragentur	»	28 *a*	» 8	peragantur
»	18 *b*	» 24 *ult.*	absolutum	»	28 *a*	» 7 *ult.*	absolutos
»	19 *a*	» 17 *ult.*	recipien.	»	29 *a*	» 17 *ult.*	recipere
»	19 *a*	» 8 *ult.*	regno	»	22 *a*	» 7 *ult.*	regni

Edit. Rom. Main. Tom. vi, Part. iv.					Edit. Taur. Tom. xvi.				
Pag.	19 *b*	linea	9	absolvendum	Pag.	29 *b*	linea	19	absolventes
»	21 *a*	»	17-18	abbas generalis	»	30 *a*	»	3 *ult.*	abbas et procurator generalis
»	21 *a*	»	7 *ult.*	onere	»	30 *b*	»	2 *ult.*	honore
»	21 *a*	»	3 *ult.*	a nonnisi	»	31 *a*	»	3	a qua nonnisi
»	21 *b*	»	24 *ult.*	si super	»	31 *b*	»	3	si secus super
»	22 *a*	»	6	oportet	»	31 *b*	»	5 *ult.*	oporteret
»	22 *b*	»	6	porrexerunt	»	32 *b*	»	19	porrexerint
»	22 *b*	»	27	locis clero	»	32 *b*	»	4 *ult.*	locis a clero
»	22 *b*	»	7 *ult.*	praedictis, de his	»	33 *a*	»	11 *ult.*	praedictis percipi solita, percipere, ac in his
»	23 *a*	»	7	unà	»	33 *b*	»	3	uno
»	23 *a*	»	25 *ult.*	suffraganeum	»	33 *b*	»	2 *ult.*	suffraganeam
»	24 *a*	»	12	quamquam	»	35 *a*	»	12	quandoque
»	24 *a*	»	14	vanis	»	35 *a*	»	14	variis
»	24 *b*	»	34 *ult.*	omnimode	»	36 *a*	»	14	omnimodae
»	24 *b*	»	30 *ult.*	iurisdictionis	»	36 *a*	»	18	iurisdictioni
»	25 *b*	»	19	assignent	»	37 *a*	»	1 *ult.*	assignet
»	26 *a*	»	32 *ult.*	litis	»	38 *b*	»	1	litium
»	27 *b*	»	18 *ult.*	conciliis	»	40 *a*	»	19 *ult.*	concilii
»	28 *a*	»	19 *ult.*	elargiuntur	»	41 *a*	»	17	elargientur
»	28 *a*	»	4 *ult.*	seu minus	»	41 *a*	»	23	sin minus
»	28 *b*	»	6	expedienda	»	41 *a*	»	19 *ult.*	expendenda
»	28 *b*	»	18	vel proprios	»	41 *b*	»	2	vel in proprios
»	28 *b*	»	27	omissionis	»	41 *b*	»	12	amissionis
»	28 *b*	»	31	officiis	»	41 *b*	»	15	officii
»	29 *a*	»	35 *ult.*	nuncupatus	»	42 *b*	»	1	nuncupatorum
»	29 *a*	»	34 *ult.*	praedicator generalis . .	»	42 *b*	»	2	praedicator
»	29 *b*	»	6 *ult.*	et ea	»	43 *b*	»	7	ut ea
»	30 *b*	»	12 *ult.*	regularique	»	45 *a*	»	5	regularisque
»	31 *a*	»	15 *ult.*	quae	»	45 *b*	»	16 *ult.*	qua
»	31 *b*	»	28	ceterisque	»	48 *a*	»	13 *ult.*	ceterique
»	34 *b*	»	25	supplicationibus	»	48 *b*	»	9 *ult.*	appellationibus
»	35 *b*	»	31	homicidi	»	50 *b*	»	1	homicidii
»	36 *a*	»	20	cessare	»	51 *a*	»	15	cassare
»	36 *a*	»	21	cessatas	»	51 *a*	»	16	cassatae
»	38 *a*	»	3 *ult.*	in omnibus	»	54 *b*	»	14 *ult.*	omnia in eis
»	39 *a*	»	3	hospitalibus	»	55 *b*	»	20	hospitali
»	40 *b*	»	16 *ult.*	illarum	»	58 *b*	»	6	illatum
»	40 *b*	»	8 *ult.*	ceterisque	»	58 *b*	»	16	ceterique
»	42 *a*	»	34	observatam	»	60 *b*	»	16	obseratam
»	42 *b*	»	6	observetur	»	61 *a*	»	17	observentur
»	59 *a*	»	12	Congregationi	»	63 *b*	»	9 *ult.*	Congregationis
»	59 *a*	»	33	Nativitate	»	64 *a*	»	17	Nativitatis
»	59 *b*	»	10	iniuncta	»	64 *b*	»	19	iniunctis
»	59 *b*	»	25 *ult.*	ex	»	65 *a*	»	4	seu (?)
»	44 *a*	»	18 *ult.*	arctivis	»	65 *b*	»	19	arctius
»	44 *b*	»	31 *ult.*	*eas*	»	66 *a*	»	9 *ult.*	*tres*
»	45 *a*	»	6	paritatibus	»	66 *b*	»	12	paritatis
»	45 *a*	»	16	praemissaque	»	66 *b*	»	2 *ult.*	praemissaque dispositio
»	45 *a*	»	35	absolvendum	»	67 *a*	»	16	absolventes
»	45 *a*	»	11 *ult.*	nostri	»	67 *a*	»	3 *ult.*	nostro
»	46 *a*	»	7	acceptat	»	68 *a*	»	5 *ult.*	acceptet
»	46 *b*	»	11 *ult.*	concordiam	»	69 *b*	»	19	concordiae
»	46 *b*	»	8 *ult.*	tenoris	»	69 *b*	»	22	tenores
»	47 *a*	»	33	seminariis	»	70 *a*	»	20	seminaristis
»	47 *a*	»	24 *ult.*	faciendis	»	70 *a*	»	9 *ult.*	faciendis donandorum
»	49 *a*	»	16 *ult.*	expressis	»	73 *b*	»	1	expressa

	Edit. Rom. Main. Tom. vi, Part. iv.					Edit. Taur. Tom. xvi.			
Pag.	49 b	linea	22 ult.	ut terrarum	Pag.	74 a	linea	16	ut, si terrarum
»	50 b	»	20	committimus et mandamus	»	75 b	»	8	commisimus et mandavimus
»	50 b	»	28	decernentes	»	75 b	»	18	decerneus
»	51 a	»	29 ult.	arctivis	»	76 a	»	4 ult.	arctius
»	53 a	»	2	locorum	»	79 a	»	8	per locorum
»	53 a	»	18 ult.	necnon	»	79 a	»	14	non tamen (!)
»	53 b	»	25	illorum	»	80 a	»	12	illarum
»	53 b	»	38	illorum	»	80 a	»	25	illarum
»	53 b	»	25 ult.	expectantibus	»	80 a	»	10 ult.	expectantibus clericis
»	54 a	»	8 ult.	funeribus	»	81 a	»	11 ult.	funebribus
»	55 a	»	7	cetero	»	82 a	»	18 ult.	certo
»	55 b	»	24 ult.	et sintque	»	83 b	»	3	sintque
»	57 a	»	13	fore	»	85 a	»	5 ult.	foro
»	58 a	»	28 ult.	admittet	»	87 a	»	14 ult.	admittant
»	58 b	»	19 ult.	singulari	»	88 a	»	14	singularis
»	60 b	»	33	fructibus	»	89 a	»	11 ult.	super fructibus
»	60 b	»	19 ult.	praedictis	»	89 b	»	14	praedicti
»	62 a	»	2 ult.	praesentiam	»	92 a	»	9	praesentiâ
»	63 a	»	4 ult.	minus	»	93 b	»	7	munus
»	63 b	»	7	provincialium	»	93 b	»	17	provinciarum
»	63 b	»	27	et	»	93 b	»	4 ult.	ex
»	63 b	»	13 ult.	illius	»	94 a	»	18 ult.	ac illius
»	64 a	»	32	sive	»	94 b	»	12 ult.	sine
»	64 b	»	20	statum	»	95 a	»	3 ult.	statui
»	64 b	»	25	collegiarum	»	95 b	»	3	collegarum
»	64 b	»	6 ult.	Vallonos	»	95 b	»	2 ult.	Vallones
»	65 a	»	18	Valloni	»	96 a	»	22	Vallones
»	65 a	»	34	quam	»	96 a	»	6 ult.	quum
»	65 a	»	40	perpetuum	»	96 b	»	1	in perpetuum
»	65 b	»	23 ult.	Dilecte fili	»	97 a	»	19	Dilecti filii
»	67 b	»	14 ult.	et	»	100 a	»	7 ult.	maioris
»	67 b	»	6 ult.	suppressionem eiusdem	»	100 b	»	3	suppressionem et eiusdem
»	68 a	»	30 ult.	eiusdem	»	101 a	»	4	eisdem
»	70 a	»	31	redacta	»	104 a	»	4	redactae
»	71 b	»	24 ult.	maiestatis	»	106 a	»	4 ult.	maiestati
»	72 a	»	4	obiectu	»	106 b	»	5 ult.	obtuto (?)
»	72 a	»	18	petiit	»	107 b	»	21	periit
»	72 a	»	19	annuere	»	107 b	»	22	annuente
»	72 a	»	24	ordinis	»	107 b	»	28	ordinum
»	72 b	»	5 ult.	reservamus	»	108 a	»	18 ult.	reseramus
»	73 a	»	16	1655	»	108 b	»	4	1656
»	64 a	»	23 ult.	deligemus	»	109 b	»	10 ult.	delegimus
»	84 b	»	1-2	in vos	»	110 a	»	15	in eas vos
»	84 b	»	2	sive	»	110 a	»	16	sine
»	74 b	»	23	quacumque	»	112 a	»	10	quamcumque
»	91 b	»	27	reddito	»	118 a	»	11	reditu
»	98 b	»	3	stipendiis	»	118 b	»	5	stipendio
»	76 b	»	5	elementis, grammatica	»	118 b	»	7	elementis grammaticae
»	78 b	»	19	acquiescere	»	118 b	»	21	acquirere
»	79 a	»	17	ministrorum	»	119 b	»	6	ministrum
»	72 a	»	28	ecclesiae	»	119 b	»	17	ecclesiâ
»	79 b	»	22	institute	»	120 a	»	4 ult.	iuramento
»	80 a	»	26	eorum	»	121 a	»	17 ult.	coram
»	80 b	»	2	quas	»	121 b	»	18 ult.	qua
»	80 b	»	22	initi	»	122 b	»	4	inviti
»	80 b	»	36	praesentia ... constitutionis	»	122 a	»	16	praesenti ... constitutioni

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.					Edit. Taur. Tom. XVI.				
Pag.	80 b	linea	24 ult.	ex	Pag.	122 a	linea	15 ult.	et
»	81 b	»	32 ult.	suas	»	123 b	»	20 ult.	tuas
»	81 b	»	18 ult.	sicque	»	122 b	»	8 ult.	siqus
»	90 b	»	8 ult.	opera	»	123 b	»	8	curá
»	90 b	»	5 ult.	restituti	»	123 b	»	9	restitui
»	83 a	»	13	ipsaemet	»	126 b	»	1	ipsasmet
»	83 a	»	34	accedeodum	»	128 b	»	22	accendendum
»	83 b	»	13	attributa	»	129 a	»	4 ult.	attributae
»	86 b	»	5 ult.	episcopi	»	131 b	»	18 ult.	episcopus
»	89 b	»	20	seniora	»	132 b	»	8 ult.	saniora
»	88 b	»	9 ult.	palantes	»	135 b	»	8	balaetes
»	90 a	»	21 ult.	Pertulit hinc	»	136 b	»	1 ult.	Perculit hic
»	90 b	»	1	excepturum	»	137 a	»	21	exceptum iri
»	92 a	»	7	turbate	»	137 b	»	16	turbatae
»	93 b	»	23	37	»	140 a	»	21	27
»	93 b	»	19 ult.	easdem	»	140 b	»	4	easdem
»	94 a	»	9	validas	»	140 b	»	12 ult.	valida
»	94 a	»	5 ult.	absolutos	»	141 a	»	1 ult.	absolutas
»	94 b	»	18	suspensis	»	141 b	»	14	suspensi
»	94 b	»	16	ad	»	141 b	»	20	ac
»	95 a	»	5	futurae	»	142 a	»	11 ult.	ut futuro
»	95 a	»	23 ult.	et ab	»	142 b	»	12 ult.	ab
»	95 b	»	31 ult.	in christianae	»	143 b	»	6	christianae
»	96 a	»	34	spoliat	»	144 a	»	17 ult.	spoliant
»	96 b	»	30	illorumve	»	145 a	»	4	illarumve
»	96 b	»	39	eis	»	145 a	»	13	eos
»	96 b	»	41	per statutum	»	145 a	»	15	per statutum vel aliàs compellunt
»	97 b	»	19	ad personas	»	146 b	»	2	quique licentiam huiusmodi ad personas
»	97 b	»	13	expresso	»	146 b	»	3	expressos
»	98 a	»	12	alioui	»	147 a	»	19 ult.	aliqui
»	98 b	»	24	ut	»	148 a	»	20	et
»	98 b	»	36	ut	»	148 a	»	12 ult.	et
»	99 a	»	6	anno I.	»	148 b	»	13 ult.	anno II.
»	100 a	»	17	quo	»	150 a	»	3 ult.	pro
»	100 a	»	27	destituatur	»	150 b	»	8	destituantur
»	101 a	»	20	observantia	»	152 a	»	12	observantiae
»	101 a	»	21	ex illo more	»	152 a	»	13	ex illâ more
»	101 a	»	10 ult.	usus, opera	»	152 b	»	8	usus et opera
»	101 b	»	35	conseoserit	»	153 a	»	6	consenseriat
»	102 b	»	23	monasterium	»	154 b	»	12	monasteria
»	104 a	»	1	12	»	156 b	»	13	29
»	105 a	»	32	interpellationes	»	157 a	»	16	ioterpretationes
»	106 a	»	25	separatos	»	158 b	»	17	speratos
»	106 b	»	21 ult.	tenore	»	159 b	»	19 ult.	et tenore
»	106 b	»	20 ult.	Porroxenia	»	159 b	»	17 ult.	Porro xenie
»	107 b	»	12 ult.	(*ad marg.*) 6	»	161 a	»	1 ult.	2
»	108 a	»	7	illi facta	»	161 b	»	17	illibate
»	109 a	»	10	eiusdem	»	163 a	»	21 ult.	eisdem
»	109 b	»	31	praetensum	»	164 a	»	17 ult.	et praetensum
»	110 a	»	27	innodatus existit	»	165 a	»	1	innodatae existunt
»	111 b	»	16	nos, qui eiusdem	»	167 a	»	18	nos eiusdem
»	113 b	»	29 ult.	eiusdem	»	168 b	»	6	eisdem
»	113 b	»	3 ult.	superna ... concilii	»	170 b	»	16	superni .... consilii
»	114 a	»	24	mensas	»	171 a	»	12	mensam
»	114 a	»	3 ult.	sollicitatum	»	171 b	»	11	solitarum
»	118 b	»	18	legis	»	173 b	»	1	legibus

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.		*Edit. Taur. Tom. XVI.*	
Pag. 115 *b* lineа 15 *ult.*	existentibus	*Pag.* 173 *b* linea 15 *ult.*	existeati
» 115 *b* » 5 *ult.*	obstringat	» 173 *b* » 5 *ult.*	obstriugant
» 116 *b* » 10 *ult.*	quoque	» 177 *a* » 11 *ult.*	qnodque
» 117 *a* » 7	fratri	» 177 *b* » 6	frater
» 117 *a* » 25	sex	» 177 *b* » 16 *ult.*	sese
» 116 *b* » 2 (*marg.*)	maii	» 179 *b* » 12 *ult.*	iunii
» 118 *b* » 27 *ult.*	mandaverant	» 180 *a* » 23	mandaverat
» 119 *a* » 5	monasteriis	» 180 *b* » 9	monasterii
» 119 *a* » 26	Ordinum	» 180 *b* » 12 *ult.*	Ordinis
» 119 *a* » 27	monasteriis	» 180 *b* » 11 *ult.*	monasterii
» 119 *b* » 33	praetensis	» 181 *b* » 20	praesentis
» 120 *a* » 15	cum	» 182 *a* » 19 *ult.*	aum
» 121 *b* » 11	providere	» 184 *b* » 11	provideri
» 122 *a* » 2 *ult.*	Beatissimus	» 186 *a* » 11	Beatissime
» 122 *b* » 31 *ult.*	subigendum	» 186 *b* » 9	subigendo
» 123 - 124	convocatis partibus	» 188 *b* » 2	convocatis coram procuratore generali partibus
» 125 *a* » 8 *ult.*	praevideremus	» 190 *b* » 11 *ult.*	provideremus
» 125 *a* » 4 *ult.*	per tot annos	» 190 *b* » 8 *ult.*	per tot eanos vigentium
» 125 *b* » 6	quibus	» 191 *a* » 3	quo
» 125 *b* » 11	dictamque	» 191 *a* » 8	dictam
» 125 *b* » 16	in omnibus	» 191 *a* » 14	eamque in omnibus
» 125 *b* » 18	iacent	» 191 *a* » 15	iacet
» 125 *b* » 22	in	» 191 *a* » 19	de
» 126 *b* » 17 *ult.*	discernat	» 193 *a* » 16	decernat
» 126 *b* » 6 *ult.*	et omnium	» 193 *a* » 17 *ult.*	et privationis omnium
» 127 *b* » 25 *ult.*	commoneant	» 194 *b* » 11	commoveant
» 128 *a* » 33 *ult.*	confessis	» 195 *a* » 13 *ult.*	confessi
» 130 *b* » 28	facta	» 199 *a* » 7	factae
» 131 *b* » 19 *ult.*	eapropterea	» 200 *b* » 7 *ult.*	eapropter
» 131 *b* » 12 *ult.*	quae	» 200 *b* » 1 *ult.*	quae pro
» 131 *b* » 12 *ult.*	defunctorum	» 200 *b* » 1 *ult.*	defuncturorum
» 132 *a* » 14	vim	» 201 *a* » 18 *ult.*	vi
» 133 *b* » 9	interfecerunt	» 203 *a* » 3 *ult.*	interfecerint
» 152 *a* » 17	ac eosdem	» 204 *a* » 14	eosdem
» 152 *b* » 35	quicumque	» 205 *a* » 8	quique
» 153 *a* » 28 *ult.*	alios	» 205 *b* » 3 *ult.*	alio
» 153 *a* » 15 *ult.*	ac clericali	» 206 *a* » 11	ut clericali
» 153 *b* » 21	potuerunt	» 206 *a* » 2	poterunt
» 153 *b* » 16 *ult.*	aliis	» 206 *b* » 10 *ult.*	aliàs
» 153 *b* » 6 *ult.*	ipsiusque	» 207 *a* » 2	ipsique
» 154 *a* » 3	obtinuerit, illius effectu	» 207 *a* » 10	obtinuerit, tam vigore etc. sed illius effectu
» 154 *a* » 27	pensionum ad praedictam	» 207 *a* » 2 *ult.*	pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam
» 154 *a* » 30	tantum	» 207 *b* » 3	tamen
» 156 *b* » 32 *ult.*	ipsosque	» 209 *b* » 9	ipsos
» 158 *a* » 11	etiam	» 213 *b* » 12	et
» 158 *a* » 13	reservatis	» 213 *b* » 14	reservatas
» 158 *a* » 12 *ult.*	dispensatione	» 214 *a* » 16	dispositione
» 158 *b* » 32 *ult.*	uti	» 214 *b* » 19 *ult.*	ubi
» 159 *a* » 9	cessare	» 215 *a* » 17 *ult.*	cassare
» 159 *a* » 22	aliàs tamen pensionibus capacibus	» 215 *a* » 4 *ult.*	aliàs tamen pensionum huiusmodi capacibus
» 159 *a* » 11 *ult.*	cum eisdem	» 215 *b* » 8 *ult.*	eisdem
» 159 *b* » 12 *ult.*	conficiendum	» 216 *b* » 17	conficiendas

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.				*Edit. Taur. Tom. XVI.*			
Pag. 160 *a*	linea 12		esse censeri	*Pag.* 216 *b*	linea 5	*ult.*	esse et censeri
» 161 *a*	» 22		motu	» 218 *b*	» 9		motus
» 133 *b*	» 5	*ult.*	fastidin	» 222 *b*	» 16		fastigio
» 134 *a*	» 18		praemittitur	» 223 *a*	» 1		premitur
» 135 *a*	» 5	*ult.*	legitimae	» 225 *a*	» 9		legitime
» 135 *b*	» 2		citato .... verificare	» 225 *a*	» 16		a citato ... verificari
» 136 *b*	» 26	*ult.*	firmitatis	» 227 *a*	» 20		firmatis
» 137 *b*	» 26	*ult.*	solet	» 228 *b*	» 16		soleat
» 141 *a*	» 5		si	» 233 *b*	» 17		sit
» 142 *a*	» 12		liber	» 235 *a*	» 14	*ult.*	liberum
» 142 *b*	» 6		posteaque	» 236 *b*	» 6		posteaquam
» 143 *a*	» 6		unico	» 236 *b*	» 10	*ult.*	aliquo
» 143 *a*	» 11		pater	» 236 *b*	» 5	*ult.*	patres
» 143 *b*	» 13	*ult.*	Ordinis	» 238 *a*	» 21		Ordinum
» 145 *a*	» 28	*ult.*	provide	» 240 *a*	» 13	*ult.*	providere
» 147 *a*	» 1		quorum	» 242 *b*	» 4	*ult.*	quorumlibet
» 147 *b*	» 25		an. v.	» 244 *a*	» 2		an. I [1]
» 151 *a*	» 2		ferventibus	» 246 *a*	» 17	*ult.*	ferventius
» 151 *a*	» 4		Dumino	» 246 *a*	» 15	*ult.*	divino
» 151 *a*	» 5		infrascriptam	» 246 *a*	» 14	*ult.*	infrascriptas
» 151 *a*	» 4	*ult.*	libero	» 247 *a*	» 3		libro
» 151 *b*	» 10		est: eâ	» 247 *a*	» 16		est eâ
» 151 *b*	» 25		iniusta	» 247 *a*	» 9	*ult.*	iousta
» 148 *b*	» 31	*ult.*	fueruot	» 248 *a*	» 11	*ult.*	fuerint
» 150 *a*	» 17	*ult.*	29 ianuarii	» 250 *b*	» 14		30 octobris
» 165 *a*	» 12	*ult.*	quoscumque	» 253 *a*	» 22	*ult.*	quocumque
» 165 *b*	» 31		poenitentia	» 253 *b*	» 23		poenitentiam
» 166 *b*	» 23		duobus	» 255 *a*	» 17		duabus
» 166 *b*	» 30	*ult.*	necnon	» 255 *a*	» 11	*ult.*	nec
» 167 *a*	» 1		communire	» 254 *b*	» 19		communiri
» 167 *a*	» 12	*ult.*	(*marg.*) 1656	» 256 *a*	» 12	*ult.*	1657
» 168 *a*	» 1		praesentari	» 257 *a*	» 18	*ult.*	praesentatori
» 169 *b*	» 6		deputandos	» 259 *b*	» 20		deputandae
» 170 *a*	» 35		censeat	» 260 *b*	» 13	*ult.*	censeatur
» 170 *a*	» 7	*ult.*	capiant ... distrahant	» 261 *a*	» »		capiantur .... distrahantur
» 172 *b*	» 1		aliis	» 264 *a*	» 27		aliâs
» 172 *b*	» 14		eiusdem	» 264 *a*	» 3	*ult.*	eisdem
» 174 *a*	» 20		pertinet	» 270 *b*	» 6	*ult.*	pertinent
» 182 *a*	» 32	*ult.*	pontificibus	» 279 *a*	» 18		pontificiis
» 182 *a*	» 24	*ult.*	assistentes	» 279 *a*	» 25		assistentis
» 182 *a*	» 13	*ult.*	misteria	» 279 *a*	» 1	*ult.*	ministeria
» 182 *b*	» 4	*ult.*	quo	» 280 *a*	» 10	*ult.*	quibus
» 184 *a*	» 28	*ult.*	teneat	» 282 *a*	» 9	*ult.*	teneatur
» 186 *a*	» 4		huin	» 285 *a*	» 11		huc
» 186 *a*	» 4	*ult.*	oblationem	» 285 *b*	» 11	*ult.*	oblationem
» 186 *b*	» 18	*ult.*	faciant	» 286 *a*	» 1	*ult.*	faciat
» 186 *b*	» 14	*ult.*	nun permittentes	» 286 *b*	» 4		non permittens
» 187 *a*	» 24	*ult.*	habeat	» 287 *a*	» 16		habebat
» 187 *b*	» 24		magis	» 287 *b*	» 22	*ult.*	magnia
» 187 *b*	» 30		sicque	» 287 *b*	» 16	*ult.*	sique
» 187 *b*	» 16	*ult.*	demandandis	» 288 *a*	» 9		demandabitur
» 187 *b*	» 5	*ult.*	Legatos	» 288 *a*	» 20		legatas
» 187 *b*	» 2	*ult.*	et	» 288 *a*	» 23		ut
» 188 *a*	» 37		clausae	» 288 *b*	» 21		clauso
» 188 *b*	» 1		pendentiae	» 289 *a*	» 10		pendentiâ
» 188 *b*	» 6	*ult.*	convertendum	» 289 *b*	» 23		convertendam

1 Istam emendationem nunc addimus

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.					Edit. Taur. Tom. XVI.				
Pag.	189 a	linea	27	spectantia	Pag.	290 a	linea	23	spectantes
»	189 b	»	6 ult.	poterunt	»	291 a	»	14 ult.	poterant
»	190 a	»	22	absolutos	»	291 b	»	14	absolutas
»	190 b	»	5	sunt	»	292 a	»	12 ult.	sint
»	191 a	»	2	fungentes	»	292 b	»	6 ult.	fungens
»	191 a	»	13 ult.	quo	»	293 b	»	5	quod
»	191 a	»	13 ult.	contigent	»	293 b	»	5	continget
»	192 a	»	28 ult.	et	»	294 b	»	5 ult.	ut
»	193 a	»	12 ult.	innodatus	»	296 b	»	13	innodatos
»	194 b	»	2	resecrandis	»	298 a	»	11 ult.	resecandis
»	196 a	»	24 ult.	pro fratre	»	301 a	»	8	per fratres
»	196 b	»	19	ne	»	301 b	»	12	ut
»	197 a	»	8	consueverit	»	302 a	»	16 ult.	consueverint
»	197 a	»	11	viam	»	302 a	»	13 ult.	in viam
»	197 a	»	37	ut	»	302 b	»	13	aut ut
»	197 a	»	8 ult.	emanatarum	»	302 b	»	4 ult.	emanatam
»	197 b	»	37	illarum	»	303 a	»	4 ult.	illatum
»	197 b	»	4	sinne	»	305 a	»	7	sint
»	199 b	»	4	quamquam	»	305 a	»	7	quamque
»	200 a	»	10 ult.	quo	»	306 b	»	3	quae
»	200 a	»	9 ult.	subdelegari	»	306 b	»	4	subdelegandis
»	201 b	»	23	Ordinarius	»	308 b	»	5	Ordinarii
»	201 b	»	20 ult.	clausura	»	308 b	»	17 ult.	clausuram
»	202 b	»	10 ult.	eorum	»	310 a	»	2 ult.	earum
»	203 b	»	22	ceteris	»	312 b	»	19 ult.	certis
»	204 a	»	5	usu	»	313 a	»	9 ult.	esu
»	204 b	»	5 ult.	providere	»	314 b	»	14 ult.	provideta
»	205 a	»	7 ult.	ordinis	»	315 b	»	11	officiis
»	205 b	»	8 ult.	alia	»	316 a	»	5	illa
»	206 b	»	19	exigenda	»	317 b	»	1	exigendorum
»	209 a	»	21	attento	»	321 a	»	15 ult.	attenta
»	209 b	»	25 ult.	regionum	»	322 b	»	13 ult.	regiorum
»	210 a	»	21	Innocatio	»	322 b	»	4 ult.	Innovatio
»	210 a	»	27 ult.	qui	»	323 a	»	13	quibus
»	210 a	»	13 ult.	statumque	»	323 a	»	12 ult.	statutumque
»	210 a	»	2 ult.	fructuum	»	323 a	»	1 ult.	praedictorum
»	210 b	»	33	servati	»	323 b	»	7 ult.	servari
»	211 a	»	34	contrafaciendi	»	324 b	»	21	contrafacientis
»	211 a	»	15 ult.	iuxta	»	324 b	»	2 ult.	iusta
»	211 b	»	1	remedium impetrato . . .	»	325 a	»	15	remedium impetrari aut impetrato
»	211 b	»	6 ult.	aliis	»	325 b	»	7 ult.	alias
»	212 b	»	21	sunt	»	326 b	»	1 ult.	non sunt (?)
»	213 a	»	2	poenitentia	»	327 b	»	9	poenitenti
»	213 a	»	4	quae	»	327 b	»	11	qua
»	215 a	»	4 ult.	eorum	»	332 b	»	18	earum
»	216 a	»	6	opportune	»	333 b	»	9	opportunae
»	216 b	»	35	suppressa et extincta . .	»	334 b	»	20	suppressae et extinctae
»	216 b	»	41	universa	»	334 b	»	25	universis
»	217 b	»	8 ult.	etiam	»	336 b	»	8	etiamsi
»	219 a	»	9 ult.	opportuni ius	»	338 b	»	7 ult.	opportunius
»	224 a	»	2 ult.	consuetum	»	346 b	»	16	consuetam
»	224 b	»	22 ult.	celebrare	»	347 a	»	21	celebrari
»	226 a	»	6 ult.	reditus	»	349 b	»	26	redditus
»	227 b	»	12	per dictae	»	351 b	»	20	praedictae
»	227 b	»	19 ult.	alterum episcopatum . .	»	352 a	»	1	episcopatum
»	227 b	»	1 ult.	direptae	»	352 a	»	20	diremptae
»	228 a	»	17	generari	»	352 a	»	4 ult.	generare

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.					Edit. Taur. Tom. XVI.				
Pag.	228 u	linea	18	sub	Pag.	352 u	linea	3 ult.	quae sub
»	228 u	»	24	benu momoratus	»	353 b	»	4	praememoratus
»	228 a	»	26	seu	»	352 b	»	6	sed
»	228 u	»	19 ult.	comitatus	»	352 b	»	8 ult.	comitatum
»	228 u	»	18 ult.	loca	»	352 b	»	7 ult.	bona
»	228 u	»	15 ult.	re	»	352 b	»	4 ult.	iure
»	228 b	»	22	si uti supradictum	»	353 u	»	10 ult.	si, uti supra dictum est,
»	228 b	»	25 ult.	upiscopatus	»	353 b	»	13	episcopatui
»	229 a	»	13 ult.	atatuturos	»	354 u	»	8	staturos
»	229 a	»	24	asservavit	»	354 a	»	20	asservabit
»	229 a	»	23 ult.	mandatu	»	354 b	»	1	mandato
»	229 u	»	8 ult.	confirmas	»	354 b	»	18	confirmes
»	229 b	»	5 ult.	propensis	»	355 u	»	1 ult.	propensius
»	230 u	»	28	intantius	»	355 b	»	8 ult.	intentus
»	231 u	»	3	studemus	»	357 u	»	11	studeamus
»	232 b	»	27 ult.	praetendi. Nos	»	359 b	»	6 ult.	praetendi nos
»	232 b	»	7 ult.	digna	»	360 a	»	16	dignae
»	233 u	»	19	Flavii	»	360 u	»	3 ult.	Flavin
»	233 a	»	30 ult.	ad	»	360 b	»	18	ac
»	234 u	»	27 ult.	confirmatae	»	362 u	»	21	confirmata
»	234 a	»	16 ult.	tituli acquisiti	»	362 u	»	9 ult.	titulo aquisito
»	234 u	»	1 ult.	praefatae	»	362 b	»	6	praefata
»	234 b	»	27 ult.	reperiantur	»	363 u	»	6	reperiuntur
»	234 b	»	24 ult.	expressos	»	363 a	»	10	expressus
»	234 b	»	22 ult.	ad quem	»	363 u	»	12	ad quam
»	235 u	.	5 ult.	iuvari	»	364 u	»	9	iuvare
»	236 b	»	3 ult.	ac	»	366 a	»	1 ult.	in
»	236 b	»	2 ult.	in	»	366 b	»	2	ac
»	237 b	»	7 ult.	perpetuo	»	368 a	»	1	ut perpetuo
»	238 u	»	24 ult.	VII	»	368 b	»	9	VI
»	238 a	»	4 ult.	quae	»	368 b	»	13 ult.	qui
»	238 b	»	3	existentiâ	»	368 b	»	7 ult.	exhibentiâ
»	238 b	»	13	foveantur	»	369 u	»	7	foventur
»	228 b	»	17 ult.	qui	»	369 b	»	1	quo
»	139 a	»	29	XXVI	»	370 u	»	4	XVI [1]
»	239 a	»	7 ult.	huiusmodi	»	370 a	»	9 ult.	huiusmodi precibus
»	239 b	»	11 ult.	fieri	»	371 u	»	15	freti
»	240 u	»	2 ult.	Decernentes	»	372 a	»	4	Decernens
»	240 b	»	20	apostolicam	»	372 u	»	18 ult.	apostolicum
»	240 b	»	28	suscepimus	»	372 a	»	10 ult.	suscipimus
»	240 b	»	18 ult.	ad	»	372 b	»	18	de
»	242 a	»	24 ult.	VIII	»	374 b	»	9 ult.	IX
»	242 u	»	23 ult.	singulas	»	374 b	»	8 ult	singula
»	242 b	»	3	splendent	»	375 u	»	18	splendeant
»	242 b	»	20 ult.	pontif. anno 12 1390	»	375 b	»	21	pontif. an. 1 ... 1390 vel pontif. an. 12 ... 1400 [2]
»	242 b	»	1 ult.	decernens	»	375 b	»	5 ult.	decernentes
»	243 u	»	7 ult.	VIII	»	376 b	»	14	IX
»	243 b	»	31 ult.	prosequimur	»	377 a	»	16	prosequi
»	243 b	»	17 ult.	communicatus	»	377 u	»	15 ult.	communitus
»	244 u	»	31	perducuntur	»	377 b	»	6 ult.	perducatur
»	244 a	»	2 ult.	1417	»	378 a	»	14 ult.	1418 [3]
»	244 a	»	2 ult.	singulis	»	378 a	»	13 ult.	Prout singulis
»	244 b	»	27 ult.	concessas	»	378 b	»	10 ult.	concessa
»	245 b	»	9	1623	»	380 u	»	4	1624

1 Istam emendationem nunc addimus.
2 Hanc emendationem nunc addimus.
3 Hanc emendationem nunc addimus.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* IV.		*Edit. Taur. Tom.* XVI.	
Pag. 245 *b* linea 33 *ult.*	absolutos	*Pag.* 380 *a* lineo 11 *ult.*	absolutas
» 245 *b* » 8 *ult.*	tam	» 380 *b* » 15	etiam
» 247 *a-b*	regularium	» 383 *a* » 8	regalium
» 250 *a* » 12	labefactatur	» 387 *a* » 13	labefactetur
» 250 *b* » 27 *ult.*	fungentes	» 388 *a* » 17 *ult.*	fungens
» 251 *a* » 31 *ult.*	fel. rec.	» 389 *a* » 6	felici
» 251 *a* » 21 *ult.*	unius	» 389 *a* » 16	unus
» 251 *a* » 21 *ult.*	congregatis	» 389 *a* » 17	congregationis
» 251 *a* » 1 *ult*	elegi	» 389 *a* » 3 *ult.*	eligi
» 251 *b* » 2	electis	» 389 *a* » 1 *ult.*	electio
» 251 *b* » 33	vicarium	» 389 *b* » 10 *ult.*	vicarius
» 251 *b* » 26 *ult.*	elegi	» 390 *a* » 1	eligi
» 252 *b* » 5 *ult.*	res	» 391 *b* » 11 *ult.*	reos
» 253 *a* » 11	dilitant	» 392 *a* » 5	. . . (?)
» 253 *a* » 15	iam ... iam	» 392 *a* » 10	tam . . . tam
» 253 *b* » 19	spernent	» 392 *b* » 5 *ult.*	spernant
» 253 *b* » 36	commorandi	» 393 *a* » 13	commoraturos
» 253 *b* » 38	recurri	» 393 *a* » 14	recurrere
» 254 *b* » 19	concilinrum	» 394 *b* » 5	consiliorum
» 255 *b* » 26	tribuealium	» 396 *a* » 20	tribunalis
» 257 *a* » 13	laudandum	» 396 *b* » 4 *ult.*	laudandam
» 258 *a* » 17	elapso eiusdem	» 398 *b* » 5	elapso, prioris eiusdem
» 258 *b* » 3	proposito	» 399 *a* » 18	praeposito
» 258 *b* » 5	insulas	» 399 *a* » 20	infulas
» 256 *b* » 13	eque	» 399 *a* » 23	equa
» 258 *b* » 15 *ult.*	suis	» 399 *b* » 12 ult.	iis
» 258 *b* » 10 *ult.*	respicerent	» 399 *b* » 7	resipiscerent
» 259 *b* » 15 *ult.*	quaplurimum	» 401 *a* » 1 *ult.*	quamplurimarum
» 260 *a* » 14	tunc	» 401 *b* » 17 *ult.*	hunc
» 262 *a* » 11	incumberet	» 404 *b* » 6 *ult.*	incumberent
» 262 *a* » 25	ad	» 405 *a* » 6	ac
» 264 *a* » 11	exponentes	» 409 *b* » 3	exponens
» 264 *a* » 30 *ult.*	unitis	» 409 *b* » 11 *ult.*	annis
» 265 *a* » 22	ut dictum	» 411 *a* » 22	ut dictum est
» 265 *a* » 28	de per	» 411 *a* » 28	per
» 267 *a* » 38	irritum	» 414 *b* » 16	initum
» 267 *a* » 16 *ult.*	tenebatur	» 414 *b* » 10 *ult.*	teneatur
» 267 *b* » 7	etiam	» 415 *a* » 13	et
» 267 *b* » 24 *ult.*	mandat	» 415 *b* » 3	mandet
» 268 *b* » 27 *ult.*	fecerunt	» 417 *a* » 3	supplicari fecerunt
» 269 *a* » 30 *ult.*	frater	» 417 *b* » 19 *ult.*	fratri
» 269 *b* » 17 *ult.*	concedes	» 418 *b* » 21	concedas
» 269 *b* » 14 *ult.*	et quatenus	» 418 *b* » 24	quatenus
» 270 *a* » 15 *ult.*	ea	» 419 *b* » 5	eis
» 271 *a* » 1 *ult*	frui	» 421 *a* » 25	fieri
» 272 *a* » 3	contributiones	» 422 *a* » 13	contributionis
» 273 *a* » 26	institutam	» 424 *a* » 1	institutarum
» 273 *a* » 27	preferentium	» 424 *a* » 2	perferentium
» 273 *a* » 23 *ult.*	1683	» 424 *a* » 17	1483 (?)
» 273 *a* » 6 *ult.*	hac	» 424 *a* » 7 *ult.*	ac
» 274 *a* » 20	nuncupatae	» 425 *a* » 7 *ult.*	nuncupato
» 274 *b* » 8	ac	» 426 *a* » 1	ex
» 274 *b* » 33 *ult.*	nec	» 426 *a* » 15 *ult.*	ne
» 275 *b* » 31	unicamente	» 427 *b* » 15 *ult.*	unitamente
» 277 *b* » 27	cupiens	» 431 *a* » 10	cupientes
» 278 *a* » 11 *ult.*	Ordini	» 432 *a* » 7	Ordinis
» 278 *b* » 20	Eleazari	» 432 *a* » 1 *ult:*	Elzearii[1]

1 Hanc emendationem nunc addimus.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. IV.			*Edit. Taur. Tom. XVI.*		
Pag. 278 b	linea 33	ac	Pag. 432 b	linea 13	a
» 279 a	» 2 ult.	obligantur	» 433 b	» 23	obligentur
» 279 b	» 20 ult.	servant	» 434 a	» 19	serveat
» 281 a	» 28	deputari	» 436 a	» 24	deputati
» 282 a	» 25 ult.	pariter	» 438 a	» 3	paribus
» 282 b	» 2 ult.	similis rec.	» 439 a	» 9	similis memoriae[1]
» 288 a	» 16	sive	» 446 b	» 1 ult.	sine
» 289 b	» 26 ult.	possint et valeant . . .	» 449 b	» 7	possit et valeat
» 291 a	» 30 ult.	festivitates	» 451 b	» 19 ult.	festivitatem
» 291 b	» 10	praemissum	» 452 a	» 21	permissum
» 292 b	» 14 ult.	dictum	» 454 a	» 23	directum
» 292 b	» 1 ult.	transactam	» 454 a	» 9 ult.	transactum
» 293 a	» 9	facta	» 454 b	» 4	factae
» 293 a	» 27	probibita	» 454 b	» 23	probibitae
» 293 a	» 31	praecipuae	» 454 b	» 26	praecipue
» 293 a	» 31 ult.	transfertus	» 454 b	» 8 ult.	transfertur
» 293 a	» 12 ult.	exagitata	» 455 a	» 13	exagitatae
» 293 b	» 17 ult.	recepimus vigiati	» 455 b	» 9 ult.	recipimus viginti quatuor
» 294 a	» 13 ult.	duce	» 456 b	» 18	ducis
» 294 b	» 8	cuiusvis	» 456 b	» 3 ult.	cuivis
» 294 b	» 33	incommodum	» 457 a	» 22	in commodum
» 294 b	» 37	praemissum	» 457 a	» 26	permissum
Tom. VI, Part. V.					
» 1 a	» 18	quondam	» 458 b	» 11 ult.	quam
» 1 a	» 9 ult.	ac nobis	» 458 b	» 1 ult.	nobis
» 2 a	» 9 ult.	permosse	» 460 a	» 13 ult.	premesse
» 3 b	» 11	gesta	» 462 a	» 16	gestis
» 4 a	» 39	recipi	» 463 b	» 11 ult.	recepi
» 7 a	» 22	eiusdemque	» 468 a	» 6	eisdemque
» 7 b	» 22 ult.	3 maii	» 469 a	» 8	31 maii
» 6 b	» 14 ult.	illis	» 470 b	» 13 ult.	ac illis
» 9 b	» 29 ult.	eorumdem	» 472 a	» 15 ult.	earomdem
» 13 b	» 11	pro	» 478 a	» 3 ult.	per
» 15 a	» 34	ac	» 481 a	» 13	ad
» 15 b	» 20	proviacia.	» 481 b	» 18 ult.	provinciam
» 16 b	» 39	illis	» 483 b	» 13	illic
» 17 a	» 15 ult.	eiusque	» 484 b	» 8	eiusdem
» 20 a	» 24	possideant	» 489 a	» 8	possident
» 20 a	» 27	babent	» 489 a	» 11	babeant
» 20 a	» 23 ult.	atatum	» 489 a	» 12 ult.	statutum
» 20 b	» 19 ult.	silentiumque	» 490 a	» 2 ult.	silentium
» 22 b	» 31	debeant	» 493 a	» 17	debent
» 23 a	» 27	charitas est Deus. . . .	» 494 a	» 3	charitas est et Deus
» 23 a	» 32	mancipatis	» 494 b	» 8	mancipatos
» 23 a	» 14 ult.	prope	» 494 a	» 28	posse
» 24 a	» 3 ult.	consolamus	» 496 a	» 11	consulamus
» 25 a	» 10 ult.	auncupatas	» 497 b	» 17	nuncupatá
» 25 a	» 8 ult.	ita ut usque.	» 497 b	» 19	ita usque
» 25 a	» 4 ult.	postulant	» 497 b	» 24	postulent
» 25 b	» 30 ult.	ut.	» 498 a	» 12 ult.	et
» 25 b	» 18 ult.	absolntos	» 498 b	» 1	absolutum
» 25 b	» 11 ult.	singulis	» 498 b	» 8	a singulis
» 26 a	» 7	quae.	» 498 b	» 18 ult.	que
» 31 b	» 11	solutione	» 500 b	» 19	solutionis
» 31 b	» 13	solutione	» 500 b	» 22	solutionis
» 31 b	» 14	suspensione.	» 500 b	» 23	suspensionis

[1] Istam emendationem nunc addimus.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. V.				Edit.ª Taur. Tom. XVI.			
Pag.	32 a	linea	27-29 eadem ... permansuras .	Pag.	501 b	linea	21-23 eisdem ... permansuris
»	32 b	»	31 subscribendum	»	502 b	»	6 subscribenda
»	32 b	»	16 ult. impositis	»	502 b	»	8 ult. impositorum
»	33 a	»	22 aliasque	»	503 a	»	25 aliaeque
»	33 a	»	17 ult. notari	»	503 b	»	12 notari non posse
»	27 a	»	8 primum	»	504 b	»	24 primi
»	28 b	»	1 ordinique.	»	507 a	»	9 Ordinisque
»	29 b	»	13 ult. quo	»	509 a	»	16 ult. quos
»	30 a	»	16 ult. congregationes	»	616 a	»	13 congregationis
»	34 a	»	21 petit.	»	611 b	»	10 ult. petiit
»	34 b	»	26 ult. fecerat	»	512 b	»	3 ult. fuerat
»	34 b	»	24 ult. at	»	512 b	»	2 ult. ac
»	34 b	»	7 ult. concedet	»	613 a	»	18 concederet
»	39 a	»	18 ult. vocarent	»	517 a	»	24 vacarent
»	40 a	»	23 ult. decreverunt	»	616 b	»	18 ult. decreverint
»	42 b	»	30 privilegiorum	»	622 b	»	9 ult. privilegiatorum
»	43 b	»	4 exemptio propterea et monasterii	»	524 a	»	21 ult. exemptio monasterii
»	43 b	»	29 ult. perpetua	»	524 b	»	16 perpetuo
»	44 a	»	23 cessione	»	525 a	»	19 cessionis
»	44 a	»	24 facta	»	525 a	»	20 factae
»	44 b	»	11 Cunensis	»	620 b	»	7 ult. Curiensis
»	44 b	»	22 promittere	»	526 a	»	6 promittente
»	44 b	»	23 ult. confici	»	526 a	»	8 ult. confeci
»	47 b	»	9 ult. emanatis	»	527 b	»	7 emanatas
»	46 a	»	2 ult. Lugdunum	»	530 b	»	12 Lugdunensi
»	46 b	»	14 ult. deveniat	»	531 a	»	15 ult. deveniant
»	47 a	»	2 quolibet	»	531 b	»	1 quilibet
»	48 b	»	26 ult. declaret	»	532 b	»	2 ult. declararet
»	49 a	»	8 ult. dilatam	»	534 a	»	8 dilatatam
»	49 b	»	10 provinciales	»	534 a	»	24 sed provinciales
»	50 b	»	9 ult. 1746	»	536 b	»	8 1646
»	58 b	»	16 auctoritate tenore . . .	»	539 a	»	17 ult. auctoritate apostolicâ, tenore
»	52 b	»	24 ult. S. Ioannis	»	539 b	»	11 S. Ivonis (?)
»	52 b	»	11 ult. evertenda	»	539 b	»	16 ult. avertenda
»	53 a	»	18 facere	»	540 a	»	15 fuere
»	54 b	»	14 ult. gratiis , privilegiis gaudeantque iisdem . . .	»	543 a	»	4 gaudeantque iisdem gratiis, privilegiis
»	54 b	»	10 ult. gaudent	»	543 a	»	9 gaudeant
»	55 a	»	6 ult. patrum	»	543 b	»	2 ult. numero patrum
»	56 b	»	30 definitore	»	546 a	»	5 definitorio
»	57 a	»	22 ult. exortas	»	547 a	»	7 extortas
»	57 a	»	3 ult. potent	»	547 a	»	13 ult. pudet
»	57 a	»	1 hoc	»	547 a	»	10 ult. contra
»	67 b	»	33 ult. praecedentes	»	547 b	»	14 ult. praecedentiae
»	68 a	»	24 curaverit	»	550 a	»	11 curaverint
»	59 a	»	12 ult. patribus	»	556 b	»	8 partibus
»	59 b	»	3 ult. superioris	»	557 b	»	3 superiores
»	62 b	»	1 ult. instituti	»	556 b	»	8 institui
»	63 a	»	32 computatis	»	556 b	»	2 ult. computata
»	63 b	»	30 ult. alios	»	557 b	»	9 ult. aliàs
»	63 b	»	14 ult. omnia	»	550 a	»	9 ut omnia
»	64 a	»	20 versari	»	558 b	»	1 reservari
»	64 b	»	26 ult. V	»	559 b	»	3 VI
»	64 b	»	8 ult. pauperes	»	559 b	»	16 ult. pauperis
»	65 a	»	16 1661	»	560 a	»	13 1659
»	65 a	»	28 tum	»	560 a	»	16 ult. ut

Edit. Rom. Main., Tom.° VI, Part. V.		*Edit. Taur. Tom. XVI*	
Pag. 65 *b* linea 25	deposita	Pag. 561 *a* linea 15	een deposita
» 65 *b* » 7 *ult.*	privationis	» 561 *b* » 12	poenae privationis
» 66 *a* » 13 *ult.*	agrorum	» 562 *a* » 8 *ult.*	animarum
» 66 *b* » 2 *ult.*	aliter abrogatis	» 563 *a* » 12 *ult.*	aliter non abrogatis
» 67 *a* » 20 *ult.*	disponantur	» 563 *b* » 1 *ult.*	disponatur
» 67 *b* » 15	eidemque	» 564 *a* » 5 *ult.*	eidem
» 68 *b* » 23	docere	» 566 *b* » 2	doceret
» 69 *b* » 22	quoad eum.	» 567 *b* » 3 *ult.*	quoad per eum
» 70 *a* » 31 *ult.*	possent	» 569 *a* » 4	possint
» 70 *a* » 25 *ult.*	quae	» 569 *a* » 11	qua
» 70 *b* » 23	audita	» 569 *b* » 15 *ult.*	auditis
» 70 *b* » 29	necnon	» 569 *b* » 9 *ult.*	nec
» 71 *a* » 22	statumque	» 570 *b* » 12 *ult.*	statutumque
» 71 *a* » 28	medietate	» 570 *b* » 6 *ult.*	medietatem
» 72 *a* » 1	praebendas.	» 572 *a* » 11	praebendae
» 72 *a* » 9	ne, vel	» 572 *a* » 19	vel
» 72 *a* » 26 *ult.*	aliave	» 572 *b* » 15	aliove
» 72 *a* » 16 *ult.*	invocationum.	» 572 *b* » 24	revocationum
» 72 *b* » 14	universalibus	» 673 *a* » 13	in universalibus
» 75 *a* » 29	1667.	» 577 *a* » 11 *ult.*	1660
» 78 *b* » 4	recipiuntur	» 582 *b* » 5	reperiuntur
» 80 *b* » 1	iuelii	» 582 *b* » 14	iulii
» 81 *a* » 19	sive mora.	» 58. *a* » 16	sine morâ
» 81 *b* » 31	aliorumve	» 584 *a* » 7	aliove
» 82 *a* » 10 *ult.*	nec	» 585 *a* » 18	ne
» 82 *b* » 28	quae causa	» 585 *b* » 14	causâ
» 80 *a* » 30 *ult.*	eidem	» 590 *b* » 10	eisdem
» 80 *b* » 20	aliquam	» 591 *a* » 18	aliquâ
» 86 *a* » 32	peritos.	» 691-692 »	peritos deputare
» 86 *a* » 37	eos	» 592 *a* » 5	eas
» 86 *b* » 1	ipsis	» 592 *a* » 7 *ult.*	ipsâ
» 86 *b* » 2	constituendi et taxandi .	» 592 *a* » 6 *ult.*	constitui et taxari
» 86 *b* » 27 *ult.*	et	» 592 *b* » 7 *ult.*	ex
» 86 *b* » 23 *ult.*	us	» 592 *b* » 8 *ult.*	ius
» 87 *a* » 5	et habitationes praefatas.	» 593 *a* » 25	ad habitatores praefatos
» 87 *a* » 24	persolvendi	» 593 *b* » 1	persolvenda
» 87 *a* » 33 *ult.*	dispensationibus	» 593 *b* » 14	dispositionibus
» 87 *b* » 10	applican.	» 594 *a* » 15	apostolicâ
» 90 *b* » 5 *ult.*	auctoritatem	» 599 *b* » 4	auctoritate
» 91 *a* » 27 *ult.*	sue	» 600 *a* » 10	sub
» 92 *a* » 2 *ult.*	inquisitoris	» 601 *b* » 4 *ult.*	inquisitionis
» 93 *a* » 29	alio	» 603 *a* » 6	aliâs
» 93 *a* » 14 *ult.*	finem	» 603 *a* » 10 *ult.*	finiendo
» 93 *b* » 12 *ult.*	et non	» 604 *a* » 19	nec non
» 93 *b* » 2 *ult.*	possitis tibi	» 604 *a* » 28	possitis) assignamus; ac tibi
» 94 *a* » 15	pari actu vigore	» 604 *b* » 4	pari ac tu, vigore
» 94 *a* » 4	expressis	» 605 *a* » 20	concessis
» 96 *a* » 7 *ult.*	congregationi	» 608 *a* » 9 *ult.*	congregationis
» 97 *a* » 30	dictarum	» 609 *b* » 18	dicatarum
» 97 *a* » 16 *ult.*	primum instituti	» 609 *b* » 6 *ult.*	primi instituti
» 97 *b* » 27	editionus	» 610 *a* » 2 *ult.*	editi, onus
» 97 *b* » 16 *ult.*	nuncupati	» 610 *b* » 18 *ult.*	nuncupato
» 97 *b* » 10 *ult.*	accepissent.	» 610 *b* » 11 *ult.*	accepisset
» 98 *a* » 10	VIII	» 611 *a* » 9	XIII
» 98 *a* » 39	B. Margitae	» 611 *a* » 5 *ult.*	B. Mariae (?)
» 98 *a* » 13 *ult.*	1422	» 611 *b* » 14	1622
» 98 *b* » 14	13	» 611 *b* » 3 *ult.*	14

Edit. Rom. Main. Tom. VI, Part. V.			Edit. Taur. Tom. XVI		
Pag. 99 a	linea 15	Condreù	Pag. 612 b	linea 25	Condren
» 99 b	» 12	Caesareae nostrae	» 613 b	» 2	Caesareae, nostro
» 99 b	» 22 ult.	20	» 613 b	» 6 ult.	2
» 100 a	» 16	in	» 614 a	» 10 ult.	a
» 100 a	» 31 ult.	cupiens	» 614 b	» 11	cupientes
» 100 a	» 27 ult.	partibus eorumque	» 614 b	» 15	partibus earumque
» 100 a	» 7 ult.	praecipimus	» 614 b	» 7 ult.	praecepimus
» 100 b	» 16	sive	» 615 a	» 16	sine
» 100 b	» 24 ult.	per num	» 615 b	» 3	poenâ per eum
» 100 b	» 19 ult.	in genere	» 615 b	» 8	ingerere
» 101 a	» 16	1661	» 616 a	» 3	1659
» 101 a	» 31 ult.	statu	» 616 a	» 23	statui
» 102 a	» 12	electorum	» 617 b	» 1	electionem
» 102 a	» 5 ult.	spectet, ad hoc	» 618 a	» 13	spectet. Ad haec
» 103 a	» 11 ult.	seculari	» 619 b	» 14	peculiari
» 103 b	» 17	offerrent	» 619 b	» 3 ult.	offerent
» 103 b	» 32	possiat	» 620 a	» 10	possit
» 104 a	» 5	potestates	» 620 b	» 12	potestate
» 105 b	» 8	quos	» 623 a	» 4	ad quos
» 107 a	» 7	Congregatiòni	» 625 a	» 6 ult.	Congregationis
» 107 a	» 24 ult.	prohibentibus	» 625 b	» 14 ult.	prohibenti
» 109 b	» 12	providerit	» 629 a	» 6 ult.	provideret
» 110 a	» 10 ult.	consensu	» 630 b	» 23	consensus
» 111 a	» 34	et	» 632 a	» 8	ex
» 112 a	» 22	7	» 633 b	» 5	31
» 114 b	» 14 ult.	ecclesiis	» 635 b	» 12	in ecclesiis
» 115 b	» 28 ult.	pastorales	» 637 a	» 4	pastores
» 115 b	» 13 ult.	latis	» 637 a	» 24	latas
» 115 b	» 2 ult.	possiat	» 637 a	» 11 ult.	possit
» 117 a	» 15 ult.	eo	» 639 b	» 8	et
» 117 a	» 2 ult.	concessas	» 639 b	» 21	concessam
» 117 b	» 22 ult.	6	» 640 a	» 15 ult.	6
» 118 b	» 12	stato	» 641 b	» 1	statuto
» 121 b	» 6 ult.	quippe	» 646 b	» 16 ult.	quique
» 121 b	» 4 ult.	utrumque	» 646 b	» 14 ult.	utrinque
» 125 a	» 20	studeret	» 651 b	» 18	studerent
» 125 b	» 26	eos	» 652 b	» 10	in eos
» 125 b	» 38	incussas	» 652 b	» 21	incursas
» 128 a	» 39	inconcusse ad	» 656 b	» 22	inconcussae ac
» 128 b	» 21	anno	» 657 a	» 3 ult.	pontificatus sui anno
» 128 b	» 26	de Venetie	» 657 b	» 4	die veneris?
» 128 b	» 14 ult.	cum	» 657 b	» 9 ult.	cui
» 128 b	» 5 ult.	aut	» 658 a	» 1	et
» 129 a	» 14	dictam constitutionem	» 658 a	» 20	dictâ constitutione
» 129 b	» 3	a fel. rec. Gregorio	» 658 b	» »	felicis recordationis Gregorii
» 130 b	» 21 ult.	1669	» 660 b	» 1 ult.	1661
» 132 a	» 16	emendicantis	» 663 a	» 15	emendicatis
» 132 a	» 8 ult.	tenentur	» 663 b	» 4	teneantur
» 137 a	» 15 ult.	ingenii	» 671 a	» 16	ingenti
» 137 a	» 10 ult.	stimulatum	» 671 a	» 24	stimulatur
» 139 a	» 30 ult.	antevertendis	» 674 a	» 12	avertendis
» 139 b	» 11	recuperandis	» 674 b	» 14	recuperandis opes forent
» 140 a	» 8 ult.	Quas	» 676 a	» 1	Quos
» 140 b	» 32	et	» 676 a	» 4 ult.	ut
» 142 a	» 29	hinc	» 678 b	» 17 ult.	hic
» 143 a	» 27	martii	» 680 a	» 6 ult.	aprilis
» 144 a	» 2 ult.	maii	» 682 a	» 3 ult.	martii

Edit. Rom. Main. Tom. VI. *Part.* V.			*Edit. Taur. Tom.* XVI.		
Pag. 144 *b*	linea 22	curaverunt	*Pag.* 682 *b*	linea 11 *ult.*	curarint
» 144 *b*	» 27 *ult.*	quae.... navatur	» 682-683	»	qua .... nascatur
» 144 *b*	» 5 *ult.*	ullamve	» 683 *a*	» 22	ullumve
» 145 *b*	» 2 *ult.*	1661	» 684 *b*	» 11 *ult.*	1660
» 147 *b*	» 31	eorumdem	» 687 *b*	» 2	earumdem
» 151 *b*	» 20	roboratis	» 693 *b*	» 9	roboratas
» 155 *b*	» 21 *ult.*	iunii	» 697 *b*	» 10	iulii
» 157 *b*	» 28 *ult.*	suffragari	» 700 *b*	» 2	observari
» 159 *b*	» 1 *ult.*	aligendis	» 703 *b*	» 4 *ult.*	eligendo
» 160 *a*	» 31 *ult.*	professis	» 704 *a*	» 8 *ult.*	professos
» 162 *a*	» 34	ad eadem	» 707 *b*	» 2	ab eádem *
» 162 *b*	» 20	ad eadem	» 708 *a*	» 13	ab eádem **
» 167 *a*	» 22 *ult.*	censetur	» 715 *a*	» 4 *ult.*	censeretur
» 167 *b*	» 28	dicti	» 716 *a*	» 2	et dicti
» 168 *a*	» 6 *ult.*	erubescant	» 717 *a*	» 20	erubescebant
» 168 *b*	» 14	alias	» 717 *a*	» 4 *ult.*	aliasque
» 168 *b*	» 21	quomodolibet	» 717 *b*	» 4	fidelium quorumlibet
» 169 *a*	» 4	praeses	» 718 *a*	» 15	patres
» 169 *a*	» 37	constitutionum	» 718 *b*	» 6	constitutum
» 169 *b*	» 9	nomina et cognomina . .	» 719 *a*	» 5	nomina et cognomina
» 169 *b*	» 12	illarum	» 712 *a*	» 8	aliarum
» 169 *b*	» 18	indecisa pendante . . .	» 719 *a*	» 11	indecisarum pendentium
» 169 *b*	» 34	Placet et extracta	» 719 *a*	» 19	Placet A. Extracta
» 169 *b*	» 27	hac sub die	» 719 *a*	» 22	ac sub die
» 139 *b*	» 39	1658	» 719 *a*	» 3 *ult.*	1558
» 170 *a*	» 19 *ult.*	nunquam	» 721 *b*	» 4 *ult.*	unquam
» 170 *b*	» 18	quomodolibet	» 722 *a*	» 19 *ult.*	quolibet
» 171 *a*	» 12 *ult.*	remque	» 723 *b*	» 11	rem quae
» 171 *b*	» 1	concesso	» 723 *b*	» 24	concessio
» 171 *b*	» 25	cum	» 724 *a*	» 4	ut
» 171 *b*	» 43	auspiciendi	» 724 *a*	» 23	suscipiendi
» 173 *a* - 173 *b*		partim	» 725 *a*	» 14 *ult.*	parti
» 173 *b*	» 12	immemoratâ	» 725 *a*	» 1 *ult.*	in memoratâ
» 174 *b*	» 16 *ult.*	tangentes	» 727 *b*	» 3	tangente
» 175 *a*	» 7	Religionum	» 727 *b*	» 21	Regionum
» 175 *b*	» 29 *ult.*	potuerunt	» 728 *b*	» 2 *ult.*	poterunt
» 175 *b*	» 5 *ult.*	ac sacris	» 729 *a*	» 23	ac a sacris
» 176 *b*	» 5	scienter	» 730 *a*	» 16	iudicari debere, ac irritum et inane, si secus scienter
» 177 *b*	» 16	ab eâ	» 731 *b*	» 7	ab eo ***
» 177 *b*	» 28	reformatos	» 732 *a*	» 7	reformatos et non reformatos
» 178 *a*	» 24 *ult.*	Divinae	» 733 *a*	» 2	Diversae
» 179 *a*	» 8	ceteri	» 734 *a*	» 17	ceteris
» 179 *a*	» 9	praedicti	» 734 *a*	» 18	praediti
» 179 *a*	» 3 *ult.*	et in eis	» 734 *b*	» 19 *ult.*	cum eis
» 179 *b*	» 12 *ult.*	dispensationem	» 735 *b*	» 7	dispensatorem
» 179 *b*	» 4 *ult.*	vitii	» 735 *b*	» 14	vitiis
» 180 *a*	» 18	quarum unica	» 735 *b*	» 7 *ult.*	quarum uni unica
» 180 *a*	» 26	quae	» 736 *a*	» 2	qua
» 180 *a*	» 38	delectus	» 736 *a*	» 14	delectum
» 180 *b*	» 11	liberatione	» 736 *b*	» 14	deliberatione
» 180 *b*	» 21	ecclesiae	» 737 *a*	» 9	ecclesiae affixam
» 181 *a*	» 26	quae	» 737 *b*	» 14	qua

* At lectio Main. recta est.

** At recte habet ed. Main.

*** Hanc emendationem nunc addimus.

Edit. Rom. Main. Tom. VI, *Part.* V.			*Edit. Taur. Tom.* XV.	
Pag. 181 *b* linea 20	demandare		*Pag.* 738 *a* linea 2 *ult.*	demandari
» 183 *b* » 8	edita .... edenda		» 741 *a* » 8 *ult.*	editos ... edendos
» 183 *b* » 28	contrafaciantibus		» 741 *b* » 13	contrafacientes
» 185 *a* » 2	ab usibus		» 742 *b* » 10 *ult.*	abusibus
» 188 *b* » 28	sic		» 749 *a* » 1 *ult.*	sit
» 188 *b* » 34	aremum		» 749 *b* » 7	eremorum
» 190 *a* » 15	dnbere		» 751 *b* » 14	deberet
» 191 *b* » 22 *ult.*	eiusdem		» 754 *a* » 12 *ult.*	eiusmodi
» 191 *b* » 8 *ult.*	quibuslibet		» 754 *b* » 4	et quibuslibet
» 193 *a* » 26	etiam.		» 756 *a* » 1 *ult.*	ex iam
» 193 *b* » 25 *ult.*	Nola		» 757 *a* » 4 *ult.*	Nnlasco
» 197 *a* » 5	aeternorum		» 762 *a* » 7 *ult.*	aeternum
» 197 *a* » 24 *ult.*	exercere		» 762 *b* » 14 *ult.*	exerceri
» 197 *b* » 24	procedentes		» 763 *a* » 8 *ult.*	procedentibus
» 198 *b* » 19	spectent		» 765 *a* » 14	ad nos spectent
» 198 *b* » 18 *ult.*	provideri		» 765 *a* » 15 *ult.*	providere
» 199 *b* » 5	existaut		» 766 *a* » 12 *ult.*	existat
» 199 *b* » 22	quo praefatis		» 766 *b* » 8	quoad praefata
» 199 *b* » 28	constitutionem praedictam		» 766 *b* » 13	constitutione praedictâ
» 200 *b* » 24	obtineat		» 768 *a* » 11	nbtinet
» 201 *a* » 31 *ult.*	absentes		» 769 *a* » 11	absentibus
» 202 *b* » 24 *ult.*	nomine.		» 771 *b* » 10	nominibus
» 206 *b* » 34	unus		» 777 *b* » 17	sit ex professiona S. Silvestri, post hunc eligatur in abbatem generalem unus
» 207 *a* » 29 *ult.*	districto		» 778 *b* » 8	distiucte
» 210 *b* » 3	sibi		» 783 *b* » 12	tibi
» 211 *a* » 27	forma .... tradita. . . .		» 784 *b* » 19 *ult.*	formam .... traditam
» 211 *a* » 37	quae.		» 784 *b* » 8 *ult.*	qua

ALEXANDER VII

PAPA CCXXXIX

Anno Christi MDCLV.

An. C. 1655 ALEXANDER VII Senensis, Fabius antea dictus, Flavii Chisii filius, S. R. E. presbyter cardinalis tituli S. Mariae de Populo, Romae, die VII aprilis, anno Domini MDCLV, Summus Pontifex pronunciatus, et die XVIII eiusdem mensis et anni coronatus. Creavit cardinales XXXVIII, obiit XXII maii MDCLXVII et in basilicâ Principis Apostolorum sepultus est. Vacavit Sedes dies XXIX.

I.

Confirmatio decreti sacrae congregationis rituum quo declaratur parochos et clerum secularem cathedralium et parochialium regnorum Castellae et Legionis posse ingredi ecclesias regularium cum cruce in associatione cadaverum tumulandorum in dictis ecclesiis, nullam tamen ibi peragere functionem circa cadavera[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam. An. C. 1655

Refertur decretum.

§ 1. Aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacris ritibus praepositis, sub die XX iunii MDCLIV, emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet:

« Pro parte capitulorum cathedralium et parochialium regnorum Castellae et Legionis supplicatum fuit apud sacram rituum congregationem declarari, an parochus defuncti et clerus secularis in associatione cadaverum defunctorum possint ingredi ecclesias regularium, in quibus praefata cadavera tumulari debent, etiam cum cruce usque ad locum in quo cadaver collocatur. Et eadem sacra rituum congregatio respondit: posse parochos supradictos et clerum secularem ingredi ecclesias cum cruce, nullam tamen ibi peragere functionem circa cadavera: cuius decreti duplicatum expeditum fuit die XXIV aprilis MDCLV ».

CAROLUS episc. Hostiensis, card. MEDICES.

Loco ✝ Sigilli.

FRANCISCUS MARIA PHOEBEUS, S. R. C. Secr.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Supplicatio. § 2. Cum autem firmiora sint ea, quibus Sedis Apostolicae accedit auctoritas; idcirco parochorum et cleri praedictorum nomine fuit nobis humiliter supplicatum, ut decretum huiusmodi apostolicae confirmationis praesidio roborare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, parochorum et cleri praedictorum votis hac in re annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas foro censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Confirmat praedictum decretum.

Clausulae appositae. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 maii 1655, pontif. anno I.

II.

Iubilaeum universale ad implorandum divinum auxilium initio sui pontificatus pro salutari S. E. C. regimine et pro pace inter principes christianos[1].

Alexander Papa VII,

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litteras pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Unigenitus Dei filius dominus noster Iesus Christus, cuius inscrutabili providentiâ stant universa, immensam suam erga nos bonitatem clarissimo testimonio manifestavit cum humilitatem nostram ad regimen universalis Ecclesiae pretiosissimo suo sanguine acquisitae nullo meritorum nostrorum suffragio vocavit, nobisque vicariam[2] eius in terris potestatem demandavit. Qua in re, sicuti divinae voluntati obsequentes imposito iugo collum humiliter supposuimus, ita, dum suscepti oneris gravitatem et luctuosum reipublicae christianae assiduis bellorum motibus tot per annos agitatae statum attento contemplamur, anticipaverunt vigilias oculi nostri, meritoque veremur, ne impendenti nobis curarum moli succumbat vi-

1 Iubilaeo huiusmodi indixere Sixt. V const. v, tom. VIII, pag. 570; Greg. XV const. III, tom. XII, pag. 500; Urban. VIII const. LVII (al. 50), tom. XIII, pag. 143, et Innoc. X const. VI, tom. XV, pag. 336.

2 Male edit. Main. legit *Vicarium* (R. T.).

rium nostrarum imbecillitas. Et quamvis, in bonorum omnium largitore Deo, qui sperantes in se infirmari non patitur, spem nostram collocantes, omnem pro salute commissi nobis a caelo gregis laborem alacriter subire parati simus, nihilque quod ad pastoralis officii partes spectat praetermittimus[1], ut, sedatis inter principales[2] orthodoxos dissensionibus, amissa pax orbi christiano restituatur; attamen, quia vani sunt humani conatus nisi gratiae caelestis ope adiuventur, ad vestrum omnium, quibus nostra impendenda est sollicitudo, orationes ex more Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confugere decrevimus, ut exoratus communibus precibus Dominus, qui dat lasso virtutem, et his, qui[3] non sunt, fortitudinem et robur multiplicat, confortet nos in potentiâ virtutis suae et optatae cumulet laetitiâ tranquillitatis.

Omnes christifideles ad infrascripta hortatur.

§ 1. Hoc autem ut fructuosius fiat et maiori cum spiritus ardore peragatur, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam extra ubilibet locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut[4] per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare

1 Edit. Cherub. legit *praetermittamus*, vel legendum *praetermittemus* (R. T.).

2 Videtur potius legendum *principes* ex Cherubinio (R. T.).

3 Vocem *qui* addimus ex Cherub. (R. T.).

4 Male edit. Main. legit *et* pro *ut* (R. T.).

dignetur, nobis vero copiosum suae gratiae spiritum largiatur, quo instructi cuncta consilia et actiones nostras ad nominis eius gloriam fideliumque et animae nostrae salutem dirigere valeamus.

Preces et opera pietatis praescribit.

§ 2. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ[1] ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe praefatâ degentibus, qui S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris eiusdem Urbis ecclesias, seu basilicas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ, ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint;

Exteris providet.

§ 3. Ceteris vero extra Urbem praefatam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendae decurrendarum saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariter-

1 Coniunct. *et* heic intrusam delemus (R. T.).

que peccata sui confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praefatam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Necnon iter agentibus et navigantibus.

§ 4. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Regularibus etiam aliisque impeditis.

§ 5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultas eligendi confessarium.

§ 6. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praefatâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis ordinis vel instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant[1],

Pro absolutione a censuris et peccatis reservatis.

Et pro commutatione votorum.

§ 7. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Publicari iubilaeum praecipit.

§ 8. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, eum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Suam mentem declarat.

§ 9. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tri-

1 Potius lege *valeat* (R. T.).

buere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contrariis derogat. § 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 11. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 maii 1655, pontif. anno I.

III.

Nova commissio septem episcopis Franciae super verificatione epistolarum pastoralium Ludovici Henrici archiepiscopi Senonensis, ac Nicolai Bellovacensis et Giliberti Convenarum episcoporum, ac ordinationis eiusmodi Nicolai episcopi, occasione publicationis constitutionis Innocentii X super damnatione quinque propositionum Cornelii Iansenii editae, publicatarum [1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopis Arelatensi et Tholosano, ac episcopis Aniciensi, Matisconensi, Rhedonensi, Ambianensi et Sussionensi, seu episcopo Caesariensi, venerabilis fratris episcopi Suessionensis coadiutori,

Alexander Papa X.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliàs[2], cum ad aures felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri pervenisset, quod in actu publicationis in dioecesi Senonensi constitutionis per eum pridie kalendas iunii tunc proximo praeteriti editae, qua quinque propositiones occasione libri impressi, cui — Refert commissiones quatuor ex eisdem episcopis ab Innocentio X datas, ut super citata epistola illiusque editione informationem caperent.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 De seqq. vide tom. XVI, p. 745, 760, 775 (R. T.).

titulus *Augustinus Cornelii Iansenii episcopi Iprensis*, excitatas, in eâdem constitutione expressas, damnavit sub poenis et censuris contra haereticos et eorum fautores in iure expressis, venerabilis frater Ludovicus Henricus de Gondrin, archiepiscopus Senonensis, quamdam epistolam pastoralem idiomate gallico, quae incipit: «Lovys Henry de Gondrin, par la grâce de Dieu archevesque de Sens, primat des Gaules et de Germanie, à nostres frêres les doyens ruraux, etc.», sub datâ XXIII septembris etiam tunc proxime praeteriti impressam Senonis apud Ludovicum Prussurot edidisset et typis vulgavisset, seu edi et typis vulgari fecisset, in qua scandalosa, temeraria, schismatica et haeresim redolentia continebantur: ipse Innocentius praedecessor eapropter, de eâ re diligentem informationem sumi volens, motu proprio et ex certâ scientiâ suâ fraternitatibus vestris, fratres archiepiscope Arelatensis ac episcope tunc Conseranensis nunc archiepiscope Tholosane, necnon episcopi Aniciensis et Matisconensis, commisit et mandavit, ut, quamprimum eius in simili formâ Brevis litterae super commissione et mandato huiusmodi emanatae vobis redditae fuissent, vos, aut saltem duo ex vobis, tamquam specialiter ad hoc a dicto Innocentio praedecessore delegati, super epistolâ huiusmodi, et an illa ab eodem Ludovico Henrico archiepiscopo seu eius iussu edita et vulgata fuisset, diligentem informationem omni meliori et opportuniori qui vobis videretur modo et viâ caperetis, ac informationem desuper captam in scriptum authenticum redigi curaretis, et ad ipsum Innocentium praedecessorem transmitteretis, ut, quod hoc in negotio ad Dei gloriam, Fidei catholicae decus, suumque et Sedis Apostolicae honorem statuendum foret, maturâ consideratione adhibitâ decerneret.

Praedictisque episcopis alios tres adiunxerat Innocentius.

§ 2. Et subinde, quoniam, ob locorum, in quibus vos, venerabiles fratres Arelatensis et Tholosane archiepiscopi, ac Aniciensis et Matisconensis episcopi, residetis, distantiam, non licuisset vobis eatenus in numero per ipsum Innocentium praedecessorem in dictis eius litteris praescripto convenire pro exequendâ eiusdem Innocentii praedecessoris commissione praedictâ: idcirco, quo facilior redderetur, et ne ulterius retardaretur praedictae commissionis executio, dictus Innocentius praedecessor decrevit (firmâ in ceteris remanente praefatarum eius litterarum dispositione) praenominatis quatuor delegatis tres alios, videlicet vos, fratres episcopi Rhedonensis, Ambianensis et Suessionensis, aut in tui locum, frater episcope Suessionensis, te, frater episcope Caesariensis coadiutor eiusdem episcopi Suessionensis, adiungere.

Prohibuerat ne in minori numero quam duo procederent.

§ 3. Quocirca vobis septem, fratres archiepiscopi et episcopi, dictus Innocentius praedecessor apostolicâ auctoritate commisit et mandavit, ut vos coniunctim vel separatim, non tamen in minori numero quam duo, ad verificationem praefatae epistolae dicti Ludovici Henrici archiepiscopi Senonensis et aliorum in dictis eius litteris contentorum procederetis.

Eisdemque alias informationes capiendas commiserat.

§ 4. Et quia post earumdem litterarum expeditionem pervenerat ad praedicti Innocentii praedecessoris notitiam venerabiles fratres Nicolaum Bellovacensem et Gilibertum Convenarum episcopos publicasse alias epistolas pastorales occasione praefatae constitutionis Innocentii praedecessoris contra doctrinam *Augustini* dicti Cornelii Iansenii, quarum illa, quae erat dicti Nicolai episcopi, data erat die XII novembris anni MDCLIII unâ cum quadam ordinatione sub eâdem datâ, altera vero praedicti Giliberti episcopi data erat die X octobris eiusdem anni MDCXLIII; vobis itidem ipse Innocentius praedecessor com-

misit et mandavit, ut, servatâ formâ supra praescriptâ, etiam ad ambarum harum epistolarum et praedictae ordinationis verificationem iisdem modis et terminis, qui in praedictis litteris quoad verificationem epistolae pastoralis dicti Ludovici Henrici archiepiscopi Senonensis praescripti sunt, procederetis, et aliàs prout in binis eiusdem Innocentii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis, unis quidem die XXII decembris MDCLIII, alteris vero die XXVI octobris MDCLIV expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis haberi volumus, uberius continetur.

Praedictas commissionum litteras servari mandat hic Pontifex.

§ 5. Cum autem, sicut nobis innotuit, eaedem Innocentii praedecessoris litterae nondum fuerint effectum sortitae, nos, illas executioni demandari volentes, vobis septem, fratres archiepiscopi et episcopi, per praesentes apostolicâ auctoritate committimus et mandamus, ut vos, coniunctim vel separatim, non tamen in minori numero quam duo, ad verificationem epistolae dicti Ludovici Henrici archiepiscopi Senonensis, et aliorum in primodictis litteris contentorum, necnon dictarum epistolarum pastoralium per eosdem Nicolaum Bellovacensem et Gilibertum Convenarum episcopos, ut praemittitur, publicatarum, ac ordinationis praefatae eiusdem Nicolai episcopi Bellovacensis, servatâ formâ in binis dicti Innocentii praedecessoris litteris huiusmodi praescriptâ, iisdem modis et terminis, qui in eisdem litteris praescripti sunt, procedatis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Innocentius praedecessor in dictis binis suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 maii 1655, pontif. anno I.

IV.

Committitur archiepiscopo Panormitano, ut interponat auctoritatem Sanctitatis Suae obligationi factae anno MDXLVIII *in comitiis trium statuum regni Siciliae de solvendo, et forsan solutioni iam factae, per clerum dicti regni regi catholico de certis pecuniarum summis* donativo ordinario *nuncupatis*[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Alexander Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod (cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata, regni Siciliae ultra Pharum, cuius ipse Philippus etiam rex existit, quibusdam rationabilibus de causis eorum animos moventibus, de mense octobris MDCXLVIII de offerendo eidem Philippo regi ac dicti regni proregi tunc existenti certas pecuniarum summas *donativum ordinarium* nuncupatas, sub certis terminis, modoque et formâ exigendas inter se tractaverint, ipsique status obtulerint ac respective prorogaverint eidem regi subsidium ordinarium huiusmodi; scilicet scuta quadringenta quinquaginta millia solvenda unicâ vice infra novem annos inchoandos a fine aliorum novem annorum ad quos simile subsidium aliàs concessum sive prorogatum cum huius sanctae Sedis licentiâ seu approbatione fuit, ad rationem quinquaginta millium quolibet anno, pro manutentione sex triremium ad defensionem ipsius regni; alia scuta centum quinquaginta millia solvenda spatio trium annorum a kalendis septembris eiusdem anni MDCXLVIII in-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cipiendorum, ad rationem quinquaginta millium quolibet anno, pro defensione et manutentione dicti regni; alia scuta quinquaginta millia infra praedictum triennium solvenda pro muniendis civitatibus et terris dicti regni; alia viginti quatuor millia scuta pro constructione et reparatione pontium eiusdem regni solvenda infra idem triennium; alia viginti millia scuta de duodecim tarenis pro quolibet scuto infra triennium solvenda pro restauratione palatiorum regiorum praedictae insulae; alia decem millia scuta pro restauratione et custodiâ turrium in eodem littore maris existentium; et alios bis mille quingentos ducatos monetae Hispaniarum annuatim dicto triennio, et sic in totum septem mille et quingentos ducatos monetae huiusmodi, pro solvendis affictibus domorum, quas in oppido Matriti inhabitant ministri Consilii Italiae; necnon quinque millia florenorum monetae Siculae pro unâ vice, quando celebratur parlamentum generale, pro expensis aliquorum ministrorum qui assistunt et navant operam in directione et dispositione eiusdem parlamenti, solvenda) venerabiles quoque fratres archiepiscopi, episcopi ac tunc existens archimandrita et aliae ecclesiasticae personae dicti regni certam ratam, non excedentem sextam partem solvendorum, ut praemittitur, sponte suâ in eisdem comitiis, accedente tamen ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo praesertim quod per Lateranense consilium novissime celebratum diversasque alias canonicas sanctiones sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis etiam sponte offerentibus aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, dictus Philippus rex ac eius regni illius ministri dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas huiusmodi incurrere, et forsan incurrisse: nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, pro suâ et dictorum ministrorum ac proregis praefatorum conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur.

Auctoritatem suam pro exequutione interponit Pontifex. § 3. Nos igitur, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et praesertim felicis recordationis Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clementis VIII, Pauli etiam V, Gregorii XIV, Clementis VIII, Pauli etiam V, Gregorii XV, Urbani etiam VIII et Innocentii X vestigiis in hac re inhaerentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis cleri seu archiepiscoporum, episcoporum et aliarum ecclesiasticarum personarum secularium et cuiusvis ordinis regularium dicti regni consensu, et quod reliqui vel reliquae personae non consentientes vocati et vocatae fuerint, oblationi et promissioni, necnon solutioni, per archiepiscopos, episcopos et archimandritam et alias personas ecclesiasticas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem, vigore praesentium interponas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas huiusmodi, etiamsi sint de illis, quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint[1], ad solutionem eorum ratae opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, aliisque

1 Edit. Main. legit *fuerit* (R. T.).

ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos ut praemittitur oblatam et promissam, persolvere, ac dictus Philippus rex et eius ministri dictusque prorex eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedas et indulgeas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, aliasque personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint et solverint, necnon eumdem Philippum regem, eiusque ministros et proregem praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvas et absolutos fore censeas et declares; et quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus, loco pensionum, fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem, in omnibus et per omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, et quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio caritativo, et quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infideles et reipublicae christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque cotemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus) teneantur et efficaciter obstricti sint, ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandritae, aliaeque personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus apostolicâ auctoritate assignatis gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter ac quacumque fictione cessante persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodnm penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento ac censurarum et mandati executivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum et hac vice

dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Excipiuntur ab hac solutione pauperes ecclesiastici.

§ 4. Ceterum, volentes providere, ne pauperes ecclesiastici ad[1] contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittas.

Exactio per ecclesiasticos deputatos facienda.

§ 5. Volumus autem, quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas a dicto Philippo rege seu prorege praedicto nominandas et per te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis (quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent); quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et[2] personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

In contravenientes censurae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii 1655, pontif. anno I.

Donativum ordinarium regni Siciliae anni MDCLV[3] *pro rege catholico.*

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Alexander Papa VII, etc. Exponi nobis nuper fecit, etc. *(Vide residuum ut supra).* Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Donativum ordinarium regni Siciliae anni MDCLIV[1] *pro rege catholico.*

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Alexander Papa VII, etc. Exponi nobis nuper fecit, etc., *(ut supra)* sub datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCLV, anno I[2].

Donativum ordinarium regni Siciliae anni MDCLVIII *pro rege catholico, cum absolutione.*

Venerabili fratri archiepiscopo Montis Regalis, Alexander Papa VII, etc. Exponi nobis nuper fecit, etc. *(ut supra)*, sub datum die VI decembris MDCLVIII, anno IV.

Donativum ordinarium regni Siciliae pro rege catholico, cum conditione, quod duae perpetuae pensiones annuae, una duo millium ducentorum super Cathaniensi, et altera millium octingentorum scutorum monetae Siciliae super Mazariensi mensis episcopalibus, ad favorem operis pii in basilicâ S. Mariae Maioris de Urbe a dicto rege fundati reservatae, excipiantur ab onere huiusmodi donativi.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Alexander Papa VII. *Exponi nobis*, etc., sub datum die IV septembris MDCLXII, anno VIII.

Donativum ordinarium regni Siciliae pro rege catholico.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano, Alexander Papa VII. *Exponi*, etc., sub datum die VIII aprilis MDCLXV, anno X.

1 Forsan legendum *ob* pro *ad* (R. T.).
2 Deest vox *sigillo* (R. T.).
3 Forsan legendum *1656* (R. T.).

1 Videtur [illegible]ndum *1656* vel *1657* (R. T.).
2 Ni leg[illegible] *1656*, an. II (R. T.).

V.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur concionatoribus et confessariis regum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae Aquitaniae antiquioris nullum ius fuisse quaesitum per Breve Urbani VIII, quo abrogata fuerunt privilegia personalia fratribus dicti Ordinis concessa, exceptis imperatoris et regum confessariis et concionatoribus, sed tantum ea privilegia praeservata, quae, vigore constitutionum Ordinis, vel indultorum apostolicorum, aut cardinalis protectoris, eis antea competerent[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum aliâs a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro per suas in simili formâ Brevis die XXIII iulii MDCXXXIX expeditas litteras omnia privilegia personalia quibusvis fratribus Ordinis praedicti, exceptis imperatoris ac regum confessariis et concionatoribus, tam a Romanis Pontificibus quam a sanctae Romanae Ecclesiae cardinale eiusdem Ordinis apud Sedem Apostolicam protectore concessa, abrogata fuissent, ortâ postmodum contentione, an virtute talis exceptionis competeret praedictis imperatoris et regum confessariis et concionatoribus ius ingrediendi definitorium, in eoque suffragandi, capitulum generale dicti Ordinis Romae de anno MDCLI celebratum, ad quod res fuerat delata, decrevit et statuit praedictos confessarios et praedicatores patres provinciae quoad titulum paternitatis et praecedentiam dumtaxat sine iure suffragandi existere si actu exercerent talia munera, non vero si nomine terris[1]. Et quia, hoc non obstante, nonnulli fratres provinciae praedictae in congregatione habitâ Tolosae anno proxime elapso, sub praetextu quod essent concionatores seu confessarii carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi, definitorium ingredi in eoque suffragium ferre praetenderint, habito per exponentem eâ super re ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negociis episcoporum et regularium praepositos recursu, emanavit ab iisdem cardinalibus decretum tenoris sequentis, videlicet: « Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, censuit concionatoribus ac confessaris regum huiusmodi nullum ius fuisse quaesitum per praenarratum Breve felicis recordationis Urbani VIII, sed tantum ea privilegia praeservata, quae, vel vigore constitutionum Ordinis, vel indultorum apostolicorum, aut cardinalis protectoris, eisdem antea competerent ». Decretum.

Romae, XXX aprilis MDCLV.

M. cardinalis GINETTUS.

H. archiepiscopus Petracensis, *secr.*

Confirmari a Pontifice decretum petitur. § 2. Cum autem ea firmiora sint, quibus apostolicae auctoritatis robur accedit, idcirco nobis idem minister provincialis humiliter supplicari fecit, ut decretum praeinsertum confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex. § 3. Nos igitur, dictum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti,

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Legendum *tenus* pro *terris* (R. T.).

aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum cardinalium praedictorum decretum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus.

Et observari mandat. § 4. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 maii 1655, pontif. anno I.

VI.

Revocatio Brevis Urbani VIII, quo cavetur, ut baccalaurei provinciarum Italiae Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Romam magisterii in sacrâ theologiâ suscipiendi causâ venire ac inibi in praesentiâ cardinalis protectoris et prioris generalis dicti Ordinis examinari debeant, necnon restitutio priori generali eiusdem Ordinis facultatis promovendi dictos baccalaureos ad magisterium in iisdem statu et terminis in quibus illa ex constitutionibus Ordinis ei competebat antequam emanaret Breve praedictum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex, gregis dominici sibi divinitus commissi utilitatibus iugiter invigilans, nonnulla a praedecessoribus suis secundum temporum conditionem consulto facta, si postmodum experientiâ rerum magistrâ inutilia potius et damnosa esse comperiuntur, interdum revocat, prout, rerum, personarum et locorum qualitate mature perpensâ, conspicit in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Sane pro parte dilecti filii Marii Venturini, Ordinis fratrum S. Mariae de Monte Carmelo prioris generalis nobis nuper expositum fuit, quod aliàs quondam Theodorus Stratius, eiusdem Ordinis tunc prior generalis, a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro ordinari obtinuit, ut, quicumque fratres provinciarum Italiae dicti Ordinis in sacrâ theologiâ baccalaurei ad magisterii in eâdem sacrâ theologiâ gradum adspirarent, illum suscipere nequaquam possent nisi Romae in praesentiâ existentium pro tempore cardinalis apud Sedem Apostolicam protectoris et prioris generalis Ordinis huiusmodi examinati fuissent, et aliàs prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis plenius continetur.

Enarrantur incommoda huius ordinationis. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex plurium annorum experientiâ constet ordinationem huiusmodi, ob ingentium expensarum et incommodorum onera, quae eosdem baccalaureos in itineribus praemissorum causâ ad Urbem accedendi indeque ad eorum conventus redeundi ergo peragendis, morâ-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

que in eâdem Urbe trahendâ, subire necesse est, aliasque ob causas, eidem Ordini summopere dispendiosam et noxiam existere: idcirco idem Marius prior generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annullat constitutionem Urbani praedecessoris.

§ 4. Nos igitur, fratrum provinciarum huiusmodi commoditati consulere eumdemque Marium priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem praedicti Urbani praedecessoris, ut fratres baccalaurei provinciarum Italiae Ordinis praedicti Romam gradus magisterii in sacrâ theologiâ suscipiendi causâ venire ac inibi in praesentiâ cardinalis protectoris et prioris generalis Ordinis huiusmodi pro tempore existentium examinari debeant, ac confectas desuper Urbani praedecessoris litteras praefatas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ex nunc in perpetuum revocamus, cassamus, irritamus et annullamus; ac eidem Mario nunc et pro tempore existenti dicti Ordinis priori generali facultatem promovendi ad magisterii in sacrâ theologiâ gradum fratres baccalaureos provinciarum praefatarum in iisdem omnino statu et terminis in quibus illa priori generali eiusdem Ordinis iuxta illius constitutionum a Sede Apostolicâ approbatarum dispositionem, antequam litterae Urbani praedecessoris, ut praemittitur revocatae, emanarent, quomodolibet competebat, et non aliter, auctoritate et tenore praedictis restituimus.

Praesentes validas declarat.

§ 5. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac dicto Mario eiusque successoribus dicti Ordinis prioribus generalibus et fratribus provinciarum huiusmodi plenissime suffragari, et ab illis et aliis quibuscumque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, cuiusvis status et conditionis fuerint, etiamsi cardinalatus fulgeant dignitate, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praedictis Urbani praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 iunii 1655, pontif. anno I.

VII.

Absolvit archiepiscopum Caesaraugustanum a censuris incursis, eo quia obli-

govit personas ecclesiasticas ad solutionem gabellorum onte obtentum beneplacitum apostolicum; illique mandat, ut communitotem et homines dictoe civitatis illorumque officioles et ministros absolvat a censuris et poenis incursis rotione exoctionis dictorum gabellarum ab ecclesiasticis ipsius civitotis et districtus[1].

Venerabili fratri
archiepiscopo Caesaraugustano,
Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Gabellae impositae ab archiepiscopo absque beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 1. Nuper tuo et dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Caesaraugustanae nomine nobis expositum fuit, quod (cum, durante peste quae eamdem civitatem eiusque districtum ab anno MDCXLVII usque ad annum MDCLIII afflixit, praeteritorum et tunc vigentium in illis partibus bellorum, indeque exortâ[2] penuriae ratione, civitas praedicta eo inopiae[3] redacta foret, ut ei non suppeteret unde necessariis pro amovendo contagio huiusmodi provisionibus seu aeris alieni eapropter contracti dissolutioni consuleretur, ipsique communitas et homines quasdam gabellas super rebus comestibilibus in eam causam impendendas in dictâ civitate eiusque districtu imponere intenderent) a te petierunt, ut, attento quod laicorum facultates ad praemissa non sufficerent, personas ecclesiasticas eorumdem civitatis et districtus in solutione gabellarum huiusmodi unâ cum laicis concurrere permitteres. Cumque tu, cognitâ praemissorum veritate, easdem ecclesiasticas personas unâ cum laicis praedictis in solutione earumdem gabellarum concurrere posse censuisses, et, inito a personis per te ac per communitatem et homines praedictos respective deputatis expensarum ex causâ eiusdem contagii factarum calculo, illas ad summam centum et quinquaginta sex millium ac octingentarum et quatuordecim librarum monetae illarum partium circiter, quae totidem scuta monetae romanae constituunt, in totum ascendere compertum fuisset; pro summae[1] huiusmodi collectione duae gabellae super farinâ et carne vendendis et[2] emendis in civitate et districtu praedictis impositae fuerunt, tuque et personas ecclesiasticas ad solvendum unâ cum laicis gabellas huiusmodi sine nostro et Sedis Apostolicae beneplacito obligasti, et de facto gabellae praedictae etiam ab ecclesiasticis exactae[3] fuerunt.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tu ac communitas et homines praedicti, ut in solutione gabellarum huiusmodi etiam personae ecclesiasticae licite concurrere possint, a nobis permitti, statuique vestro in praemissis opportune provideri summopere desideretis: nos, te ac dictos communitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, teque et eorumdem communitatis ac hominum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus tui necnon communitatis et hominum praedictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praeposi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Potius legerem *exortae* (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *inopia* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *summa* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *exacta* (R. T.).

Pontifex indicat non licuisse de praeterito.

torum consilio, non licuisse tibi ante obtentum beneplacitum praedictum cogere personas ecclesiasticas contribuere seu concurrere in solutione gabellarum huiusmodi, et multo minus illas exigere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus. Et nihilominus, attento quod causa, propter quam gabellae praedictae impositae fuerunt, etiam proprium commodum ecclesiasticorum concernit, fraternitati tuae per easdem praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi de narratis, et dummodo ad id cleri eorumdem civitatis et districtus in primis et ante omnia accedat assensus, personas ecclesiasticas, tam seculares quam cuiusvis ordinis regulares utriusque sexus, civitatis et districtus huiusmodi, ad solutionem praedictarum gabellarum super farinâ et carne, ut praefertur, impositarum, donec et quousque tanta exinde quantitas pecuniarum conflata fuerit, quae dissolutioni dictae summae centum et quinquaginta sex millium ac octingentarum[1] et quatuordecim librarum sufficiat, et non ultra, eâ lege, ut, quidquid ex gabellis huiusmodi percipietur, in solutionem summae huiusmodi et non in alios usus omnino impendatur, teneri et obligatos esse et fore, auctoritate nostrâ apostolicâ decernas. Praeterea te a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter consensum a te impositioni et exactioni gabellarum praedictarum quoad personas ecclesiasticas huiusmodi absque Sedis Apostolicae licentiâ praestitum, seu ex eo quod personas ecclesiasticas praedictas ad solutionem earumdem gabellarum coëgeris, quoquomodo incurristi, auctoritate et tenore praedictis absolvimus et totaliter liberamus. Ac tibi earumdem praesentium serie itidem committimus et mandamus,

Annuit de futuro.

Absolvit archiepiscopum et civitatem omnemque communitatem a poenis incursis.

ut communitatem et homines praedictos, eorumque officiales et ministros, et eorum singulos, si hoc a te humiliter petierint, a quibusvis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eos et eorum quemlibet, ex eo quod praedictas gabellas, super farinâ et carne, ut praefertur, impositas, etiam ab ecclesiis et ecclesiasticis personis civitatis et districtus huiusmodi, antequam nostra et Sedis Apostolicae licentia desuper accederet, exegerunt, seu exigi fecerunt, respective incursis, impositâ ipsis et eorum singulis arbitrio tuo poenitentiâ salutari, et dummodo omne id quod hactenus ex eisdem gabellis exactum fuit in diminutionem summae centumquinquagintasex millium, octiagentarum[1] et quatuordecim librarum huiusmodi integre cedat, eâdem auctoritate nostrâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas eis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

Praesentes litteras confirmat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Finem gabellae constituit.

§ 4. Volumus autem, ut, statim atque praedicta summa conflata fuerit, personae ecclesiasticae illico ab ulteriori solutione gabellarum huiusmodi cessent et abstineant, nec ab illis eo nomine quidquam amplius exigi possit, sub poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis in contrafacientes inflictis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis; quodque tu poenitentiam, quam tibi sacerdos idoneus propter praemissa imposuerit, omnino adimplere tenearis, alioquin praesentes tibi

1 Edit. Main. legit *octingentorum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *octingentorum* (R. T.).

quoad absolutionem huiusmodi in foro conscientiae nullatenus suffragentur.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon maioris et aliarum quarumvis ecclesiarum, ac monasteriorum, illorumque ordinum, necnon aliorum locorum piorum civitatis et districtus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iunii 1655, pontif. anno I.

VIII.

Confirmatio dismembrationum a prioratu S. Ægidii linguae Provinciae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et novarum commendarum erectionum[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem, illa, quae personarum ecclesiasticarum, praesertim quas religionis zelus praeclaraque fortitudinis, pro tuendâ contra infideles christianâ religione pericula cuncta aspernentes, aliarumque virtutum merita exornant, commoditati consulendi ac bonorum ad regulares militias spectantium statum prospere disponendi ergo provide facta esse cognoscit, apostolicae confirmationis praesidio communire.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores linguae Provinciae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod aliàs dilecti pariter filii fratres linguae praedictae a prioratu S. Ægidii eiusdem linguae diversa bona redditus annui novem millium librarum monetae illarum partium dismembraverunt, ac ex iis duas praeceptorias seu commendas, singulas redditus annui quatuor millium et quingentarum librarum huiusmodi, pro fratribus dictae linguae erexerunt, necnon duo membra de Lugan et de Plantet respective nuncupata ab eorum capitibus separarunt, ac ex illis simul unitis unam praeceptoriam seu commendam eiusdem linguae pariter instituerunt, diversaque alia membra a praeceptoriis seu commendis, a quibus pendebant, etiam separarunt, et aliis praeceptoriis seu commendis incorporarunt, et nonnullas etiam praeceptorias seu commendas linguae huiusmodi inter se univerunt; quae omnia dilecti etiam filii, Ioannes Paulus Lascaris Castellar magnus magister, et conventus dicti hospitalis, subinde approbarunt; et aliàs, prout uberius continetur in deliberatione eiusdem linguae ac decreto dictorum Ioannis Pauli magni magistri et conventus desuper respective emanatis, tenoris qui sequitur, videlicet:

« Frater Ioannes Paulus Lascaris Castellar, Dei gratiâ sacrae domus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani et militaris ordinis S. Sepulchri Dominici magister humilis, pauperum Iesu Christi custos, universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris salutem. Notum facimus et in verbo veri-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tatis attestamur, qualiter infrascripta bulla
Sic. extracta * foere[1] ex libro bullarum in cancellariâ nostrâ conservato, in quo similes notari et registrari solent; quam quidem in hanc publicam formam extrahi et redigi iussimus, ut ubique, tam in iudicio quam extra, eidem plena et indubitata fides adhibeatur, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Frater Ioannes Paulus Lascaris Castellar, Dei gratiâ sacrae domus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani et militaris Ordinis S. Sepulchri Dominici magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos, et nos conventus domus eiusdem, universis et singulis praesentes nostras litteras visuris, lecturis et audituris, salutem in Domino et prosperos ad vota successus. Æquum, atque rationi consonum est, ut ea, quae per religiosos fratres nostros pro eorum decore, utilitate et commodo, ac commendarum et iurium Ordinis nostri incremento facta esse dignoscuntur, approbemus, ratificemus et confirmemus, ut quae[2] illibata permaneant, suumque debitum sortiantur effectum, nostri muniminis adiicimus firmitate. Sane procuratores nostrae venerandae linguae Provinciae infra insertam ipsius venerandae linguae deliberationem super dismembratione et unione membrorum, honorum, ac reddituum a prioratu nostro S. Ægidii et commendis dictae linguae pro erectione et institutione commendarum seu praeceptoriarum pro cabimentis et melioramentis status fratrum militum, de communi consensu eiusdem venerandae linguae, nemine dissentiente, editam, nobis humiliter exhibuerunt, debitâ cum instantiâ petentes illam confirmari, approbari et ratificari ad praescriptum eiusdem et deliberationis, cuius tenor fuit et est qui sequitur:

1 Legendum *fuerit* vel *fuit* (R. T.).
2 Potius lege *utque* (R. T.).

« L'an mil sixcens cinquante quatre, et le ventun jour du mois de may, par cange et licence de S. E. frère Jean Paul de Lascaris Castellar, digne grand maistre de l'Ordre de S. Iean de Hierusalem et du S. Sepulchre di N. S. S., est tenue la venerable langue de Provence, président en ici le Ill.me M. le grand commandeur frère Denis de Palastron Laillière commendeur de S. Luce et de la cavallerie, le quel par une bonté et génerosité sans exemple, et de son propre mouvement, y ayant neusans[1] passer, qu'il tient l'auberge avec despence, que chacun sçait, presse[2] de compassion de voir qu'il y a des commendeurs dans la mesme langue, qui à cinquante six ans d' antienneté ne sont pas admeilleuris, et que les chevaliers vont à quarantecinque ans d'antienneté, pour prendre le plus souvent une chettive commenderie de chevissement, a très humblement supplié Son Eminence de trouver bon qu'on praine les moyens de desmembrer le prieuré de S. Gilles par dessus le précédent desmembrement, qui a esté fait, de neuf mille livres de rente en biens fonts, pour en faire deux commenderies au profit et avantage des pauvres chevaliers, qui ont attendu si long temps; et quoy qu'il aye le principal interest en ce desmembrement, il appreuve et desire de tout son coeur, qu'il soit executé, et quand il seroit en la réelle iovissance du dit grand prieuré il en fairoit tout de mesme, ayant beaucoup plus d'estime pour le benefice public, que pour le sien propre. Son Eminence a donc benignement donné les mains à ce, que se proget feust suivy, et permit, qu'on tient langue pour deliberer des voyes et moyens les plus certaines pour le faire bien réussir, ce qui a esté exécuté, et en icelle vénérable langue se sont levez mes-

1 Textum referimus, prout est (R. T.).
2 Potius lege *pressé* (R. T.).

sieurs les commendeurs frère François de Marsliviers, frère Antoine de Pougel, S. Marc, et frère Iean Iacques de Verdellin, et les chevaliers frère François de Tresemaines Chastueil Brunet, frère François des comptes de Vintemille Mompesat, et frère Honoré de Rabasse Vergons, les quels ont fait la relation suivante: Ill.^{me} monsieur et messieurs, la commission nous ayant esté donnée par une collecte générale pour voir de trouver quelques expédiens pour soulager la misère des freires, et remédier s'il se pouvoit à la longue attente qu'ils font d'une commenderie, la première chose, que nous avons fait pour nous acquitter de notre commission, c'est de nous addresser a monsieur le grand commendeur, comme à celuy, au quel raisonablement nous devions rencontrer le plus de difficulté, puisque il se traitoit de lui oster un bien, qui vient immédiatement à luis toucher après avoir tenu si long temps l'auberge; mais bien loing de l'avoir trouvé difficile, nous l'avons trouvé si plain d'amour pour la vénérable langue, que non seulement il a consentit à tout ce que nous luy demandions, mais a voulu luy mesme remédier aux difficultés, que nous rencontrions, avec tant de bonté et d'affection pour le bien et avantage des frères, que nous sommes d'advis, que cella soit escripte dans le libre de la vénérable langue, affin, qu'à tout jamais on y voit les obligations, que tous les frères luy ont, n'estant à notre pouvoir de luy tesmoigner notre ressentiment d'autre façon. Ayant donc trouvé la facilité, que vous avez ouvy au dit seigneur grand commendeur, nous avons esté enfin, après diverses assemblées, tous d'un commum consentement d'accord. Premièrement, qu'on prendra du grand prieuré de S. Gilles à sa première vacance neuf mille livres de rente en biens fonts, sçavoir le petit mas, et la petite cabane d'Argense, l'istel, et les terres des Merles, ou autres terres les plus comodes, si besoin serà, iusques à la concurrence, valeur, et estime des dictes neuf mille livres, des quelles s'en faire deux commenderies de quattre mille cinq cent livres de rente chacune pour messieurs les chevaliers, et pour cet effect il serà nommé des commissaires personnes intelligentes affin qu'ils voint la valeur des dictes biens et terres, et qu'ils facent la division des dictes deux commenderies, les quelles peyeront au *pro rata* les charges ordinaires. Il se fairà aussy une commenderie du membre de Lugnan dependent de la commenderie la Tronquière et du membre de Plantet dependent de la commenderie de Monsaunez, à leur première vacance ioinctz ensemble, et en cas que l'un vienne à vacquer premier que l'autre le daufin et prèmier antien capax iouirà de celuy qui vacquerà, le quel cependant il serà tenu de reparer, et entretenir, comme bon père de famille, sans que pour tant celà luy puisse tenir lieu de chevissement fortz que iusques à ce que tous deux soient unis ensemble. Le membre de Pignefort, dependent de la commenderie de Comps, serà uni à sa première vacance à la commenderie de Nice; le membre de S. Iean de Barraut en Basque, dependent de la commenderie d'Arcins, serà uni a sa prémiere vacance à la commenderie de Morlans; les moulins de Bellegarde seront unis au membre de Bellegarde, en tant que de besoin, et lorsque le membre de Barbantane viendrà à vacquer, et par conséquent s'unirà à la commenderie de Ciroles, alors la dicte commenderie de Ciroles à sa première vacance s'unirà à la commenderie de Vallance, pour la quelle remplaçer l'on joindrà au membre de Bellegarde et Barbantane le membre

de Soliers, dependent de la commenderie de Mompellier, des aussytost, que viendrà à vacquer la dicte commenderie, prendrà le titre de la commenderie de Barbantane en payant au *pro rata* les charges et impositions ordinaires. Enfin nous sommes d'advis qu'il se face toutes les poursuites requises et necessaires pour rendre valable et irrevocable le susdict desmembrement et union des membres susciptes en la forme marquée cy dessus, et en faire les poursuittes par toutes les voies dites et necessaires. Ce qui entendu par tous les seigneurs de la dicte venerable langue ont estè d'advis et de l'opinion des susdictes seigneurs commissaires, et ont approuvè et consenty au susdicte desmembrement et union des dictes membres en la forme cy dessus, le tout ayant estè deliberé par voix et ballottes, *nemine discrepante*. Les procureurs de la venerable langue de Provence, le commendeur de Vallence Guarrane, le chevalier de Causans. Estraict du livre de la vénérable langue par moy secretaire d'icelle, frère Dannes Pre et secrétaire.

Approbatio et confirmatio deliberationis venerabilis linguae Provinciae.

§ 2. Quapropter, laudabilibus obseqniis fratrum militum praedictae venerabilis linguae, eorumque commoditatibus et promotionibus prospicientes, votoque annuentes, invicem maturo et deliberato consilio, de nostrâ certâ scientiâ, auctoritate ordinariâ huius sacri conventus, qua fungimur, indultis apostolicis suffulti, omnique alio meliori modo, viso etiam consensu, tam per praelibatum nostrum magistrum, quam per venerandum religiosum in Christo nobis praeclarissimum fratrem Dionisium de Pollastron Lailliere, nostri Ordinis magnum commendatarium, specialem expectativam et antianitatem ad prioratum praedictum S. Ægidii babentem, ad hunc effectum expresse coram nobis hodie praestito, et sine praeiudicio praeceptorum, a quorum commendis membra et bona, de quibus agitur, disgregata et unita dependent, praeinsertam deliberationem praefatae nostrae venerandae linguae Provinciae approbantes et confirmantes, decretas in eâ dismembrationes et uniones, atque commendarum erectiones, iuxta formam et tenorem eiusdem deliberationis, et sub modis, declarationibus et conditionibus itidem[1] contentis et expressis, facimus, segregamus, unimus, erigimus et instituimus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, illasque debitae exequutioni, suo tempore, observatâ dispositione praemissae deliberationis, demandari volumus, decernimus et ordinamus, salvis tamen ac reservatis semper omnibus et quibuscumque iuribus nostri communis aerarii impositis et imponendis, ac mortuariorum et vacantium, ita ut iis nullatenus quovis tempore aliquod praeiudicium generatum censeatur. Praecipientes universis et singulis dictae domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate, officioque fungentibus, praesentibus et futuris, in virtutae sanctae obedientiae, ne contra praesentes nostras confirmationis, unionis, dismembrationis et erectionis litteras aliquatenus facere vel venire praesumant, sed eas stndeant inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea praesentibus est appensa. Datum Melitae in conventu nostro die XXVIII mensis maii MDCLIV. Et quia ita se babet veritas, factâque fideli cum originali collatione, concordare comperimus; ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro, die XXVIII mensis maii MDCLIV. Registrata in cancellariâ.

Frater Ioannes Franciscus Habela,
vicecancellarius.

Loco ✝ sigilli.

1 Forsan *ibidem* legendum (R. T.).

Addit apostolicae confirmationis vim.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes praemissa, pro firmiori eorum subsistentiâ et validitate, confirmationis apostolicae patrocinio roborari summopere desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas dismembrationes, uniones, incorporationes, erectiones et alia praedicta, necnon deliberationem et decretum praeinserta, cum omnibus et singulis quomodolibet contentis in illis, sine praeiudicio tamen illorum qui bona dismembrata huiusmodi possident, respective, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, eâdem auctoritate supplemus.

Praesentes validas declarat.

§ 4. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, illisque respective suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac omnia eiusdem hospitalis tribunalia, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria reiicit.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de exprimendo vero valore in unionibus et dismembrationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure expressis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum hospitalis et linguae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 iunii 1655, pontif. anno I.

IX.

Facultas archiepiscopo Strigoniensi absolvendi Parthemium, electum episcopum Ruthenorum Munchak et in aliis Hungariae locis degentium, a censuris et suspensionibus per eum incursis, quia a tribus episcopis schismaticis consecratus fuerit [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Strigoniensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concedit archiepiscopo facultatem absol-

§ 1. Cum tu felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessori nostro, eo-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

vendi Parthemium. que defuncto nobis ad summi apostolatus culmen assumptis humiliter supplicaveris, ut Parthemium Ruthenum catholicum sacerdotem Ordinis sancti Basilii, electum episcopum Ruthenorum degentium Munchak et in aliis locis Hungariae, confirmare dignaremur, et cum eo benigne dispensare, ut, non obstante quod fuerit a tribus episcopis schismaticis consecratus, possit pontificalia ac alia ordinis sui munera exercere; re in congregatione supremae et universalis inquisitionis coram nobis habitâ mature discussâ, auditisque votis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium adversus haereticam pravitatem in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum, ac de eorumdem consilio, ut praedictus Parthemius in salutem animarum sibi creditarum et maiori zelo ac sollicitudine in conversionem haereticorum et schismaticorum incumbere valeat, fraternitati tuae, de cuius rectitudine et prudentiâ in Domino confidimus, Parthemium praefatum, si hoc a te humiliter petierit, impositâ ipsi pro praemissis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, a quibusvis censuris ac suspensionibus per eum incursis absolvendi, et cum eo super quacumque irregularitate occasione praemissorum forsan contractâ, et ut pontificalia ac alia ordinis et iurisdictionis episcopalis munera in Ruthenos ritus graeci tam Munchak quam in aliis regni Hungariae locis per te designandis degentes exercere possit et valeat benigne dispensandi, facultatem super praemissis necessariam et opportunam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliiis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 8 iunii 1655, pontif. anno I.

X.

Creatio quadraginta et unius adolescentulorum nobilium seu puerorum honorariorum in comites palatinos et auratae militiae equites occasione solemnis equitationis a Vaticano ad ecclesiam Lateranensem[1].

Dilecto filio Iosepho Costasio Romano,
Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Ex Romani Pontificis beneficentiâ provenire dignum est, ut, qui erga illum devotionis et obsequiis signa demonstrant, iidem ab ipso Romano Pontifice honoribus et gratiis decorentur.

Iosepho Costasio omnia privilegia et indulta equitibus aliis concessa impartitur. § 1. Cum itaque, dum[2] nuper in solemni equitatione, qua nos insigni sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, antistitum, procerum ac officialium, ordinumque Romanae curiae comitatu pompâ celebri et quadraginta ac unius adolescentulorum nobilium seu puerorum honorariorum ad latus nostrum adstantium coronâ stipati patente leticâ e palatio nostro Vaticano ad ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, ut moris est, processimus, tu unus e quadraginta et uno adolescentulis sive pueris honorariis huiusmodi extiteris: nos propterea, ut aliquod paterni nostri affectus in famitiâ tuâ extet monimentum, te peculiari benevolentiae nostrae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Particulam *dum* nos addimus (R. T.).

modolibet innodatus existis, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac merâ liberalitate nostris, te auratae militiae equitem, et aulae Lateranensis et palatii apostolici comitem, tenore praesentium, facimus et creamus, teque aliorum equitum et comitum huiusmodi numerum et consortio favorabiliter aggregamus, tibique ut torquem aureum et ensem ac aurata calcaria gestare, necnon omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii equites et comites huiusmodi de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas) uti, frui et gaudere libere et licite valeas, praesentium eorumdem[1] tenore concedimus et indulgemus.

Contraria rejecit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 iunii 1655, pontif. anno I.

Similis pro singulis aliis pueris honorariis iuxta notulam sequentem.

Nomina et cognomina quadraginta ac unius adolescentulorum nobilium, seu puerorum honorariorum, qui in solemni equitatione a Vaticano ad ecclesiam Lateranensem Sanctissimo inservierunt, videlicet:

Alexander Marescottus.
Ioannes Baptista Gottifredus.
Marius de Vetera.
Leonidus Ursinus.
Antonius Patriarca.
Philippus Maria Carduccius.
Ioannes Paulus de Gasparis.
Pirrus Albericius.
Iulius de Nobilibus Vetelleschius.
Lucas Antonius Eustachius.
Ioseph Ferentillus.
Paulus Nicolaus Venierius.
Aloysius Tholomeus.
Michaël Angelus Toatus.
Franciscus Antonius Vitalis.
Paulus Bernenus.
Franciscus Ferdinandus.
Antonius Cerrus.
Gaspar de Anibalis de Molaria.
Clemens Mattheius.
Alexander de Maximis.
Ioannes Iacobus Arigonus.
Augustinus Antonius Fumeus.
Franciscus Ursinus.
Ioseph Costasius.
Laurentius Vellius.
Philippus Serlupius.
Iulianus Butius.
Iulianus Ursinus.
Vincentius Columna.
Eugenius Mutus.
Gaspar Brigus.
Ioseph Buccapadulius.
Archangelus Mandosius.
Fabritius Vallatius.
Dominicus Arigonus.
Iulius Pegna.
Petrus Cremona.
Ioannes Baptista Ansaldus.
Antonius Botticellus.
Ioseph Martolus.

[1] Aptius lege earumdem (R. T.).

XI.

Commissio episcopo Chiensi ad capiendas informationes super excessibus archiepiscopi Naxiensis[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri episcopo Chisnet,
Alexander Papa VII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem archiepiscopo Chiensi de capienda informatione super excessibus archiepiscopi Naxiensis.

§ 1. Pervenit ad aures nostras, quod venerabilis frater archiepiscopus Naxiensis non bene suo pastorali officio fungatur, imo, quod contra ius et iustitiam cum scandalo catholicorum et schismaticorum varios in officio defectus commiserit, plurimaque gravamina tam ecclesiasticis quam laicis intulerit. Quapropter, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem ex vicinioribus episcopis ad capiendas super praemissis informationes transmittendum fore rati, de tuâ fide, prudentiâ, rerum agendarum peritiâ et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut tamquam visitator apostolicus specialiter ad hoc a nobis delegatus diligentes super iisdem praemissis informationes omni meliori modo et viâ capias, illasque in scriptum authenticum redactas et sigillo tuo munitas ad congregationem eorumdem cardinalium transmittas, ut opportuna imminentibus malis remedia in populi illius consolationem et animarum salutem praeberi possit.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae Naxiensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iunii 1655, pontif. anno I.

XII.

Cardinalibus et aliis ecclesiasticis, qui intersunt et pro tempore intervenient congregationi consultae, conceditur licentia se immiscendi in criminalibus[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Conscientiae securitati omnium et singulorum personarum ecclesiasticarum, etiam in sublimi S. R. E. cardinalatus, ac episcopali, seu aliâ dignitate ecclesiasticâ, ac sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutarum, ec quaecumque beneficia ecclesiastica obtinentium, quae congregationi consultationibus negociorum ditionis temporalis eiusdem S. R. E. praepositae intervenire seu interesse solent seu debent, ac pro tempore intervenirent[2] seu intererunt, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, omnibus et singulis personis huiusmodi, ut in quibuscumque negociis et causis criminalibus, quae et quas in congregatione praedictâ tractari contigerit, se immiscere, in illisque votum, consilium, ac mandata et iussiones, tam verbo quam in scriptis dare et debitae executioni de- Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Videtur legendum *intervenient* (R. T.).

mandare, seu demandari facere, etsi sanguinis effluxio, membrorumque mutilatio, aut etiam mors inde sequatur, libere et licite, absque ullâ irregularitate aliarumque censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, possint et valeant, dummodo a sententiâ in causâ sanguinis per se ipsos ferendâ omnino abstineant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, necnon easdem personas et earum quamlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas ratione praemissorum hactenus incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel praetendi possit, auctoritate et tenore praedictis absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas illis et eorum cuilibet gratiose condonamus, ac cum eis et eorum quolibet super quacumque irregularitate per eos eapropter quomodolibet contractâ eisdem auctoritate et tenore dispensamus.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 iunii 1655, pontif. anno I.

XIII.

Confirmatio determinationis capituli generalis congregationis Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium nuncupatorum Hispaniarum super suppressione electionis procuratorum cuiusvis monasterii dictae congregationis illius capitulis generalibus interesse solitorum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum apostolatus officium nobis, nullo licet meritorum suffragio per abundantiam divinae bonitatis collatum exercentes, personarum ecclesiasticarum sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatarum commodis sedulo intendimus, ac illis, quae earumdem personarum quieti et regularis observantiae conservationi consulendi studio provide facta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem. Prooemium.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis generalis et definitorii congregationis Hispaniarum Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, quod quadam eiusdem congregationis constitutione unâ cum ceteris ipsius congregationis concessionibus per Sedem Apostolicam confirmatâ cavetur expresse, ut in singulis monasteriis dictae congregationis per Castellae veteris et novae ac Navarrae regna constitutis singuli procuratores respective eligantur, qui monasteriorum huiusmodi nomine in capitulis generalibus eiusdem congregationis pro tempore interveniant, votumque inibi obtineant. Ex cuius constitutionis observatione cum multa et notabilia inconvenientia et damna congregationi praedictae hactenus, et in specie in eius novissimo capitulo generali de mense maii anni proxime praeteriti celebrato, fuerint consecuta; idem capitulum generale, damnis et inconvenientibus huiusmodi occurrendi ergo, reservato nostro et Sedis praefatae beneplacito, electiones procuratorum praefatorum in futurum suppressit, ita ut procuratores huiusmodi de cetero eligi nullatenus possint, sed in capitulis generalibus eiusdem congregationis pro tempore celebrandis ceteri vocales, qui secundum

In capitulis generalibus dictae congregationis solus vocales intervenire praecipit.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

constitutiones praefatas voti praerogativâ in illis gaudent, dumtaxat intervenire debeant.

Confirmat determinationem capituli generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes determinationem eiusdem capituli generalis super praemissis emanatam, pro firmiori illius observatione et subsistentiâ apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatam determinationem dicti novissimi capituli generalis, per quam electiones procuratorum huiusmodi in futurum supprimuntur, ita ut illi de cetero nullatenus eligi possint, sed in capitulis generalibus eiusdem congregationis pro tempore celebrandis ceteri vocales, qui ex constitutionibus praedictae congregationis voti praerogativâ in illis gaudent, dumtaxat intervenire debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praesentes confirmat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis eiusque monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 iunii 1655, pontif. anno I.

XIV.

Confirmatio statutorum universitatis artis aurificum de Urbe[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Paulus Cangianus, consul et camerarius, ac Nicolaus de Martino, Marchionus Albinus et Hieronymus Saxus, consules, ac alii officiales et deputati universitatis artis aurificum de Urbe, quod ipsi omnia et singula statuta, aliàs pro facili dictae uni-

[1] Artium consules earum statuta observare debere praescripsit Pius IV in eius Const. LXXI, § 72, tom. VII, pag. 222; non possunt reassumere causas mercedum et miserabilium personarum a maioribus magistratibus, ibid. § 73.

versitatis regimine condita et aucta, ac a felicis recordationis Iulio II, Gregorio XIII, Paulo V et Innocentio X Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmata, quo[1] firmiora persistant et ab omnibus arctius observentur, apostolicae nostrae confirmationis praesidio communiri summopere desiderant.

A censuris absolvit. § 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statute praedicta, ac declarationes desuper in plenâ dictae universitatis congregatione postmodum factas, dummodo tamen in usu, ac licita sint et honesta, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, cameraeque nostrae apostolicae iuribus non praeiudicent, et monopoliis ansam non praebeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus, et confirmatis robur adiicimus.

Confirmat statuta prout in rubrica.

Decretum irritans. § 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 iunii 1655, pontif. anno I.

1 Perperam edit. Main. legit *pro* (n. T.).

XV.

Ut fratres vocales Ordinis Beatae Mariae Redemptionis Captivorum provinciae Franciae non indigeant de cetero testimoniis nuncii Franciae, ut admittantur in capitulo generali, sed illis sufficiat testimonium originale capituli suae electionis a tribus notariis legalizatum[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Michaël de Alcantara, vicarius generalis Italiae et procurator generalis totius Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, quod (cum aliàs capitulum generale Ordinis praedicti de anno MDCXXVII Toleti celebratum, et subinde die IV novembris MDCXXVIII a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro, ut asseritur, confirmatum, ob speciales rationes, quae tunc temporis aderant, decrevisset, ut fratres vocales dicti Ordinis, qui ex provinciâ Franciae ad ipsius Ordinis capitulum generale convocati advenissent, nullatenus admitti deberent, nisi testimonia suarum electionum per officium existentis pro tempore apud regem Francorum christianissimum Sedis Apostolicae nuncii approbata attulissent) Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

postmodum, cessantibus omnino eisdem rationibus, capitulum generale dicti Ordinis, novissime die XXX ianuarii MDCLII in conventu Barbastrensi celebratum, decrevit et ordinavit, ut de cetero dicti vocales provinciae Franciae ad probandum se esse legitime electos testimoniis eiusdem nuncii non indigeant, sed iis sufficiat testimonium originale capituli suae electionis a tribus notariis subscriptum seu legalizatum, et cum hoc testimonio debeant recipi in capitulo generali Ordinis praedicti et haberi pro legitime electis.

Supplicatio. § 2. Cum autem firmiora sint illa, quibus Sedis Apostolicae accedit auctoritas, idcirco Michaël, procurator generalis, novissime celebrati capituli generalis praedicti nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut illius decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvit. § 3. Nos igitur, dictum Michaëlem procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praenarratum decretum novissime celebrati capituli generalis praedicti, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 iunii 1655, pontif. anno I.

XVI.

Ut capitula provincialia provinciae S. Antonii in Portugalliâ Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ extra civitates de cetero celebrentur[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum et fratrum provinciae S. Antonii nuncupatae in regno Portugalliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum nobis expositum fuit, quod experientiâ compertum est celebrationes capitulorum provincialium eiusdem provinciae in civitatibus nunquam sine magnis perturbationibus et fratrum inquietudine peragi propter principum et magnatum alio-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

rumque secularium interpositiones, cum tamen e contra, quando eadem capitula extra civitates habentur, in illis constitutiones apostolicae observentur, electionesque, seclusis principum secularium et aliorum interpositionibus, libere peragantur[1], prout in novissimo eiusdem provinciae capitulo provinciali de anno MDCLIV cum summâ pace, quiete et diligentiâ in conventu S. Antonii loci de Castagnera nuncupati Ulyssiponensis dioecesis celebrato, ut asserunt, usuvenit.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus conventus ad celebranda capitula provincialia huiusmodi aptus et capax existat, ipsique exponentes eadem capitula provincialia in illo aut in alio dictae provinciae conventu, quem dictorum capitulorum praesidentes pro tempore ad id idoneum arbitrati fuerint, extra civitates de cetero celebrari plurimum desiderent: idcirco nobis iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extra civitates capitula celebrari mandat. § 3. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[2] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum capitula provincialia dictae provinciae S. Antonii in praefato eiusdem S. Antonii loci de Castagnera huiusmodi, aut in alio ipsius provinciae conventu, quem pro tempore existentes dictorum capitulorum praesidentes ad id capacem et idoneum respective existimaverint, extra civitates celebrentur et celebrari debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas et validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Opposita refellit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, ac quorumvis eiusdem provinciae conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 iunii 1655, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *peragentur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *absolutum* (R. T.).

XVII.

Confirmatio decreti congregationis Concilii Tridentini, quo censuit servandum esse aliud decretum dictae congregationis de anno MDCXVI editum, quo ad instantiam fratrum Tertiariorum Reformatorum Ordinis sancti Francisci Franciae, decernitur superioribus regularibus sufficienti facultate ad id

suffultis (Cappuccinis exceptis) licere mulieres ad habitum Tertiariarum recipere, atque ad ipsos eas vestiendi officium pertinere[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis Concilii ad mulieres tertiarias vestiendas.

§ 1. Emanavit nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus decretum tenoris sequentis, videlicet: « Die xv maii MDCLV sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, omnibus mature perpensis, censuit servandum esse decretum huius sacrae congregationis editum die xx decembris MDCXVI tenoris sequentis: « Die xx decembris MDCXVI sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, instantibus fratribus Tertii Ordinis sancti Francisci, censuit superioribus regularibus sufficienti facultate ad id suffultis (Cappuccinis exceptis) licere mulieres ad huiusmodi habitum Tertiariarum recipere[2] atque ad ipsos eas vestiendi officium pertinere ».

I. Episc. Tusculanus card. SACCHETTUS.
FRANC. PAULUTIUS, S. congr. secr.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem firmiora sint ea, quibus Sedis Apostolicae accedit auctoritas, nobis propterea dilectus filius Romanus a Constantia procurator fratrum Reformatorum Tertii Ordinis sancti Francisci regno[3] Franciae humiliter supplicari fecit, ut praeinsertum praedictorum cardinalium decretum die xv maii proxime praeteriti emanatum, quo aliud etiam supra insertum servari mandatur, pro illius firmiori subsistentiâ, confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, eumdem Romanum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes[1] et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomòdolibet intervenerint, supplemus.

Praesentibus addit auctoritatem.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus, sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et quomodolibet concernent in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes et functuros, etiam causarum palatii postolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis dicti Ordinis superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacio-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Edit. Main. legit *recipien.* pro *recipere* (R. T.).
3 Legendum *regni* vel *in regno* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *absolvendum* (R. T.).

ribus et efficacissimis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 iunii 1655, pontif. an. I.

XVIII.

Contra superiores congregationis Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti, qui favores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates ac gratias concedunt, et contra easdem monachos dictos favores conquirentes[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset litteras Pauli V. Aliàs emanarunt a felicis recordationis Paulo V praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet: *Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam*, etc. Quoniam nemo debet assumere sibi honorem, etc.[2].

Supplicatio. § 4. Cum autem, sicut dilecti filii abbas[3] generalis eiusdem congregationis Caelestinorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, felici dictae congregationis directioni conservandaeque in eâ regulari observantiae intenti, praeinsertas Pauli praedecessoris litteras, quo firmius in posterum observentur, per nos innovari, ac excommunicationis et alias poenas praedictas ad eos monachos eiusdem congregationis, qui, ut ab aliquâ illius domo regulari, in qua fuerint superiorum suorum auctoritate collocati, recedant vel non recedant, ad extranearum personarum favores similiter confugerint, extendi, et aliàs in praemissis opportune ut infra provideri plurimum desiderent:

§ 5. Nos, eosdem abbatem et procuratorem generales specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pauli praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis censuris et poenis et aliis quibuslibet contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, innovamus, ac omnes et singulos monachos congregationis praedictae, cuiuscumque gradus, status, conditionis, praeeminentiae, qualitatis et dignitatis existentes, qui de cetero, ut ab aliquâ domo regulari eiusdem congregationis, in qua fuerint superiorum suorum auctoritate collocati, recedant vel non recedant, ad principum vel praelatorum, aut aliarum quarumcumque personarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, de gremio dictae congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore[1], ac quacumque seculari dignitate et ex- Innovat praefatas litteras Pauli V.

1 Caelestini monachi sic appellantur, quia a Caelestino V instituti sunt in eius Constitutionem I, tom. IV, pag. 170; recepti fuerunt sub protectione Sedis Apostolicae a Benedicto XI in eius Const. III, ibid. 177; Caelestinis ambitum interdixit Paulus V Const. *Ad sacram*, tom. XII, pag. 360.

2 Reliqua omittimus, quia iam dedimus, tom. XII, pag. 360 (R. T.).

3 Ex seqq. adde *et procurator* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *onere* (R. T.).

cellentiâ etiam imperiali et regali et ducali fulgentium, favores recurrerint, vinculo excommunicationis latae sententiae, a qua[1] nonnisi per nos et successores nostros Romanos Pontifices, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, pariter innodamus, ipsosque et eorum quemlibet ad quascumque praelaturas, dignitates, officia, gradus, honores, administrationes et munera in ipsâ congregatione obtinendum perpetuo inhabiles similiter declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos, voce tam activâ quam passivâ carere decernimus.

Praeceptum legendi has litteras quolibet mense.

§ 6. Mandantes dilectis pariter filiis omnium et singularum domorum regularium dictae congregationis superioribus localibus, nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae, ac officiorum per eos obtentorum, necnon perpetuae inhabilitatis ad illa et similia in posterum obtinenda poenis, eo ipso in casum contraventionis per eos incurrendis, quatenus ipsi in eisdem domibus regularibus, quibus praesunt, seu pro tempore praefuerint, respective singulis primis cuiuslibet mensis dominicis diebus praesentes litteras, seu earum transumptum, in mensâ publice legi faciant, ac illarum exemplum intra claustra respective in loco conspicuo, in quo legi ab omnibus possit, affixum semper remanere procurent; ac decernentes ipsas praesentes, illisque insertas Pauli praedecessoris litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus[1] super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Vocem qua nos addimus (R. T.).

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu scribae dictae congregationis, vel notarii publici subscriptis, et sigillo abbatis generalis ipsius congregationis vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ac ubique locorum exhibeatur, quae ipsis praesentibus exiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 iulii 1655, pontif. anno I.

XIX.

Erectio ecclesiae cathedralis Litomericensis in regno Bohemiae[2].

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Primitiva illa Ecclesia in angulari petrâ a Salvatore nostro Iesu Christo fundata, apostolorum praeconiis elata, martyrumque sanguine consecrata et aucta, ubi primum iuvante Deo per orbem terrarum lacertos movere coepit, provide attendens quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos coniicere oportet[3], et divino quodam consilio parochias instituit, dioeceses distinxit, episcopos creavit, metropolitanos praefecit, ut, tamquam unius corporis membra capiti obsequentia, cuncta secundum

1 Vocem secus nos addimus (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Videtur potius legendum *oporteret* (R.T.).

eius voluntatem salubriter in Domino dirigerent.

Erigit in cathedralem ecclesiam Litomericensem.

§ 1. Unde, sicut alii Romani Pontifices praedecessores nostri suo tempore omni studio curarunt, ut fides orthodoxa ubique praedicata propagaretur, et errantes oves, diabolicâ fraude et haereticâ pravitate correptas, ad ovile et veri luminis agnitionem reducerent, ac pervigiles eorum saluti pastores assisterent, ita etiam nos, prout temporum ac locorum qualitas suadet, dignum, quin potius debitum arbitramur novas episcopales sedes et ecclesias plantare, praecipue dum catholicam fidem profitentium regum vota id anxie reposcunt, ut per huiusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, et animarum salus subsequatur, locaque insignia dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur.

§ 2. Sane, cum dioecesis Pragensis, in regno Bohemiae sita, longa, lata et diffusa sit, et in eâ tot oppida et loca a civitate et ecclesiâ Pragensi remota, ut ad illa ob eorum distantiam difficilis pateat aditus, et ipse archiepiscopus Pragensis omnem dioecesem ipsam, quae finibus regni Bohemici demum terminatur, eâ diligentiâ, qua par est, visitare, ceteraque pontificalia officia exercere, ac singulorum dioecesanorum suorum vultus, ut expedit, inspicere non possit, unde confusio rerum ecclesiasticarum non sine animarum offensione et periculo nasci soleat: nos, attendentes quod, inter alia, oppidum Litomericense, quod fluvius Albis alluit, circuitus ad minus quatuor milliarium, totiusque circuli Litomericensis caput, antiquitate celebre, moenibus cinctum, caeli clementiâ salubre, fertilitate agri abundans, aedificiorum ornamentis conspicuum, mercimoniis opulentum, cleri et populi multitudine ac nobilitate insigne existat, ac in eius pomeriis ecclesia collegiata, sancto Stephano protomartyri dicata, sit elegantis structurae, in qua adsunt duae dignitates, praepositura usu mitrae et baculi insignita, habens in annuo censu tria millia circiter florenorum illarum partium, et decanatus, ac nonnulli canonici, ac sacrarium bene instructum, sanctorumque reliquiae decenter asservantur, adeo ut oppidum ipsum Litomericense, civitatis, et collegiata ecclesia praedicta, cathedralis nomine, titulo et praerogativâ merito decorari possint, idque non solum venerabilis frater noster Ernestus Adalbertus cardinalis ab Harrach ad praesens archiepiscopus Pragensis, verum etiam carissimus in Christo filius noster Ferdinandus III Romanorum et Bohemiae rex in imperatorem electus summopere desiderent, imo pro hoc nobis suas preces porrexerunt[1], et praemissis et aliis rationabilibus causis habitâ super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus maturâ deliberatione, de illorum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, ac ex voto congregationis eorumdem S. R. E. cardinalium congregationis de Propaganda Fide, oppidum praedictum Litomericense, cum toto eius circulo et ecclesiis parochialibus, aliisque in eo sitis oppidis, terminis, territoriis, castris, villis et locis, necnon clero, populo, personis, ac monasteriis, ecclesiis et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus et quorumvis ordinum regularibus, ab eâdem dioecesi Pragensi, necnon omnia et singula fructus, redditus, proventus, decimas, iura, obventiones et emolumenta, quae archiepiscopus Pragensis pro tempore existens in oppidis, terris, territoriis, castris, villis et locis a[2] clero, populo, personis ac monasteriis et beneficiis praedictis etiam ratione visitationis et legis dioecesanae percipere consuevit, ab ar-

1 Aptius lege *porrexerint* (R. T.).
2 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

chiepiscopali mensâ, accedente ad hoc expresso consensu et desiderio, ut praefertur, dicti Ernesti Adalberti archiepiscopi et cardinalis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, ac ab omni iurisdictione, superioritate, correctione, dominio, visitatione et potestate pro tempore existentis archiepiscopi Pragensis, illiusque vicarii et officialis, ac solutione decimarum et quorumcumque aliorum iurium eidem archiepiscopo ac dilectis filiis capitulo Pragensi per clerum, populum et personas huiusmodi ratione subiectionis, iurisdictionis, superioritatis, visitationis et legis dioecesanae debitorum (ita ut de cetero archiepiscopus Pragensis pro tempore existens nullam iurisdictionem in oppida, terminos, territoria, castra, villas et loca, necnon clerum, populum, personas, ac monasteria, ecclesias, beneficia et pia loca huiusmodi sub separatione et dismembratione huiusmodi comprehensa, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, quae antea ad illius collationem seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinebant, habeat, minusque beneficia ecclesiastica huiusmodi conferre, seu fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta, per eum in oppidis, terris, villis, castris et locis praedictis, de his[1], quae ad illum ratione iurisdictionis, visitationis et legis dioecesanae huiusmodi pertinent, se intromittere nullatenus possit), auctoritate et tenore praemissis, penitus, de consensu praedicto, eximimus et liberamus. Atque, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac Beatae Mariae semper Virginis et sancti Stephani protomartyris, totiusque caelestis curiae honorem, et animarum salutem, oppidum Litomericense in civitatem, et praedictam collegiatam ecclesiam in cathedralem, sub eadem sancti Stephani protomartyris invocatione, pro uno[1] episcopo Litomericensi nuncupando, qui ecclesiae Litomericensi praesit, ac iurisdictionem episcopalem, omniaque et singula quae ordinis, iurisdictionis, vel alterius episcopalis muneris sint, habeat et exerceat, de simili consensu, eisdem auctoritate et tenore, erigimus et instituimus, ac Litomericense pro civitate, et alia oppida, terminos, territoria, castra, villas et loca pro dioecesi, necnon clerum, populum et personas huiusmodi pro clero, vassallis, populo et personis civitatis et dioecesis Litomericensis, auctoritate et tenore praemissis, concedimus et assignamus. Insuper mensae episcopali praedictae pro eius dote dominium a sacrâ congregatione de Propagandâ Fide praescriptâ huius erectionis efficiendae gratiâ tribus et quinquaginta florenorum Bohemicorum millibus in illis partibus nuper emptum, et praefatam praeposituram, quae de iurepatronatus dicti Ferdinandi tamquam Bohemiae regis et in dictâ collegiatâ ecclesiâ dignitas principalis existit, et ad praesens, certo modo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, vacat, quamque, de consensu dicti Ferdinandi regis, auctoritate et tenore praemissis, etiam omnino supprimimus et extinguimus, omnesque tam praepositurae huiusmodi sic suppressae, quam dominii ut praefertur empti, fructus, redditus et proventus, apostolicâ auctoritate et tenore similibus, et perpetuo, unimus, applicamus et appropriamus, atque concedimus et assignamus, ipsamque ecclesiam Litomericensem pro tempore existenti archiepiscopo Pragensi metropolitico iure submittimus, et illi uti suffraganeam[2] subesse volumus et mandamus. Et insuper

1 In seqq. lectio cernitur defectiva; forsan legendum *percipi solita, percipere, ac in his*, etc.; sed vide paulo ante, pag. 32 *b* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *und* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *suffraganeum*, nisi desit vox *episcopum* (R. T.).

eidem Ferdinando regi, eiusque successoribus pro tempore existentibus Bohemiae regibus, ipsis tamen et regno huiusmodi in puritate orthodoxae fidei et sincerâ erga Romanum Pontificem pro tempore existentem et Sedem Apostolicam devotione persistentibus, ius nominandi personam idoneam ad dictam cathedralem ecclesiam, perpetuis futuris temporibus, dum pro tempore vacabit, et iam hac primâ vice, nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici, de simili consilio, auctoritate et tenore paribus, similiter perpetuo concedimus, impertimur et assignamus.

§ 3. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis, per quas dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem tam beneficii uniti quam alterius cui aliud uniri peteretur, ac quod uniones committantur ad partes, vocatis interesse habentibus, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque praesulibus, capitulis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter et aliàs contra praemissa quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse motu nostro pari derogamus, contrariis quibuscumque.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, unionis, applicationis, appropriationis, submissionis, voluntatis, mandati, impartitionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Haec paginae contravenientes punit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLV, III nonas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 iulii 1655, pontif. anno I.

XX.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium super transitu Mendicantium ad Carthusianos [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Decretum refertur.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Romanae Ecclesiae cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Conquerentibus superioribus nonnullorum Ordinum Mendicantium quamplures ex eorum subditis sub praetextu consuetudinis seu privilegii ad Carthusiana coenobia transire, ibique habitum monasticum assumere, ipsis insalutatis, et licentiâ et benedictione minime petitâ, cum maximo obedientiae contemptu, et quamquam[1] etiam detrimento iustitiae, cum ex eis nonnulli reperiantur vanis[2] criminibus notati; sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, audito procuratori generali Carthusianorum, censuit Mendicantibus quidem licitum esse transire ad monachos Carthusianos, uti exceptos in extravaganti Martini, quae incipit: *Viam ambitiosae, de regularibus*, non tamen per eam fuisse correctam dispositionem textus in capite *Statuimus* 19, 9, 3, et capite *Licet* de regularibus; quinimo eadem sacra congregatio declarat et praecipit ita servandum esse, ut semper appareat et constet de petitâ licentiâ sub poenâ nullitatis transitus huiusmodi, aliisque arbitrio, etc.; consuetudine seu privilegiis in contrarium allegatis non obstantibus. Romae, VII augusti MDCLIV ».

M. cardinalis GINETTUS.

H. Archiepiscopus Patracensis, *secr.*

Supplicatio. § 2. Cum autem firmiora sint quibus Sedis Apostolicae accedit approbatio, nobis propterea dilectus filius Petrus Gaffardii, provinciae Aquitaniae antiquioris Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum minister provincialis, humiliter supplicari fecit, ut decretum praeinsertum confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio. § 3. Nos igitur, dictum Petrum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 4. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Legerem *quandoque* pro *quamquam* (R. T.).
2 Potius lege *variis* pro *vanis* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iulii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 iulii 1655, pontif. anno I.

XXI.

Declarationes decreti sanctae memoriae Innocentii Papae X super subiectione nonnullorum conventuum iurisdictioni Ordinarii loci, a sacrâ congregatione super statu regularium editae, atque a SS. D. N. approbatae.

Dubia. Posito decreto felicis recordationis Innocentii Papae X super subiectione nonnullorum conventuum correctioni et omnimodae[1] iurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicae delegati, contingit dubitari de infrascriptis:

I. An episcopus in conventibus suae iurisdictionis[2] subiectis possint abbates, priores, guardianos et alios superiores locales deputare et familiam constituere.

II. An possit episcopus a praedictis conventibus religiosos amovere.

III. An regulares eorumdem conventuum compelli possint ab episcopo ad exhibendos libros introitus et exitus, et reddendas rationes administrationis.

IV. An episcopus in eisdem conventibus se ingerere possit in his quae regularem disciplinam concernunt.

V. An ecclesiae dictorum conventuum, et cappellae grangiarum in quibus degunt conversi pro agrorum culturâ, ab episcopo visitari possint.

VI. An ipsae grangiae et conversi in eis degentes subsint visitationi episcopi.

VII. Quid in ecclesiis seu cappellis grangiarum in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint episcopi visitationi.

VIII. An liceat episcopo visitare conventus tam suppressos, et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsâ alantur sex religiosi.

IX. An episcopus visitans huiusmodi conventus suae iurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit a visitatis procurationem exigere in victualibus vel in pecuniâ.

X. An iurisdictio Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicae delegatis attributa in supradicto decreto competat vicariis generalibus episcoporum, necnon abbatibus et aliis inferioribus praelatis, proprium territorium ac iurisdictionem quasi episcopalem habentibus.

XI. An provinciales et alii superiores regulares possint eiusmodi conventus iurisdictioni Ordinarii subiectos et religiosos in illis degentes visitare, corrigere et punire, omnemque iurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum decretum.

XII. Si superior regularis in causâ praevenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem conventibus Ordinario subiectis, fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an episcopus possit huiusmodi causam reassumere, ac superiori inhibere.

XIII. Si e converso episcopus praevenerit in causâ contra religiosum in tali conventu commorantem, an superiori regulari eo casu liceat illum amovere, et in alio conventu collocare: et si de facto collocaverit, an nihilominus episcopus possit causam prosequi, ac religiosum sic amotum revocare ad primum conventum.

XIV. Si provincialis vel superior localis voluerit aliquem ex fratribus a tali conventu removere, an episcopus prohibere possit.

XV. Si a conventu primum suppresso, ac deinde religioni restituto, absint ex aliquâ rationabili causâ, et ad breve tem-

1 Edit. Main. legit *omnimode* (R. T.).
2 Aptius lege *iurisdictioni* (R. T.).

pus unus vel plures ex numero sex religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, et conventus remaneat suppressus ut prius.

XVI. Quid si a conventu non suppresso similiter ex causâ rationabili et ad modicum tempus absit aliquis e sex religiosis ibi existentibus, an durante tali absentiâ conventus subiaceat iurisdictioni Ordinarii.

XVII. An religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex religiosorum, conventus recuperet pristinam exemptionem.

XVIII. Si gratia restitutionis conventus suppressi reddatur nulla ex eo quod in illo ad formam decreti eum effectu non alantur sex religiosi, et postea contingat, ut eiusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis conventus reviviscat.

XIX. Ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla et conventus denuo remaneat suppressus propterea quod in eo non sustententur sex religiosi, an debeat praecedere declaratoria episcopi super facto, praeviâ causae cognitione.

XX. An ab huiusmodi declaratoriâ liceat regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam devolutivum quam suspensivum.

XXI. Cum ex decreti praescripto quatuor sacerdotes in his conventibus degentes debeant esse maturae aetatis, quaenam dicatur ad hunc effectum aetas matura.

Sacra Congregatio super statu regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet:

Responsa. Ad I. Non posse.

Ad II. Posse ex rationabili causâ, commonito tamen prius superiore regulari ad quem pertinet, ut eosdem religiosos assignent[1] in aliis conventibus.

Ad III. Posse compelli.

Ad IV. Posse.

Ad V. Posse.

Ad VI. Subesse.

Ad VII. Itidem subesse.

Ad VIII. Minime licere antequam aliunde constet de fundamento intentionis episcopi in deficientiâ numeri constituto.

Ad IX. Expedire, ut SS. D. N. decernat et declaret non licere episcopo tales conventus visitanti quicquam accipere procurationis nomine.

Ad X. Competere.

Ad XI. Posse sicut prius, non tamen privative ad episcopum.

Ad XII. Non posse, nisi ex iusta causâ, veluti eum videt superiorem regularem ex odio vel amore, cupiditate vel metu, aut ex nimiâ severitate vel indulgentiâ, quid durius aut remissius constituere, quam causa deposcit, in quo ipsius episcopi conscientia oneratur.

Ad XIII. Non licere superiori regulari religiosum ab episcopo inquisitum a loco amovere, et si amotus fuerit, posse episcopum causam prosequi, et illum quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii et brachio seculari, si opus fuerit, cuiuscumque loci, in quo religiosus ille reperiatur.

Ad XIV. Non posse.

Ad XV. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec conventum remanere suppressum.

Ad XVI. Subiacere durante absentiâ.

Ad XVII. Recuperare.

Ad XVIII. Non reviviscere.

Ad XIX. Debere ita praecedere, nec ante declaratoriam licere episcopo conventus possessionem apprehendere, aut religiosos inde expellere.

Ad XX. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum.

Ad XXI. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

[1] Potius lege *assignet* (R. T.).

Declarationes suprascriptas SS. D. N. ad se relatas approbavit, et ab omnibus, ad quos pertinet, observari praecepit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die XXVII iulii MDCLV.

Dat. die 27 iulii 1655, pontif. anno I.

XXII.

Absolvit capitulum et canonicos B. Mariae de Pilari civitatis Caesaraugustanae a censuris et poenis ob recursus ad iudices laicos causâ pendente indecisâ in sacrae Rotae Romanae auditorio super diversis praeeminentiis et praecedentiis *cum capitulo et canonicis ecclesiae SS. Salvatoris eiusdem civitatis*[1].

Dilecto filio magistro Carolo Cerro, cappellano nostro et causarum sacri palatii apostolici auditori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum ecclesiae Beatae Mariae de Pilari nuncupatorum civitatis Caesaraugustanae nobis expositum fuit, quod in lite et causâ inter ipsos ex unâ et dilectos pariter filios capitulum et canonicos ecclesiae S. Salvatoris eiusdem civitatis partibus ex alterâ in sacrae Rotae Romanae auditorio coram te super diversis praeeminentiis et praecedentiis pendente indecisâ, pro parte secundodictorum capituli et canonicorum asseritur et praetenditur, quod pro parte ipsorum capituli et canonicorum exponentium, vel alterius eorum, seu ab eorum procuratore vel procuratoribus fuerit habitus recursus ad iudices laicos nedum semel sed etiam pluries in praeiudicium dictarum[1] litis sive mandatorum rotalium; occasione vero praetensorum recursus seu recursuum dicti adversarii praetendunt impedire primodictis capitulo et canonicis proseeutionem litis et causae huiusmodi.

Supplicatio. § 2. Quare iidem primodicti capitulum et canonici, ne sub hoc praetextu expeditio dictae litis et causae retardetur, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi et eorum cuilibet de opportuno in praemissis absolutionis beneficio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Dat facultatem auditori absolvendi. § 3. Nos igitur, eosdem primodictos capitulum et canonicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eosdem capitulum et canonicos primodictos, si hoc ante humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum cuilibet arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, ac renunciato prius per eos et eorum quemlibet quibuscumque recursibus ab eis et eorum procuratoribus quomodolibet habitis et factis, ac sine litis et collitigantium praeiudicio, et dummodo ipsi primodicti capitulum et canonici nullum ius propterea de novo acquirant, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis per eos et eorum quemlibet incursis auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas, et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum cuilibet gratiose remittas et condones.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Potius lege *dictae* vel *dictorum*; vel ut in Const. seq. legendum *litium* pro *litis* (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 iulii 1655, pontif. anno I.

XXIII.

Committit auditori Rotae Romanae Bichio ut absolvat capitulum et canonicos B. Mariae de Pilari civitatis Caesaraugustanae a censuris et poenis incursis ob recursus ad iudices laicos in causâ super antiquissimâ cathedralitate *cum canonicis SS. Salvatoris eiusdem civitatis coram ipso indecisâ pendente*[1].

Dilecto filio magistro Celio Bichio, cappellano nostro et causarum sacri palatii apostolici auditori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 iulii 1655, pontif. anno I.

XXIV.

Facultas nuncio regni Poloniae, ut concedat clero dicti regni licentiam tribuendi subsidium regi sponte pro unicâ vice, et pro summâ quae ipsi clero videbitur dumtaxat[1].

Venerabili fratri episcopo Landensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Committit nuncio exactionem subsidii, et facultatem absolvendi a censuris.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii clerus regni Poloniae, provide considerantes regnum praedictum gravibus ad praesens necessitatibus urgeri, et imminentia illi pericula tam ecclesiasticis quam laicis communia, regni vero praedicti vires adeo exhaustas esse, ut laicorum facultates sufficienti subsidio, quo eisdem necessitatibus subveniatur et periculis praedictis occurratur, comparando nequaquam suppetant, pro publicae salutis patriaeque defensione aliquam pecuniae summam subsidii nomine carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro Poloniae et Sveciae regi illustri, nostrâ et Sedis Apostolicae ad id accedente licentiâ et consensu, sponte conferre desiderent: nos, praedicti Ioannis Casimiri regis et dicti Poloniae regni necessitatibus huiusmodi consulere, periculisque praedictis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, tibi, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis ecclesiasticis eiusdem regni, ut pro necessitatibus et periculis huiusmodi subsidium praedicto Ioanni Casimiro regi, sponte tamen pro unâ vice et summâ quae eis videbitur dumtaxat tribuere, ipsi autem Ioanni Casimiro regi eiusque ministris, quod subsidium huiusmodi petere et recipere absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu libere et licite possint,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Ipsissima est ad praecedentem, exceptis verbis *super antiquissimâ cathedralitate* in rubr. praemissis, ideoque reliquum omittimus (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dummodo tamen subsidium huiusmodi in praedictos et non in alios usus convertatur ac erogetur, apostolicâ auctoritate indulgendi et licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus dictam pecuniae summam absque Sedis Apostolicae licentiâ promiserint aut solverint, necnon eumdem Ioannem Casimirum regem et suos ministros praedictos, si illam similiter absque licentiâ praedictâ receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem, tenore praesentium concedimus et impertimur, tibique, ut ad exactionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum, et non aliàs, procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores, et solvere recusantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, eâdem auctoritate compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus concilii[1] Lateranensis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes ecclesiastici eximuntur.

§ 3. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCLV, pontificatûs nostri anno I.

Dat. die 2 augusti 1655, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *conciliis* (R. T.).

XXV.

Decretum, ut legata et eleemosynae, in partibus Hollandiae facienda, in beneficium missionum et pauperum auxilium erogentur ibidem, utque missionarii legata huiusmodi non acceptent absque Sedis Apostolicae licentiâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ex Romani Pontificis in eminenti Sedis Apostolicae speculâ gregis dominici saluti et commodis iugiter invigilantis providentiâ provenire convenit, ut illa, quae ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, catholicae religionis augmentum, et christifidelium utilitatem et consolatio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nem tendunt, pie prudenterque ordinentur et disponantur, prout ratione dignoscitur esse consentaneum.

Absque Sedis Apostolicae licentia eleemosynas acceptari vetat.

§ 1. Volentes itaque, pro maiori Hollandiae, ceterarumque provinciarum unitarum missionum incremento ipsorumque missionariorum directione salubriter providere, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, iustis ex causis moti, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et decernimus, legata, eleemosynas, oblationes et similia cuiuscumque summae, valoris, quantitatis et qualitatis, quae in posterum a christifidelibus illarum partium fient, elargiuntur[1], seu donabuntur missionariis, vel religiosis, aut alteri eorum, in beneficium, manutentionem, ac necessarium usum earumdem missionum, necnon pauperum catholicorum auxilium et sublevamen omnino erogari, ibique, si fieri poterit, seu minus[2], in vicinioribus locis perpetuo remanere pro scholis manutenendis, seminariis erigendis, xenodochiis ac hospitiis in dictorum catholicorum, eorumque filiorum educationem, usum et servitium respective fundandis, iuxta qualitatem, quantitatem, ac summam eleemosynarum, legatorum et oblationum (certioratâ semper congregatione eorumdem cardinalium) expedienda[3] eo modo et formâ, qua fieri poterit et praescribetur, nec in alios usus converti, ita ut nulli in futurum missionario, seu religioso cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, aut alterius notae, et quantumvis privilegiatae personae liceat dictas eleemosynas, oblationes, legata et cetera huiusmodi, cuiuscumque summae, valoris, qualitatis, seu quantitatis, aut partem quamlibet, a locis, in quibus fiunt, elargiuntur, aut donantur, vel offeruntur; extrahere, divertere, vel in[1] proprios solummodo usus seu commodum convertere, sub poenâ suppressionis totius missionis, ac eiectionis a dictis locis et provinciis illius Ordinis, cuius missionarius, seu missionarii, aut religiosi praesentibus litteris punctualiter et in omnibus obedire nequiverint, aut aliquo quovis modo seu titulo etiam in minimis parere recusaverint, necnon sub poenâ amissionis[2] dictarum eleemosynarum et legatorum arbitriò congregationis praefatae applicandorum in casu contraventionis, ac etiam privationis perpetuae officii[3] et vocis activae et passivae, necnon excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, contra quoscumque contravenienientes, illosque, qui aliquo modo, directe vel indirecte, mediate vel immediate, per se vel per alios eisdem praesentibus litteris obstare praesumpserint, aut in totum vel in parte non obtemperaverint. Et quoad legata auctoritate et tenore praedictis sancimus in posterum nulli missionario seu religioso cuiusvis Ordinis, etiam Societatis Iesu, licere fundationes seu legata in dictis partibus acceptare absque Sedis Apostolicae expressâ licentiâ, ut eo magis conformentur cum eorum officio apostolico in servitium Dei et catholicae religionis.

Clausulae appon.

§ 2. Decernentes etiam easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis missionariis etiam secularibus, eorumque praefectis et superioribus, ac omnibus aliis cuiusvis Ordinis etiam dictae Societatis Iesu, seu alterius notae et

1 Potius lege *elargientur* (R. T.).
2 Nempe *sin minus* (R. T.).
3 Videtur legendum *expendenda* (R. T.).

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Perperam ed. Main. legit *omissionis* (R.T.).
3 Male eadem edit. legit *officiis* (R. T.).

privilegiatae religionis, et aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, punctualiter et inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, exemptionibus, licentiis et facultatibus quibusvis formâ et modo etiam oretenus datis, seu in posterum dandis, nisi factâ specificâ et expressâ praesentium litterarum mentione et revocatione, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 augusti 1655, pontif. anno I.

XXVI.

Confirmatio privilegiorum omnium concessorum tam guardiano sacri montis Sion quam fratribus necnon locis Terrae Sanctae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Piis christifidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem et animarum salutem provenire conspicimus, libenter annuimus, et illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus apostolicis confovemus.

Supplicatio.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Franciscus Ripolli, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatus[1] professor, sacrae theologiae lector, ac praedicator generalis[2], necnon commissarius et procurator generalis totius familiae Terrae Sanctae, nobis nuper exponi fecit, ipse ad eiusdem Terrae Sanctae subsidium, eorumdemque fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spiritualem catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causâ peregrinantium consolationem et profectum, omnia et singula gratias, privilegia et indulgentias hucusque sacrae eiusdem Terrae Sanctae locis apostolicâ auctoritate concessa et confirmata, per nos eâdem auctoritate etiam confirmari et approbari plurimum desideret;

Confirmat privilegia concessa a ceteris praedecessoribus.

§ 2. Nos, desiderio huiusmodi annuere, ipsumque Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, ceterasque gratias spirituales et temporales eisdem locis et illa visitantibus, necnon dicti Ordinis guardiano et fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam in genere vel in specie aut aliàs quomodolibet concessa, quatenus sint in usu et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque canonibus, constitutionibus apostolicis ac Concilii Tridentini decretis non ad-

1 Ille locis Terrae Sanctae lege quae notavi ad Const. CDLXXVI (al. 411), tom. XV, pag. 370, Salvatoris, Urbani VIII.

1 Potius lege *nuncupatorum* (R. T.).

2 Vox *generalis* redundare videtur (R. T.).

versentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, necnon insuper omnibus et singulis eorumdem fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem et Nazareth existentibus et viventibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 augusti 1655, pontif. an. I.

XXVII.

Confirmatio constitutionis super ambitu monachorum Congregationis Reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium § 1. Nuper pro parte dilecti filii procuratoris generalis Congregationis Reformatae sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis nobis expositum fuit, quod inter alias eiusdem congregationis constitutiones a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro confirmatas una reperitur tenoris sequentis, videlicet:

« Ut autem honorum et dignitatum cupiditati, omnique ambitioni, quantum fieri potest, obstruatur aditus, decernimus, ut si quis superioris congregationis, aut aliam quamcumque dignitatem congregationis, aut aliam quamvis externam ambierit, aut ut [1] ea demandetur alteri cuivis conatum adhibuerit, is activâ et passivâ voce in perpetuum careat, vel etiam graviori poenâ puniatur, arbitrio capituli generalis. Quod si quis aliquem ei rei dare operam cognoverit, nisi quamprimum deferat ad capituli generalis praesidem, eâdem poenâ teneatur ».

Supplicatio § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli monachi dictae congregationis professionis regularis per eos emissae immemores beneficia ecclesiastica etiam curam animarum annexam habentia extra praefatam congregationem non sine praeiudicio eorum animarum contra constitutionis praeinsertae dispositionem conferri sibi procurent, eâque occasione disciplinam regularem relaxare, carnibus vesci, aliaque incongrua contra eorum regulam committere cum reliquorum dictae congregationis monachorum scandalo et secularium personarum offensione non vereantur; nobis propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune, ut infra, providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat constitutionem § 3. Nos igitur, dictum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Male edit. Main. legit et pro ut (R. T.).

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertam constitutionem cum omnibus et singulis poenis et aliis in eâ quomodolibet contentis (ita quod omnes et singulae gratiae, quas de cetero contra eiusdem constitutionis dispositionem obtineri contigerit, nullae et invalidae, nulliusque roboris et momenti existant), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis, apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praedictis monachis prohibet ne beneficia ecclesiastica absque licentia in scriptis capituli generalis consequantur.

§ 4. Praeterea singulis praefatae congregationis monachis, ne ullum beneficium ecclesiasticum absque licentiâ capituli generalis eiusdem congregationis de triennio in triennium celebrari soliti, in scriptis et non aliter nec alio modo obtentâ, consequi, neve ut aliquod simile beneficium sibi quoquo modo conferatur, directe vel indirecte, per se vel alium seu alios, et aliter quomodolibet, procurare praesumant sub expressis in praeinsertâ constitutione, necnon nullitatis provisionum contra praesentium dispositionem quomodocumque faciendarum, ac perpetuae inhabilitatis ad quosvis gradus tam in dictâ congregatione quam extra eam consequendos, poenis per contraventores incurrendis, auctoritate et tenore praedictis, inhibemus.

Praesentes litteras confirmat.

§ 5. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1655, pontif. an. I.

XXVIII.

Commissio nuncio Franciae, ut monasterium monialium S. Menulphi Ordinis sancti Benedicti, ac septem prioratus ab illo dependentes, quae Sedi Apostolicae subiacent, per se, vel alium, seu alios visitet[1].

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Athenarum, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncio Franciae amplam facultatem visitandi monasterium monialium S. Menulphi elargitur.

§ 1. Cupientes, ut in monasterio monialium S. Menulphi Ordinis sancti Benedicti Bituricensis dioecesis, quod, ut dilecta in Christo filia Maria Constantia Duble d'Auxelle illius abbatissa asserit, unâ cum septem prioratibus, quorum ipsum monasterium caput est, et cum quibus quamdam veluti congregationem singulis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

annis suum capitulum generale a multis ab hinc seculis inibi celebrari solitam componit, Apostolicae Sedi immediate subiectum existit, necnon in septem prioratibus huiusmodi, ecclesiastica regularisque[1] disciplina, ubi collapsa est, restituatur, et ubi conservata est, constantius perseveret, supplicationibus eiusdem Mariae Constantiae abbatissae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cuius integritate, fide, prudentiâ, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios, quem seu quos ad id duxeris deputandum seu deputandos, monasterium ac septem prioratus huiusmodi, eorumque abbatissam, priorissas, moniales et personas quascumque respective, tam in capite quam in membris, semel tantum, auctoritate nostrâ apostolicâ visites, ac in eorum statum, consuetudines, vitam, mores, ritus et disciplinam tam coniunctim quam divisim diligenter inquiras, necnon, evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum, et praesertim Tridentini decretis, ac sanctorum patrum traditionibus, regularisque Ordinis praedicti institutis inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, ac etiam de novo condas, condita, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis regularibusque institutis praedictis non repugnantia, confirmas, abusus quoscumque tollas, bonas et laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum, monasticamque disciplinam et observantiam regulares, ubicumque exciderint, modis congruis restituas, si aliquas personas in aliquo delinquentes repereris, illas, iuxta canonicas sanctiones et regularia dicti Ordinis instituta, punias et castiges; contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, ingenio, vel praetextu praestantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis et conditionis extiterint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia compescas, ac alia in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facias, dicas, geras et exequaris; super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam tibi facultatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut tibi in praemissis omnibus prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Volumus autem, ut si quae[1] graviora in huiusmodi visitatione repereris, seu a te deputandus vel deputandi repererit seu repererint, illa, necnon informationes omnes desuper sumendas sub tuo sigillo clausas ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut, quod in illis statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ decernamus.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon monasterii et prioratuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et *Contraria refellit.*

1 Male edit. Main. legit *regularique* (R. T.).

1 Aptius lege *qua* (R. T.).

consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 augusti 1655, pontif. anno I.

XXIX.

Innovatio litterarum Innocentii X quod commendatarii monasteria Ordinis Cisterciensis in commendam obtinentes nullam in monasteria sibi commendata, quoad eorum monachos, iurisdictionem exerceant.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Nicolaus Dunin, Ordinis Cisterciensis in regno Poloniae vicarius et visitator generalis, ceterique[2] coabbates dictorum Ordinis et regni per suum in Romanâ curiâ procuratorem, quod a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro, ad instantiam dilecti filii Claudii, abbatis generalis eiusdem Ordinis, de mense septembris anni proxime praeteriti MDCLIV emanarunt in simili formâ Brevis litterae tenoris sequentis, videlicet:

Recenset litteras Innocentii X. § 1. *Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam.* Pastoralis officii nobis diutius commissi partes esse cognoscimus, etc.[1].

1 Reliqua omittimus quia iam dedimus in tom. XV, pag. 770 (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *ceterisque* (R. T.).

Innovat praeinsertas litteras. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ante completam praeinsertam litterarum huiusmodi executionem obitus eiusdem Innocentii praedecessoris supervenerit, proindeque cupiant iidem exponentes pro firmiori earumdem praeinsertarum litterarum subsistentiâ illas auctoritate nostrâ apostolicâ confirmari; ideirco nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinsertas dicti Innocentii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Innocentius praede-

cessor in dictis suis litteris praeinsertis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 augusti 1655, pontif. anno I.

XXX.

Concessio privilegiorum pro nonnullis suis familiaribus.

Alexander Papa VII.

Venerabilibus fratribus Hieronymo Farnesio Patracensi, palatii nostri praefecto, Iulio Rospigliosio Tarsensi, secretario Status, Hieronymo Bonvisio Laodiceae archiepiscopo, cubiculi nostri praefecto, necnon dilectis filiis magistro Gualtero Gualterio Leodiensi, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, Brevium nostrorum secretorum secretario; magistro Stephano Ugolino Romano, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, auditori nostro, magistro Francisco Mariae Phoebeo Urbevetano, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, magistro caeremoniarum, magistro Iacobo Altovito Florentino, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, praelatis nostris domesticis Ambrosio Landuccio Senensi, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Congregationis Il Licetonae professoris, sacrarii nostri praefecto, Caelio Piccolomineo Senensi, libellorum supplicum nobis porrectorum secretario et cubiculario intimo nostro, Clementi Accarisio Senensi, fratri militi hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, pincernae, Angelo de Ciaia Senensi, fratri etiam militi eiusdem hospitalis, architriclino, Iacobo Philippo Ninio Senensi, Natali Rondanino Romano, secretario litterarum nostrarum in formâ Brevis ad principes, Michaëli Angelo Boncio Clusino, vestiario, Mathiae Naldo Senensi, medico, Ferdinando Furstemberg Westphalo, Iacobo de Maximis Romano, Iulio Cino Collensi, Alexandro Rinuccino Florentino, Antonio Francisco Ferrino Romano, eleemosynario, cubiculariis etiam intimis nostris, Dominico Salvetto Nucerino, notarum arcanarum secretario, Francisco Cristaldo Neritonensi, crucifero et cappellano secreto nostro, Riccardo Cruciano, Ioanni Creveo Hyberno, Ioanni Baptistae de Acquistis, cappellanis etiam secretis nostris, Iosepho Cruciano, magistro domus nostrae, Flaminio Valle Rhegiensi, cubiculi nostri adiutori, Antonio Orca Civitatis Plebis, Georgio Missello Bambergensi, Dominico Vivu Urbevetano, cubiculi nostri pariter adiutoribus, ac Carolo Boschetto Senensi, civitatum vel dioecesum respective, custodi picturarum, clericis seu presbyteris, familiaribus et continuis commensalibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia ingiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis et praeclaris dignitatum titulis decorare et ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Familiares a censuris absolvit.

§ 1. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ iuvari percipimus, condignam rationem habentes, et propterea easdem personas vestras peculiaris favoris gratiâ, ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium

dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes,

Notarios Apostolicos, comites, equites, nobiles creat.

§ 2. Motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae notarios (sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites, necnon auratae militiae equites, ac nobiles Romanos et Urbis Romae, ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis et Beneventanae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum cives, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis, creamus ac constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitum, equitum et nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum et terrarum praedictarum referimus et conscribimus.

Privilegiis gaudere decernit.

§ 3. Vobisque, etiamsi habitum rochettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, ac comites, equites et nobiles (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praedictis praetensa, ita ut illis uti nullibi valeatis, ac irritum et inane existat, quicquid secus per vos aut quemlibet vestrum respective attentari contingerit)

Privilegia extendit.

§ 4. Necnon cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum et officiorum, ecclesiasticorum ac secularium, etiam ex personis Romanorum civium originariorum vacantium, assecutione et exercitio, tam in Urbe quam in omnibus et singulis civitatibus praedictis, et aliàs ubique locorum et gentium necnon sessionum et conventuum utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps nomine vestro conficiendis vos notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanos et aliarum civitatum et terrarum praedictarum cives prout libuerit inscribere, et vos illis subscribere valeatis, et pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus et nobilibus ac civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit cum iis supplicationibus[1] subreptitium aut obreptitium vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causâ insignia gentis nostrae, sive integre, sive cum vestris respective composita, gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Eosdem a solutione onerum eximit.

§ 5. Et insuper vos, vestraque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, illo-

1 Forsan *appellationibus* aut quid simile legendum pro *supplicationibus* (R. T.).

rum fructus, res et iura ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia et immobilia et semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, et cuiusvis etiam annui valoris, fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris et familiarium vestrorum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis etiam caritativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum, moenium et pontium, portarum et moliturarum et mercium cuiuscumque generis, transitus, seu passus et vecturae, etiam in aliud territorium seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod vos et quilibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per camerae apostolicae, aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur, valeatis coarctari (quamdiu servitiis nostris institeritis dumtaxat), eximimus et liberamus.

Ad quaecum- § 6. Ad haec vobiscum et cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum etiam collegiatarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas, etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur, aut aliàs assumatur ad illa et instituatur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixeritis, retinere; que duo dissimilia, vel simplicia similia obtinenda dispensat.

§ 7. Necnon etiam, quamdiu nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis etiam curatis, non tamen parochialibus, nec curatis curâ animarum parochianorum, per vos pro tempore respective obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in cathedralibus etiamsi in metropolitanis maiores ac collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios, ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque et singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus, durante servitio praedicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere et levare;

§ 8. Ac interim, vel postmodum, si volueritis, hic in Romanâ curiâ vel extra Ad omnes ordines promoveri valeant.

eam a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem eiusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis vel aliis festivis diebus etiam extra tempora a iure statuta, proprii Ordinarii aut cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, si aliàs idonei ad id reperti fueritis (super quo antistitis conscientiam oneramus), promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare;

Leges audire et advocati officium possint exercere.

§ 9. Necnon, etiamsi presbyteri fueritis, ac dignitates et officia obtinueritis, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non excesseritis, audire; et, si habiles et sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus.

Confessarium eligere possint.

§ 10. Liceat quoque vobis et cuilibet vestrum aliquem idoneum et approbatum ab Ordinario presbyterum secularem vel cuiusvis Ordinis regularem in vestrum eligere confessorem, qui vitâ cuiuslibet vestrum comite vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per vos incursis, et quibus vos etiam apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidii[1] casualis, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum), et denique ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, auctoritate apostolicâ absolvere, et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Apostolorum Petri et Pauli, castitatisque, ac religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Pensiones usque ad summam trecentorum ducatorum auri de camerâ etiam in mortis articulo transferre possunt.

§ 11. Vobisque ulterius et quibuscumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ, quam extra eam, ad id per vos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum abbatialium seu capitularium, ac episcopalium et archiepiscopalium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis ordinum et militiarum regu-

1 Edit. Main. legit *homicidi* (R. T.).

larium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani praedicti, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta vobis nunc et pro tempore assignata et reservata, ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de camerâ quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cessare[1] et extinguere, ac postquam cessatae[2] et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, clericis, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seu eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo et formâ quibus vobis assignatae et reservatae seu assignata et concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etsi illas vel illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, ac distributiones et emolumenta huiusmodi, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assignationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris iuribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi in qua tunc eritis, integre persolvendas, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum, reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratiâ indulgemus.

§ 12. Necnon etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos ratione ecclesiarum etiam cathedralium, etiam metropolitanarum, quibus vos praeesse forsan contigerit, necnon monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis et obtinebitis, ac fructuum, redditiuum et proventuum ecclesiarum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus vobis reservatorum et assignatorum, ac reser-

Testandi et quomodocumque disponendi per privatam scripturam usque ad summam sex millium ducatorum potestas.

1 Potius lege *cassare* (R. T.).

2 Ni legendum sit *cassatae* (R. T.).

vandorum et assignandarum[1], quos et quas perceperitis, percipitis, et percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus fructibus, redditibus et pensionibus annuis, necnon vestrâ et cuiuslibet vestrum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercueritis et vos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione, ad vos perventis et perventuris, etiamsi in pecuniam[2] numeratâ, et iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam ubique locorum et penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores (etiamsi talia forent, quae generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis) praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus, usque ad summam sex millium ducatorum auri de camerâ, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus et proventibus et pensionibus debitis et debendis (servatâ tamen formâ constitutionum apostolicarum iam editarum, et si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, ac aliàs, pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet vestrum absolutis, testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu vestrâ scriptâ vel subscriptâ, et aliàs in omnibus et per omnia, prout et quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ curiâ, et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare et alia de novo edere libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, plenam et liberam concedimus facultatem.

Defectus quorumque in praedictis suppleti.

§ 13. Et insuper statuimus et ordinamus, vobisque indulgemus, quod, si vos ab intestato, et sine ullâ vel minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, redditibus et proventuum praedictorum dispositione, in dictâ curiâ, vel extra eam, tam continuâ, quam interpolatâ inibi cuiuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra vestra beneficia, vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia et singula bona, res et iura, etiam, ut praefertur, qualificata, necnon spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praedictis et aliàs un-

1 Potius legerem *assignandorum* vel utrumque (R. T.).

2 Potius lege *pecuniâ* (R. T.).

decumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros arbitrio personae, seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu executores omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant: et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones et alia forsan a vobis etiam nullâ vel minus sufficienti facultate suffultis de huiusmodi bonis, iuribus et actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum et aliâs quomodolibet facta, cum omnibus inde sequutis, ac etiam ea, quae per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ sex millium ducatorum, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis et specifica mentio de illis praesentibus habenda esset, supplemus.

Molestias quacumque prohibet.

§ 14. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon camerae praedictae praesidentibus et clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac cruciatae sanctae et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque, cuiuscumque dignitatis, status et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne universitates, collegia ac loca et legatarios haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi exequutores praedictos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare audeant quoquo modo vel perturbare.

Clausulae praeservativae.

§ 15. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt aut fieri contigerit tam vigore praesentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum ac deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde sequutis et sequuturis, etiamsi vos intra curiam aut quacumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata, per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ solâ voluntate et nullâ subsistente causâ non residentes ab humanis decedere contigerit, sub litteris recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos, extra illam quomodocumque decedentes, septimo kalendas decembris, pontificatus sui anno v, aut alio veriori tempore, emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis, ex quibusvis causis quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam a nobis et Sede praedictâ, hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime compre-

hendi, sed semper ab illis excepta, et, quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum, et etiam sub datâ posteriori, etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, per vos eligendâ, apponendis et latissime specificandis, reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, qui de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus inter vos ex unâ ac nos et cameram praedictam ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et, si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quae, bona, iura et actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut exequutores praedictos, ad tertiam seu aliam eorum partem (quam etiam ex nunc vobis, ac locis, haeredibus, legatariis, ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus) camerae, vel fabricae, aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus, solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ seu confirmatione illius vobis quomodocumque concedendâ de praesenti mentionem aliquam faciendum minime teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse,

Clausula sublata. § 16. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, necnon pro tempore existentes dictae camerae camerarium, praesidentes et clericos, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati. § 17. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi cardinalibus episcopis, et dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in omnibus[1] contenta huiusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et gaudere; non permittentes vos per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesia-

1 Potius legerem *et omnia in eis* (R. T.).

sticum apponendo, et, quatenus opus sit, invocando auxilium brachii secularis.

Derogat contrariis.

§ 18. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri Papae VI etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem Bonifacii VIII, per quam concessiones fructus in absentiâ percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac piae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis, qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus, in dictâ camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita quod praesentes in eâdem camerâ nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterum non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus, etiam imperialibus et municipalibus, tam Urbis, quam aliarum civitatum et locorum, in quibus cives originarii ereati existitis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedictorum, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, regnorum, provinciarum, et Urbis, ac aliarum civitatum et locorum, ac camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis (etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, vos per vos vel procuratores vestros praestiteritis forsan hactenus vel vos in posterum praestare contigerit iuramentum), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitalibus[1], illorum praesulibus, seu oratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis illorum communitatibus, universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis Ordinariis, etiam iisdem cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus, et aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad

1 Forsan legendum *hospitali* (R. T.).

imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis (etiamsi in eis, ac statutis et stabilimentis praefatis, caveatur expresse vel tacite, quod nisi Urbis originariis civibus romanis ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, et nulli cives Urbis, ac civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illarum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, pensionibus clericis saecularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praedictis etiam vigore implicitae derogationis latissimo extendendae, etiamsi per quascumque litteras apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praedicto conventui per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in omnibus quae sic fient etiam de simili consilio derogationibus sit apposita clausula, quod illorum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs, nec alio modo, quodque ipsi exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant); quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere et in specie, ad effectum praesentium, sufficienter et expresse derogamus ac derogatum esse decernimus; quodve vos primam non feceritis in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 19. Volumus autem quod, antequam gratiâ creationis in nostros et Sedis Apostolicae notarios vobis, ut supra, factâ perfrui valeatis, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praefatâ propositos expresse emittere, et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneamini; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 augusti 1655, pontif. anno I.

XXXI.

Moderatio facultatum reverendae fabricae basilicae Principis Apostolorum

de Urbe circa legata pauperibus in genere facta[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Superni dispositione consilii vices Illius gerentes in terris, qui, pauperum curam fidelibus suis praecipiens, quod uni ex illis fieret, sibi factum asseruit, in his pastoralis officii nostri partes affectu paterno libenter interponimus, per quae eorumdem pauperum, et praesertim per vicos et plateas mendicantium, necessitatibus opportune consuli arbitramur.

Constitutionis causa. § 1. Cum itaque retroactis temporibus felicis recordationis Iulius II, Leo X, Clemens VII, Paulus III, et alii forsan Romani Pontifices praedecessores nostri, ut in honorem Principis Apostolorum basilica opere supra ceteras magnifico et eleganti in hac almâ Urbe nostrâ construeretur, perpendentes suas et Apostolicae Sedis facultates ad id minime suffecturas, fabricae dictae basilicae, seu eius collegio, inter alias plures gratias, facultates et privilegia, applicaverint legata pauperibus in genere sine speciali determinatione et propriis nominibus personarum non expressis relicta; cumque huius applicationis ratione pauperes, et potissimum mendicantes, legatis sibi relictis privati remaneant, multique pii fideles retrahi vel saltem taepidiores reddi possint ad relinquendum legata pia, quae aliàs in eorumdem pauperum commodum relicturi essent, dubitantes irritas et inanes evasuras similes eorum dispositiones et in praedictae fabricae utilitatem ob privilegia praefata cessuras: nos, licet ob absolutam fabricae dictae basilicae terminationem, illiusque ornatum, a die nostrae ad summum apostolatum assumptionis mentem direxerimus, considerantes nihilominus eius admirabilem structuram ad optatum fere finem esse perductam, ac proinde longe minorem pecuniarum quantitatem nunc pro eius perfectione et conservatione quam de tempore concessionis antedicti et aliorum eius privilegiorum esse necessariam, aequum et rationi consentaneum esse censemus, ut, sublato privilegii huiusmodi impedimento, Christi pauperes in posterum legata sibi relicta et pro tempore relinquenda plene et libere capiant et consequantur.

§ 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus, decernimus et declaramus, legata pauperibus in genere ubicumque locorum relicta, et pro tempore quandocumque relinquenda, non amplius sub legatorum incertorum nomine in beneficium dictae fabricae, iuxta praedicta eius privilegia, converti, neque sub eius facultatibus comprehendi, sed illa omnia veluti alia certa pia legata in commodum et beneficium pauperum, qui sub tali nomine secundum iuris interpretationem comprehenduntur, plene et integre, iuxta pias legantium dispositiones cedere, ac iisdem pauperibus ab haeredibus aliisque obligatis seu a testamentariis exequutoribus, vel aliis quibus legatorum praedictorum solutio seu exequutio commissa fuit et erit pro tempore, eadem legata, sive in pecuniâ, sive in frumento, pane, vino, aliisque ad humanum usum necessariis consistant, modis, temporibus ac Legata in genere pauperibus relicta eisdem distribui decernit.

1 De hac materiâ Iulius II Constit. *Liquet omnibus*, tom. V, pag. 481; Clemens VII Constit. III *Admonet*, tom. VI, pag. 48, et Constitut. XII *Dudum*, ibid., pag. 76; Paulus III qui refert Constit. XLIV, ibid., pag. 346; Iulius III Constit XVII *Accepimus*, ibid., pag. 445; Pius IV Constit. *De commisso*, tom. VII, pag. 228; Pius V Constit. CXLIX (*al.* 131) *Decet*, ibid., pag. 797, et Const. CLXXII (*al.* 153) *Exigit*, ibid., pag. 851; Sixtus V Constit. CLXX *Cum ex debito*, tom. IX, pag. 181, et Clemens VIII Constit. *Quaecumque*.

diebus a testatoribus seu legantibus praescriptis, solvi et consignari debere.

Ob moram vel negligentiam haeredum, Ordinarius et ministros fabricae in subsidium designat.

§ 3. Quod si ob moram seu negligentiam haeredum aut exequutorum, seu aliorum obligatorum, vel etiam ob mortem eorum, quibus pauperum nominatio et electio, seu aliàs, legatorum executio commissa fuerit, eorumdem legatorum solutionem seu consignationem ultra debitum tempus differri vel impediri contingat, volumus et mandamus ut locorum Ordinarii, et, illis deficientibus, commissarii et ministri praedictae fabricae, in casibus in quibus aliàs praemissorum exequutio de iure et secundum facultates eiusdem fabricae ad eos devolvitur, voluntatem testatorum et relinquentium legata huiusmodi ad commodum et beneficium eorumdem pauperum dumtaxat, prout servatur in aliis legatis certis, exequantur.

In reliquis legatis iura fabricae intacta conservat.

§ 4. Porro, quoad legata pro piis operibus in genere etiam ad arbitrium, nominationem, electionem seu declarationem certorum exequutorum seu aliorum specificandis et declarandis relicta, nullum praesenti nostrâ constitutione eidem fabricae praeiudicium inferre, nihilque super iis de novo statuere intendimus; quinimo omnia et singula eius iura et privilegia per Summos Pontifices praedecessores nostros hactenus in praemissis concessa praeservamus, in casibus tamen in quibus exequutores, seu alii praefati quibus competit facultas (quam per huiusmodi privilegia fabricae nullatenus impediri volumus), illam exercere et ad nominationem, electionem, seu declarationem devenire nolint, vel nullâ factâ declaratione decesserint.

In quibus casibus Constitutio locum habeat.

§ 5. Hanc vero constitutionem, tam in casibus futuris et deinceps contingentibus, quam in praesentibus et praeteritis, praeterquam in eis legatis et relictis quae hactenus a praefatâ fabricâ seu eius ministris agnita, acceptata et incorporata fuerunt, etiamsi super illis in quacumque instantiâ lis pendeat indecisa, servari et locum habere volumus et declaramus. Ceteris autem eiusdem fabricae seu illius collegii privilegiis, gratiis et facultatibus, in iis quae praesentibus non adversantur, nullum ne minimum quidem praeiudicium per praesentes illatum[1] aut illis derogatum esse, seu intelligi, dici, vel censeri posse, sed illas et illa in suo robore et firmitate remanere debere decernimus et itidem declaramus.

§ 6. Decernentes etiam praesentes litteras et in illis contenta nullo unquam tempore (etiam ex eo quod oeconomus et alii officiales praefatae fabricae, ceterique[2] in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, vel sufficienter, aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint) de subreptionis, obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quovis alio quantumvis substantiali defectu notari, vel ex quocumque alio capite etiam in corpore iuris clauso impugnari, rescindi, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius vel controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque sub similium vel dissimilium constitutionum revocationibus, auspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illac

Clausulae appositae.

1 Perperam edit. Main. legit *illarum* pro *illatum* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *celerisque* (R. T.).

emanabunt, toties in pristinum statum restitutas esse et censeri,

Clausula sublata. § 7. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam quoslibet sanctae Romanae Ecclesiae collegii fabricae praefatae cardinales, necnon causarum palatii apostolici auditores, et quosvis alios quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon collegii praefati, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis per praedictos et quosvis alios Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros in favorem eiusdem fabricae, ac illius collegii, etiam per viam contractus iurati, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, in genere vel in specie, et aliàs quomodolibet emanatis, concessis, ac etiam pluries approbatis et confirmatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut quaevis alia exquisita et insolita forma ad hoc servanda esset, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice, ad effectum praemissorum dumtaxat, specialiter et expresse, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 9. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. 30 augusti 1655, pontif. anno I.

XXXII.

Confirmatio decreti Innocentii Papae X super administratione cellerariorum congregationis Cassinensis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Innocentii X. Aliàs emanavit a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro decretum, cui subinde, iussu ipsius Innocentii praedecessoris, a congregatione venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, inserta fuit additio tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis additum. § 1. « Diuturnâ experientiâ compertum est monasteria Congregationis Cassinensium tunc maximo bonorum temporalium

[1] Circa electionem cellerariorum huius congregationis, lege ad Const. LXXVII, *In his*, tom. XV, pag. 501, Innocentii X.

incremento floruisse, cum cellerarii demandatam sibi oeconomicam curam non pro suo arbitrio et auctoritate, sed consulto in omnibus proprio abbate, eoque dirigente, fideliter administrarunt, inutiles resecando sumptus, a profusis munerum largitionibus abstinendo, necnon animalium et agriculturae industriam non in sui sed monasteriorum commodum et utilitatem convertendo, exactasque pecunias depositario integre tradendo in communi areâ asservandas; ad quod etiam multum semper contulit eorum praelatorum vigilantia, qui, rationes introitus et exitus sedulo ac frequenter subducentes, praemisso diligenti examine, ne quid fraudis vel praeiudicii interveniret, omnia ad fidelem calculum revocarunt, prout constitutiones apostolicae, ac eiusdem congregationis statuta provide disponunt.

Poena in contrafacientes.

§ 2. Verum, quia in quibusdam monasterii tam salubres ordinationes cellerariorum incuriâ, et quandoque etiam malitiâ, nimiâque superiorum indulgentiâ negliguntur, et timendum est, ne, si huiusmodi malum subrepat, tractu temporis eorumdem monasteriorum ruina subsequatur; ideo sanctissimus Dominus noster, audito voto congregationis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, innovando in primis constitutionem sanctae memoriae Clementis VIII sub die VI martii MDIIC, eidemque pro firmiori contentorum observantiâ graviores poenas addendo, prohibet omnibus et singulis cellerariis, aliisque eorum ministris, sive monachis, sive commissis, quibus bonorum administratio quocumque modo incumbit, quominus audeant redditus ac proventus supprimere vel minuere, rerum quarumcumque pretium alterare, negotiationibus sese immiscere, animalium seu agriculturae industrias sibi appropriare, aut munera contra formam praedictae constitutionis elargiri, sub poenâ privationis officiorum, vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis eo ipso incurrendâ, a qua praeterquam a Sede Apostolicâ dispensari non valeant, obstringendo abbates, quatenus, cum primum ipsis de huiusmodi transgressionibus innotuerit, ad executionem praedictarum poenarum nullâ interpositâ morâ procedant, aliàs eisdem ipsi poenis subiaceant, ac dignitate abbatiali priventur.

Pecuniae exactae depositario consignandae mandat.

§ 3. Insuper mandat, ut omnes pecuniae quaecumque ex causâ ad monasterium pertinentes a cellerariis dietim, prout exiguntur, depositario consignentur, et in arcam deponantur duabus clavibus diversis obseratam[1] quarum altera penes cellerarium, altera vero penes eumdem depositarium asservari debeant: arca vero ipsa unâ cum rationum codice in camerâ seu cellâ monachi superioris et probatae fidei ab abbate electi et deputati, maiori qua possit diligentiâ, servetur et custodiatur, a qua ne obolus quidem extrahi possit, nisi praecedente mandato in scriptis cellerarii, seu, eo absente, eius ministri ad id deputati, non quidem directo sibi, seu ministro (absente cellerario) deputato ut supra, sed vel iis, quibus pecuniae persolvendae sunt, si praesentes fuerint, vel, si absentes et impediti, factoribus et agentibus monasterii, vel aliis personis, quae, quotiescumque opus fuerit requisitae, huiusmodi solutionem vere et realiter factam fuisse attestari possint et valeant, expressâ in mandato causâ et summâ, necnon manu etiam abbatis seu superioris monasterii firmato, cuius tenor de verbo ad verbum in destinato libro registretur. Computa iurata, introitus et exitus, tam quoad pecunias, quam victualia quaecumque, aliisque omnia in ipsius

1 Male edit. Main. legit *obseratam* (R. T.).

monasterii quotidianas necessitates expensa, consumpta, aut distributa, singulo quoque mense; quae vero in agrorum culturam, ac fructuum recollectionem, quolibet trimestri, ablati, priori, ac decanis fideliter exhibeantur, quibus praedicti non modo se subscribant, sed etiam iuramento confirment ea omnia morali diligentiâ examinasse, nihilque in iis fraudis contra formam praesentis decreti invenisse. Quod si qui defraudasse et veritatem proventuum et expensarum non expedisse inventi fuerint, nedum incurrant poenas superius expressas absque ullâ spe impetrandae dispensationis, verum etiam de furto ac periurio puniantur.

Visitatores inquirant. § 4. Quae omnia ut exactius observetur[1], Sanctitas Sua patribus visitatoribus serio iniungit, quatenus in eorum visitatione super praemissis diligenter inquirant, et, si quid in contrarium commissum aut ommissum repererint, contrafacientes in praenarratas poenas incidisse, et a suis officiis suspensos respective declarent, donec in primo futuro congressu dictae et capituli ad executionem poenarum ut supra inflictarum procedatur, sub poenâ pariter privationis dignitatis abbatialis, necnon vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa seu alia consequenda, rehabilitatione Sedi dumtaxat Apostolicae reservatâ, ab ipsis quoque visitatoribus incurrendâ.

Cellerariorum electio. § 5. Et quia fidele servitium et accurata in exequutione praemissorum diligentia tunc sperari poterit, si cellerarii cum gravitate morum tum vitae probitate et rerum experientiâ conspicui fuerint, ea propter Sanctitas Sua mandat abbatibus, ut in huiusmodi deputationibus faciendis, audito prius consilio seniorum, nonnisi religiosum, gravem, probatum, ac inter decanos adscriptum, definitoribus aut regimini promovendum proponant, quemque aptiorem esse secundum Deum iudicaverint, et talem proprio iuramento in scriptis attestentur. Secus dicta deputatio nulla sit eo ipso, et praelati in proximâ dictâ vel capitulo debite puniantur. « Et ne ullo unquam tempore a monasteriorum superioribus allegari possit ignorantia huiusce decreti, Sanctitas Sua mandat, ut huiusmodi decretum legatur in publicâ mensâ bis in anno, idest mense februarii et octavâ Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae, sub iisdem poenis in praesenti decreto adversus contrafacientes expressis ». Romae die XIII iulii MDCLIV.

M. cardinalis GINETTUS.

H. archiepiscopus Patracensis, *secret.*

Confirmat pro ut in rubricâ. § 6. Cum autem firmius observentur illa, quibus saepius auctoritatis apostolicae munimen accedit, nobis propterea venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis Barberinus nuncupatus, praedictae Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti apud nos et Sedem Apostolicam protector, humiliter supplicavit, ut decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Franciscum cardinalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, unâ cum additione praedictâ, aliisque omnibus et singulis in eo quomodolibet ut praemittitur contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter in posterum observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audito-

1 Aptius lege *observentur* (R. T.).

res, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis Cassinensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 septembris 1655, pontif. anno I.

XXXIII.

Confirmatio conclusionis capituli Barensis super aggregatione octodecim presbyterorum ad servitium dictae ecclesiae [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii archidiaconus, archipresbyter, aliique constituti in dignitatibus, necnon canonici ecclesiae Barensis, quod ipsis, qui, ut asserunt, viginti octo existunt, servitium divinum in dictâ ecclesiâ eiusque choro toto anno peragendum, unico die vacationis singulis mensibus respective excepto, incumbit, ipsorumque singuli annuatim, computatis insimul eorum praebendis et distributionibus quotidianis per eos lucrifieri solitis, sexaginta quinque ducatos monetae regni Neapolitani circiter, cum celebrationis missarum onere usque ad viginti ducatos similes, ex redditibus eiusdem ecclesiae respective percipiunt; ac ex ipsis dignitates obtinentibus et canonici sex ad exercitium curae animarum parochianorum dictae ecclesiae subiectorum, penes capitulum ipsius ecclesiae existentis, aliique officiales eiusdem ecclesiae deputari solent, unde fit, ut eorum qui choro divinisque officiis celebrandis assistunt numerus, demptis officialibus praedictis in officiorum suorum exercitio occupatis, et aliis pro tempore legitime impeditis, prout ad praesens duo ex iisdem canonicis seu dignitates obtinentibus omnino caeci reperiuntur, interdum ad septem vel octo reducatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes capitulariter congregati, pro maiori cultus divini augmento, de consensu venerabilis fratris archiepiscopi Barensis eorum Ordinarii ac dilectorum filiorum totius cleri Barensis, octodecim presbyteros simplices et magis antianos eiusdem cleri praedictae ecclesiae servitio, eâ lege ut chori ceterisque dictae ecclesiae functionibus, factâ inter eosdem exponentes ac presbyteros huiusmodi hebdomadum anni divisione, insistant, aggregandos fore censuerint et concluserint, ac iisdem presbyteris, servitii huiusmodi per eos praestandi intuitu, trecentos ducatos eiusdem monetae, a dilectis pariter filiis communitate et hominibus civitatis Barensis praedictis ca- Motiva.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

pitulo et clero pro exemptione a gabellis vini minutim vendi solitis quotannis debitos, assignaverint, et insuper in loca presbyterorum praedictorum pro tempore defunctorum alios presbyteros antianos succedere debere statuerint, cum aliis pactis et conditionibus licitis et honestis, prout in conclusione capitulari desuper emanatâ uberius dicitur contineri:

Sequitur supplicatio et a censuris absolvit.

§ 3. Nobis propterea iidem exponentes et clerus humiliter supplicari fecerunt, ut conclusioni capitulari huiusmodi, pro firmiori eius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robur adiungere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, praescriptos exponentes et clerum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eamdem conclusionem capitularem cum omnibus et singulis praemissis, aliisque in eâ contentis, licitis tamen et honestis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula praeservativa.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae et cleri huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 septembris 1655, pontif. anno I.

XXXIV.

***Communicatio et translatio indulgentiarum aliàs concessarum Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi in regno Franciae*[1].**

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus generalis ac presbyteri et clerici seculares Congregationis[2] Oratorii Iesu Christi Domini nostri nuncupatae in regno Franciae, aliàs per felicis recordationis Paulum Papam V praedecessorem institutae, quod, inter alia spiritualium gratiarum munera quibus eadem Congregatio decorata reperitur, fuit (per viam communicationis gratiarum et indulgentiarum a Sede Apostolicâ Congre-

1 Ex Regest. in Secr. Brev.
2 Edit. Main. legit *Congregationi* (R. T.).

gationi Oratorii S. Mariae ac S. Gregorii in Vallicella de Urbe aliàs concessarum primodictae Congregationi per recolendae memoriae Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum factae) concessum indultumque tam presbyteris, clericis et aliis dictae Congregationis tunc et pro tempore existentibus, quam omnibus aliis christifidelibus, ut, si et quando aliquam seu aliquod ex ecclesiis, cappellis et oratoriis eiusdem primodictae Congregationis, ubivis terrarum et gentium consistentibus, tunc et in futurum canonice erigendis, vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, et S. Gregorii Magni, ac S. Philippi Nerii, necnon in Nativitate[1] Deiparae Virginis Mariae, ipsisque etiam presbyteris et clericis ac confratribus oratorii parvi *externorum* nuncupati cuiusvis domus seu loci ipsius Congregationis in Assumptionis eiusdem B. Mariae Virginis festis diebus respective, a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum huiusmodi, singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariis omnium suorum peccatorum indulgentiis et remissionibus, aliâs dictâ auctoritate apostolicâ presbyteris, clericis, aliisque personis praedictae Congregationis Oratorii de Urbe, ac omnibus christifidelibus eamdem ecclesiam B. Mariae in Vallicella visitantibus, ac praemissa inibi peragentibus, ut praefertur, concessis, perpetuo fruerentur et gauderent; ac insuper sicuti oratorio parvo dictae Congregationis de Urbe ita et dictis presbyteris et confratribus parvi oratorii *externorum* cuiusvis ecclesiae seu oratorii primodictae Congregationis per viam eiusdem communicationis concessum fuit, ut qui ecclesiam, seu cappellam pro oratorio parvo huiusmodi destinatam, in omnibus aliis eiusdem B. Mariae Virginis, necnon singulorum sanctorum Apostolorum, ac sanctae Mariae Magdalenae et sanctorum Martini et Antonii, et sanctae Elisabeth reginae Hungariae festis similiter diebus, ut supra, visitassent, inibique, ut supra, orassent, quo die praedictorum id egissent, ipsis septem anni, ac totidem quadragenae de iniunctâ[1] seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxati essent; et aliâs prout in litteris apostolicis super dictâ communicatione emanatis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Transfert indulgentias aliàs concessas Congregationi Oratorii in Galliis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes pro peculiari suâ et populi christiani devotione aliquas ex praedictis perpetuis et aliis indulgentiis huiusmodi sic lucrandis in alios dies transferri ut infra summopere desiderent: nos, piis eorumdem exponentium votis et desideriis benigne hac in parte annuere volentes, ac ipsorum exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictas plenarias et perpetuas, a die videlicet sancti Gregorii Magni in vigesimam octavam ianuarii, necnon a die Nativitatis eiusdem beatae Mariae Virginis in decimam diem septimam[2] septembris,

[1] Potius lege *Nativitatis* (R. T.).

[1] Potius lege *iniunctis* (R. T.).

[2] Ita ed. Main. pro *decimamseptimam diem* (R. T.).

et quoad oratorium parvum praedictum ab Assumptionis beatae Mariae Virginis in Nativitatis Domini nostri Iesu Christi; alias autem non plenarias ex[1] septem annorum ac totidem quadragenarum indulgentias itidem perpetuas a sanctorum Matthiae, Iacobi Maioris, Simonis et Iudae, ac Thomae apostolorum et sanctae Elisabeth praefatorum festis diebus, in Circumcisionis, Epiphaniae, necnon Ascensionis et Transfigurationis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac in sancti Iosephi dies respective, in quibus iidem presbyteri, clerici et quicumque alii fideles et confratres, aliaeque personae huiusmodi, ad praescriptum litterarum apostolicarum super primaevâ concessione indulgentiarum huiusmodi et super illarum communicatione respective emanatarum, praemissa peragentes, easdem plenarias et alias indulgentias huiusmodi consequantur, quas et prout illas in praedictis diebus, in quibus concessae fuerant, consequebantur et consequi poterant

Confirmat alias indulgentias praedictae Congregationi. § 3. (Firmis aliàs in suo robore remanentibus aliis gratiis spiritualibus et indulgentiis eidem primodictae Congregationi, illiusque personis ac ecclesiis et oratoriis ubivis existentibus et confratribus huiusmodi concessis seu communicatis), perpetuo transferimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 septembris 1655, pontif. anno I.

1 Vel *et* vel *videlicet* pro *ex* legendum (R. T.).

XXXV.

Confirmatio privilegiorum monasterii B. M. V. de Monferrato Ordinis sancti Benedicti nullius dioecesis seu Vicensis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas et monachi monasterii B. Mariae Virginis de Monferrato nuncupati Ordinis sancti Benedicti, nullius seu Vicensis dioecesis, ac officiales et confratres confraternitatis sub invocatione eiusdem beatae Mariae Virginis in eo canonice institutae, quod ipsi privilegia et gratias monasterio et confraternitati huiusmodi aliàs a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo firmiora subsistant et ab omnibus arctius[2] observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderant.

Annuit Pontifex. § 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia et gratias praedicta, dummodo tamen in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ed. Main. legit *arctivis* pro *arctius* (R. T.).

et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausula praeservativa. § 3. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 septembris 1655, pontif. anno 1.

XXXVI.

Circa paritatem votorum in definitorio congregationis Hispaniarum fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut, si post tres[1] sessiones cum trino in singulis scrutinio resolutio canonica non emanaverit, tunc unus ex provincialibus successive, et alternatim per turnum, iuxta antiquitatem suarum provinciarum, votum habere debeat in definitorio pro illâ vice, absque tamen praerogativâ aut definitoris generalis denominatione[2].

1 Male edit. Main. legit *eas* pro *tres* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes a S. Bonaventura, procurator generalis congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Captivorum, quod capitulum definitorium eorumdem fratrum, constans ex ministro generali et quatuor definitoribus, in vim capituli XLI regulae apostolicâ auctoritate approbatae et constitutionum dictae congregationis capitulum generale in omnibus quae occurrunt extra capitulum, tam quoad provisiones superiorum ac officialium quam quoad regimen dicti Ordinis, repraesentat.

§ 2. Verum quia, sicut eadem expositio subiungebat, quandoque contingit, ut vel per obitum, vel per renunciationem, privationem, assumptionem, aut aliam ob causam, unus ex dictis definitoribus deficiat, ita ut vota seu suffragia remaneant paria, ac propterea difficilius decerni ac elici possint canonicae resolutiones per pluralitatem votorum; ideo de anno MDCLIII capitulares capituli generalis eiusdem Ordinis in civitate Toletanâ legitime congregati mandarunt supplicandum Sedi Apostolicae, ut disponeretur, quod in similibus paritatis[1] votorum casibus, si post tres sessiones, in quarum singulis tria scrutinia fieri debeant, resolutio canonica non emanasset, tunc unus ex ministris provincialibus dictae congregationis successive, et alternatim per turnum, iuxta antiquitatem suarum provinciarum, votum et suffragium habere debeat in praedicto definitorio pro illâ vice, absque tamen praerogativâ ullâ aut denominatione definitoris generalis, praemissaque[2], toties quoties casus huiusmodi occurris-

1 Male edit. Main. legit *paritatibus* (R. T.).
2 Lectio vel errata vel defectiva videtur; nempe vel subdendum *dispositio*, vel postea legendum *servarentur* pro *servaretur* (R. T.).

set paritatis votorum, modo et formâ superius expressis servaretur. Quare nobis idem Ioannes procurator huiusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvit et annuit.

§ 3. Nos igitur, eumdem Ioannem procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes[1] et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, quod de cetero in casibus paritatis votorum supra expressis, si post tres sessiones, in quarum singulis tria scrutinia fieri debeant, ut praefertur, resolutio canonica non emanaverit, tunc unus ex ministris provincialibus successive, et alternatim per turnum, iuxta suarum provinciarum antiquitatem, votum et suffragium habere debeat in praefato definitorio pro illâ vice, absque tamen ullâ praerogativâ aut denominatione definitoris generalis, idque, toties quoties casus evenerit paritas votorum seu suffragiorum, modo et formâ superius expressis servetur, servarique debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, disponimus et ordinamus.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostri[2] poenis, omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut praemissa sic per nos statuta, disposita et ordinata observent et ab aliis observari curent et faciant.

Praesentes validas declarat.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, et irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praecitato capitulo XLI dictae regulae, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 septembris 1655, pontif. anno I.

XXXVII.

Confirmatio Congregationis Missionis in Galliâ, cum nonnullorum dubiorum resolutione[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium

Ex commissâ nobis a supremo Pastore dominici gregis curâ ad ea libenter in-

1 Edit. Main. legit *absolvendum* (R. T.).

2 De more solito legendum *nostro* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tendimus, per quae congregationum personarum ecclesiasticarum ad maiorem divini nominis gloriam et procurandam animarum salutem pie prudenterque constitutarum statui opportune consuli arbitramur.

Congregationem Missionis confirmat. § 1. Itaque nonnulla dubia, super statu Congregationis Missionis in Galliâ inceptae ac olim a Sede Apostolicâ approbatae enata, tollere, necnon dilectum filium Vincentium de Paul, eiusdem Congregationis superiorem generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, ad quos negotium huiusmodi discutiendum remisimus, consilio, praefatam Congregationem Missionis sic, ut praefertur, inceptam et approbatam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, cum emissione votorum simplicium castitatis, paupertatis et obedientiae necnon stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitae tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi post biennium probationis faciendae, in quorum tamen votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptat[1], sive nomine Congregationis, sive nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis nomine, et vota sic, ut supra, emissa dissolvere possit solus Romanus Pontifex, necnon et superior generalis dictae Congregationis in actu dimissionis e Congregatione: nemo autem alius, etiam vigore cuiuscumque iubilaei, bullae cruciatae, seu alterius privilegii et indulti, aut cuiuscumque constitutionis, sive concessionis, nisi in eis facta fuerit specialis mentio horum votorum sic, ut supra, in dictâ Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare possit et valeat; statuentes, ut dicta Congregatio exempta sit a subiectione locorum Ordinariorum in omnibus, excepto quod personae, quae a superioribus eiusdem Congregationis deputabuntur ad missiones aliquas, subsint ipsis Ordinariis tantum quoad missiones et ea quae illas concernunt, utque dicta Congregatio non censeatur propterea in numero Ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri secularis.

Praesentes confirmat. § 2. Ac decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore

1 Potius legendum *acceptet* (R. T.).

permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 septembris 1655, pontif. anno 1.

XXXVIII.

Super dominio conventus S. Mariae de Victoria fratrum Carmelitarum Discalceatorum provinciae Romanae et gubernatione seminarii S. Pauli in eodem conventu existentis, necnon super administratione bonorum dicti seminarii[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Decet Romanum Pontificem, dominici gregis utilitatibus ex impositae sibi divinitus apostolicae servitutis officio iugiter invigilantem, circa ea, quae ad fidei catholicae augmentum et religiosorum virorum sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum tranquillitatem et felicem directionem conferunt, sollicitis studiis intendere, ac desuper curae suae pastoralis partes interponere, prout rationi iudicat esse consentaneum.

§ 1. Cum itaque, licet aliàs diversis temporibus super gubernio et regimine conventus seu seminarii S. Pauli sive S. Mariae de Victoria nuncupatae de Urbe Ordinis fratrum Discalceatorum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo diversae ordinationes emanaverint, nec tamen hactenus tam super praemissis quam super iuribus et praetensionibus dilectorum filiorum fratrum provinciae Romanae eiusdem Ordinis eâ in re plene provisum fuerit:

Motiva. § 2. Hinc est quod nos, dictae religionis unioni et paci, necnon eorumdem fratrum provinciae Romanae indemnitati, praedictique conventus seu seminarii prosperae directioni, ad omnipotentis Dei gloriam opportune providere volentes, ac quarumvis litterarum apostolicarum, praesertim felicis recordationis Pauli V, Urbani VIII, Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in simili formâ Brevis expeditarum, necnon decretorum congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum, ac capituli generalis Ordinis huiusmodi concordiam[1], testamentorum, codicillorum, legatorum et aliarum dispositionum quarumcumque tenoris[2] etiam unionis datas, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, supplicationibus dilecti etiam filii provincialis et eorumdem fratrum provinciae Romanae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto nonnullorum ex cardinalibus praedictis, qui, in executionem commissionis et mandati nostri, iura, rationes, titulos et fundamenta; tam ex parte dilectorum pariter filiorum praepositi generalis et procuratoris ac definitorii generalium, quam ex parte dictorum provincialis et fratrum praedictae provinciae Romanae Ordinis supradicti data, exhibita et producta, viderunt, examinarunt et considerarunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus, decernimus et ordinamus dictum conventum seu seminarium S. Pauli seu S. Mariae de Victoria de — Quod conventus subiiciatur provinciae Romanae.

1 Horum fratrum congregationem approbavit Gregor. XIII in Constitut. CXXI, *Pia consideratione*, tom. VIII, pag. 350. Et seminarium, de quo agitur ad fidei christianae propagationem in Urbe erexit Paulus V Const. CCXXVII (al. 211), *Romani*, tom. XII, pag. 199,

1 Forsan *concordiae* legendum; sed lectio defectuosa (R. T.).

2 Potius lege *tenores*, sed lectio corrupta (R. T.).

Urbe esse debere provinciae Romanae supradictae, provinciali Romano subiectum in omnibus et per omnia, etiam quoad conventualitatem fratrum non seminaristarum, ad instar aliorum dictae provinciae conventuum, ac officiales a capitulo generali seu definitorio generali electos et ibidem constitutos dimittendos, videlicet priorem, subpriorem seu vicarium, et ad capitulum seu definitorium provinciale eiusdem provinciae Romanae in futurum spectare electionem prioris (cum participatione tamen et approbatione, quoad hunc, dictae congregationis cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum) necnon etiam subprioris, seu vicarii, aliorumque officialium conventus seu seminarii huiusmodi ad formam constitutionum praedictae religionis, remanentibus tamen ibidem seminario et seminariis[1], eorumque controversiarum et linguarum orientalium lectoribus et magistris ad praesens existentibus et pro tempore futuris, quorum electio et amotio cum participatione praepositi generalis dicti Ordinis ad congregationem cardinalium praedictorum in futurum spectet et pertineat.

§ 3. Insuper administrationem omnium et singulorum bonorum, redditaum et proventuum, tam a quondam Francisco Ciminio barone de Cacurri quam ab aliis relictorum, datorum, seu donatorum, et in posterum, videlicet promissionibus faciendia[2], curae et diligentiae dictae congregationis cardinalium, amotis syndicis et procuratoribus quibuscumque praedicti Ordinis, autoritate et tenore praedictis, committimus.

In praedicto conventu seminaristas eorumque lectores convivere mandat.

§ 4. Praeterea, quamvis conventus praedictus sit et esse debeat, ut supra, provinciae Romanae, volumus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est, seminaristae eorumque lectores et magistri unà cum fratribus eiusdem provinciae libere cohabitare et convivere valeant; pro alimentis vero, substentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis seminaristarum, eorumque lectorum, solvantur praedicto conventui, seu eius priori, aut procuratori, per congregationis supradictorum cardinalium ministros, ex redditibus dicti seminarii, vel promissionibus ut supra relictis, seu in posterum relinquendis, annua scuta quadraginta pro quolibet seminarista vel lectore pro tempore et ratâ temporis quo quilibet lector et seminarista ibi resederit ac cohabitaverit et convixerit, remanentibus ad conventus commodum eleemosynis seu emolumentis pro missis, a praedictis seminaristis, lectoribus et magistris celebrandis, quomodolibet resultantibus; at, si lector pro studio linguarum fuerit secularis vel religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti seminarii redditibus eiusdem congregationis cardinalium arbitrio assignetur.

§ 5. Denique statuimus, ut pro seminaristis huiusmodi eligantur eiusdem Ordinis sacerdotes ex qualibet provinciâ bonis moribus, pietate, zelo, prudentiâ, doctrinâ, aliisque virtutibus, necnon corporis sanitate praediti, qui studium sacrae theologiae compleverint, et post ingressum infra sex menses iuramentum in manibus dilecti filii nostri S. R. E. cardinalis praefecti congregationis dictorum cardinalium et coram illo omnino emittant, quod finitis studiis ut supra controversiarum et linguarum ad omne congregationis eorumdem cardinalium mandatum ad missiones prompte ibunt et inde non discedent absque eiusdem congregationis expressâ licentiâ.

Praesentes validas declarat.

§ 6. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque etiam speciali expres-

1 Forsan *seminaristis* (R. T.).

2 Lectio defectiva et errata esse videtur; vel legendum *et in posterum ... donandorum* (R. T.).

sione digni in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae et iustificatae ullatenus fuerint, aut ex quacumque aliâ causâ, colore, praetextu et occasione et capite etiam in corpore iuris clauso, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aut alio quocumque quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud iuris et facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nunquam posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoscumque, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 7. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus quoquo modo adversantur, praedictorum et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris, etiam in simili formâ Brevis expeditis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, generalibus vel specialibus, necnon congregationis praedictorum cardinalium ac capituli generalis praedicti Ordinis decretis ac concordiis et legatis, testamentis, codicillis et dispositionibus, ex quacumque causâ, titulo, occasione et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis et observatis respective, et aliis quibusvis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac erectione et fundatione conventus et seminarii praedictorum, illorumque ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, iisdem Ordini, conventui et seminario, illorumque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse et plene omnimode et absolute derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 septembris 1655, pontif. anno I.

XXXIX.

Facultas nuncio Coloniae absolvendi a censuris illos, qui, occasione invasionis regni Poloniae Moscorum et Svecorum armis factae, vasa et alia utensilia sacra aurea et argentea ac iocalia ecclesiarum et locorum piorum tradiderunt ad conflandum et cudendum nummos, et eos qui illa acceperunt et conflarunt[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Cum, sicut accepimus, occasione invasionis regni Poloniae Moscorum et Svecorum armis factae, non sufficientibus ad resistendum aerarii regii et laicorum facultatibus, aliquae personae ecclesiasticae, seu seculares et regulares, vasa et alia utensilia aurea et argentea ac iocalia ecclesiarum et forsan solemni consecratione divino cultui dedicata tradiderint, ut ex illis conflatis nummi cuderentur, nullâ habitâ ad id a nobis et Apostolicâ Sede propter urgentem et quae moram non patiebatur necessitatem licentiâ:

Nuncio Coloniae a censuris absolvendi facultatem impertitur. § 2. Nos, tam earumdem personarum ecclesiasticarum, quam aliarum, quae vasa, utensilia et iocalia praedicta ab illis acceperunt conscientiarum tranquillitati et animarum saluti in praemissis pro paternâ nostrâ charitate consulere volentes, fraternitati tuae omnes et quascumque personas ecclesiasticas, sive seculares, sive cuiusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti regulares, quae vasa aliaque utensilia et iocalia ecclesiarum et locorum piorum quorumlibet ad effectum praedictum tradiderunt et alienaverunt, necnon quascumque personas, etiam quacumque mundanâ dignitate, praeeminentiâ, auctoritate et potestate fungentes, quae praemissa acceperunt et conflarunt, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eis et eorum cuilibet aliquâ arbitrio tuo poenitentiâ salutari, a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ absolvendi ac liberandi, dictasque poenas illis et eorum cuilibet gratiose remittendi et condonandi, necnon cum eisdem personis ecclesiasticis, quae censuris huiusmodi innodatae missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, super irregularitate eapropter quomodolibet contractâ, eâdem auctoritate dispensandi facultatem, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in conciliis universalibus, provincialibus et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx septembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1655, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XL.

Declarat admissionem professorum ad respondendum pro loco ab episcopo Cracoviensi, non solum cum rectore et decanis facultatum academiae Cracoviensis, sed etiam cum ceteris, ad quos legitime ei interesse spectat, fieri debere[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater episcopus Cracoviensis nobis nuper exponi fecit, ex eo qod in quibusdam felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri litteris in simili formâ Brevis die v novembris MDCLIII expeditis, per quas, inter alia, iurisdictio et auctoritas episcopi Cracoviensis specialiter in admissione professorum ad respondendum pro loco unà cum rectore et decanis facultatum universitatis seu academiae civitatis Cracoviensis confirmatur, exortum fuerit dubium, utrum, propter eorumdem rectoris et decanorum expressionem, ceteri in huiusmodi admissionem professorum ad respondendum pro loco ius unà cum dictis rectore et decanis habentes ab illâ exclusi censeri debeant:

Declarat admissionem professorum ad respondendum fieri debere prout in rubrica.

§ 2. Nos, dubium huiusmodi tollere, ac praedictum episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon praedictarum Innocentii praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso[1] et verbatim inserto habentes, eamdem admissionem professorum ad respondendum pro loco a memorato episcopo Cracoviensi, non solum cum rectore et decanis facultatum huiusmodi, sed etiam cum ceteris, ad quos ei interesse legitime spectat, fieri debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus.

Praesentes validas declarat.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus quoquo modo dici possent contraria, iisdem Innocentii praedecessoris litteris, ac omnibus illis, quae dictus Innocentius praedecessor in praedictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 octobris 1655, pontif. anno I.

XLI.

Facultas abbatis S. Galli Ordinis sancti Benedicti, nullius dioecesis, provinciae Moguntinae, creandi notarios, etc.[2].

Dilecto filio Gallo Alto, abbati monasterii nuncupati S. Galli Ordinis sancti Benedicti nullius dioecesis provinciae Moguntinae,

Alexander Papa VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *expressis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem abbati S. Galli creandi notarios.

§ 1. Tuae in nos et Apostolicam Sedem devotionis meritis inducimur, ut votis tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus.

§ 2. Itaque, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut, si[1] terrarum et locorum temporali dominio et iurisdictioni monasterii abbatiae nuncupati S. Galli Ordinis sancti Benedicti nullius dioecesis provinciae Moguntinae, cui praeesse dignosceris, subiectorum necessitas postulaverit, viros aptos et idoneos in notarios et tabelliones publicos, praevio examine, ac recepto prius ab eis nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, auctoritate nostrâ apostolicâ facere et creare possis et valeas, qui quidem notarii et tabelliones, per te vigore praesentium creandi, notariatus et tabellionatus officium in quibuscumque mundi partibus exercere valeant, eâdem auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 octobris 1655, pontif. anno I.

[1] Particulam *si* nos addimus (R. T.).

XLII.

Facultates absolvendi ab haeresibus Christinam reginam Sueciae[1].

Alexander Papa X.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Cum, sicut non sine spirituali animi nostri laetitiâ accepimus, Christina Sveciae regina illustris, ex parentibus haereticis procreata, ac in haeresibus educata et instructa, divino numine illustrata, viâque veritatis agnitâ, easdem haereses omnino deserere et ad gremium S. R. E. benedicente Domino redire desideret:

Dat facultatem absolvendi ab haeresibus Christinam reginam Sveciae.

§ 2. Nos, qui pro pastorali munere id unum praecipue curare tenemur, ut, si quae oves a veritatis semitâ aberrant, in salutis viam revocentur, de tuâ singulari pietate, prudentiâ, religionis catholicae et honoris domus Dei zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi eamdem Christinam reginam, sive praeviâ abiuratione iudiciali sive extraiudiciali, aut nullâ abiuratione praecedente, sed loco abiurationis receptâ tantum ab eâ fidei catholicae professione iuxta articulos pridem a Sede Apostolicâ propositos, ab haeresibus huiusmodi, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eam propterea quomodolibet incursis, iniunctâ ei aliquâ poenitentiâ salutari, aliisque iniungendis, prout eiusdem Christinae reginae animae saluti expedire cognoveris, in utroque foro auctoritate nostrâ absolvendi, eamdemque Christinam reginam in gremium eiusdem S. R. E. recipiendi et reconciliandi, adhibito aliquo ad praedictos actus notario publico, tenore praesentium

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

plenam, liberam et amplam facultatem concedimus et impertimur, volentes ut simplici tuae attestationi, etiam nullis adhibitis testibus, accedente tamen tuâ subscriptione, plena et omnimoda fides adhibeatur.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, decretis, usu et stylo tribunalis officii sanctae universalis inquisitionis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 octobris 1655, pontif. anno I.

XLIII.

Hortatorium archiepiscopo Caesaraugustano ne ecclesiasticos ad solutionem gabellarum teneri decernat, nisi petito capituli consensu[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Caesaraugustano,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio. § 1. Nuper, tuo et dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Caesaraugustanae nomine nobis exposito, quod, pro dissolutione aeris alieni per dictam civitatem occasione pestis, quae ipsam civitatem ab anno MDCXLVII usque ad annum MDCLIII afflixit, contracti, duae gabellae super farinâ et carne vendendis in civitate praedictâ eiusque districtu impositae fuissent, quodque, attento quod laicorum facultates ad id nequaquam sufficerent, tu et communitas et homines praedicti summopere desiderabatis a nobis permitti, ut in solutionem gabellarum huiusmodi etiam personae ecclesiasticae concurrere possent: nos, supplicationibus tuo ac eorumdem communitatis et hominum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, inter alia, fraternitati tuae sub certis modo et formâ tunc expressis committimus et mandamus[1], quatenus, dummodo ad id cleri eorumdem civitatis et districtus in primis et ante omnia accederet assensus, personas ecclesiasticas, tam seculares, quam regulares utriusque sexus, civitatis et districtus huiusmodi, ad solutionem gabellarum praefatarum teneri et obligatas esse et fore auctoritate nostrâ apostolicâ decernentes[2], et aliâs prout in nostris litteris desuper in simili formâ Brevis die IV iunii proxime praeteriti expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur[3].

§ 2. Cum autem, sicut postmodum dilecti pariter filii capitulum et canonici metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae nobis exponi fecerunt, ipsi, licet ab immemorabili tempore, uti eiusdem cleri caput, totum illius corpus repraesentaverint et repraesentent, et propterea ipsorum consensus semper in similibus gabellarum impositionibus principaliter requisitus et obtentus fuerit, nec unquam in contrarium quicquam obtinuerit, nihilo tamen minus vereantur, ne illis spretis ad praefatarum nostrarum litterarum executionem in grave eorum praeiudicium procedas: nobis propterea idem capitulum et canonici humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Sequitur supplicatio.

§ 3. Nos igitur, dictos capitulum et A censuris absolvit.

1 Ex Regest in Secret. Brev.

1 Potius lege *commisimus* ... *mandavimus* (R. T.).

2 Potius lege *decerneres* (R. T.).

3 Quas vide supra pag. 14 huius tomi (R. T.).

canonicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eamdem fraternitatem tuam per praesentes in Domino hortamur et monemus, ne personas ecclesiasticas praedictas ad solutionem dictarum gabellarum, nisi petito eorumdem capituli et canonicorum ad id consensu, teneri decernas. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 octobris 1655, pontif. an. I.

XLIV.

Confirmatio privilegiorum Ordinis fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Claudius d'Orchamps, totius Ordinis fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula corrector generalis, quod ipse, pro felici ipsius Ordinis gubernio atque directione, omnia et singula privilegia eidem Ordini per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, quo firmiora persistant et ab omnibus arctius[2] observentur, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *arctivis* pro *arctius* (R.T.).

A censuris absolvit. § 2. Nos igitur, eumdem Claudium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia praedicta, dummodo tamen in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Clausulae. § 3. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I

Dat. die 16 octobris 1655, pontif. anno I.

XLV.

Concessio privilegiorum pro suis cappellanis communibus.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Grata familiaritatis obsequia[1], quae dilecti filii Iosephus Tosone, Franciscus Sardolus, Michaëlangelus Lualdus, Hieronymus Morellus, Ioannes Laurentius della Ratta, et Andreas Basile, presbyteri, moderni cappellae nostrae pontificiae cappellani familiares nostri, nobis et Apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientiâ, quam etiam fide dignorum testimoniis, iuvari percipimus, nos inducunt ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Cappellanos familiares absolvit a censuris.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes illos specialibus favoribus et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes,

Motu proprio comites, nobiles creat.

§ 2. Motu proprio, non ad supradictorum Iosephi, Francisci, Michaëlisangeli, Hieronymi, Ioannis Laurentii et Andreae, vel alicuius ipsorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ nostrâ deliberatione, ac certâ scientiâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, Iosephum, Franciscum, Michaëlemangelum, Hieronymum, Ioannem Laurentium et Andream praedictos, et illorum singulos, in nostros et Sedis Apostolicae notarios recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praeiudicio) necnon nobiles Romanos et urbis Romae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum cives creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae eorumdem comitum, ac nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum et oppidorum praefatorum referimus et conscribimus, ipsisque, etiamsi habitum et rochettum notariorum dictae Sedis, iuxta decretum Lateranensis concilii novissime celebrati, non deferant, aut civitates huiusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri etiam de numero partecipantium, necnon comites et nobiles, ac cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum ecclesiasticorum et secularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium, assecutione et exercitio, tam in Urbe, quam civitatibus praedictis, ac aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis Sedis Apo-

[1] Confer similem supra pag. 47 huius tomi (R. T.).

stolicae et comitibus palatinis praetensa, ita ut illis supranominati cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum et inane existat, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari), uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese notarios, comites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanae et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere et se illis subscribere valeant, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus et nobilibus ac civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus et per omnia censeatur.

Privilegiis gaudere decernit.

§ 3. Et insuper illos, eorumque beneficia et ecclesiastica quaecumque, quorumcumque, et qualiacumque illorum fructus, res et iura, ubicumque locorum, regionum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia et immobilia, et semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, cuiusvis etiam annui valoris fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque ab illis vendenda, ac pro illorum familiarumque suarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus, tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum, et mercium cuiuscumque generis transitus seu passus et vecturae etiam in aliud territorium seu provinciam terrâ, mari et flumine, necnon aequorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod illi et quilibet eorum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneantur, nec per camerae apostolicae, aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores, quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur valeant coarctari, quamdiu servitiis nostris institerint dumtaxat, eximimus et liberamus.

Eosdem a solutione onerum eximit.

Ad quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia obtinenda dispensat.

§ 4. Ad haec cum eisdem, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium etiam metropolitanarum aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam maior et principalis, canonicatus et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si eis aliàs canonice conferantur, aut eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere, necnon etiam, quamdiu nobis inservierint tantum, in beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus, vel curam animarum

parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis vel cathedralibus maiores et in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per[1] locorum Ordinarios, seu ecclesiarum earumdem capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus et redditus durante servitio praedicto cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare, proviso tamen per eos ut onera eisdem dignitatibus et beneficiis quovis modo incumbentia congrue supportentur, necnon, etiamsi presbyteri fuerint ac dignitates et officia obtinuerint, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis annum non excesserint, audire, ac, si habiles et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium, in causis ecclesiasticis et civilibus tantum, exercere libere et licite possint et valeant, de specialis dono gratiae dispensamus.

Confessarium eligere possint.

§ 5. Liceat quoque ipsis et eorum singulis aliquem idoneum, et ab Ordinario loci approbatum, presbyterum secularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in suum eligere confessorem, qui, vitâ eis comite, eos et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, et etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, ac a quorumcumque votorum et ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas, non tamen episcopos vel superiores praelatos, de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus, necnon[1] recitationis horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus, semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, auctoritate apostolicâ absolvere, et illis pro commissis poenitentiam pro modo culpae iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.

Pensiones neque ad summam centum ducatorum de camerâ reservare possunt.

§ 6. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, tam in dictâ curiâ quam extra eam, etiam ad id per eos aut eorum singulos coram notario et testibus fide dignis eligendi

[1] Praep. *per* nos addimus (R. T.).

[1] In loco parall. sup. pag. 50 *b*, et alibi, legitur exceptionis modo *non tamen* (R. T.).

seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super mensarum abbatialium seu episcopalium aut archiepiscopalium et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumcumque ordinum regularium, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus etiam quotidianis, seu illorum[1] loco fructus, pruventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta sibi nunc et pro tempore assignata et reservata, quandocumque, simul vel successive, in toto vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ, de eorumdem cappellanorum vel cuiuslibet ipsorum consensu, in toto vel in parte, etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, distributionibus, seu illorum[2] loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi etiam usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis, etiam per eosdem cappellanos et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus[3], seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, eisdem modo et formâ quibus eisdem cappellanis assignatae aut reservari seu assignari concessae seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones ac distributiones et emolumenta huiusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatae et de novo assignatae fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, integre persolvenda reservare, constituere et assignare.

Testandi et quomodocumque disponendi per privatam scripturam usque ad summam ducentorum ducatorum potestas.

§ 7. Necnon ut iidem cappellani et eorum quilibet de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis etiam iurisdictionalibus, ceterisque bonis immobilibus et mobilibus, quae tamen non sint altaris vel altarium ecclesiarum ipsis cappellanis nostris praedictis commissarum ministro seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui vel usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad eos ratione ecclesiarum etiam cathedralium et metropolitanarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint et obtinent ac obtinebunt, ac fructuum, redditūum et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatarum et assignatarum, ac reservandarum et assignandarum, quos et quas perceperint, percipiunt et percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac aliàs quomodolibet, spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus ac pensionibus annuis, necnon

1 Potius lege *illarum* (R. T.).
2 Potius lege *illarum* (R. T.).
3 Heic deesse videtur vox *clericis* (R. T.).

eorum industriâ et labore quomodolibet et undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercuerint ac eos exercere contigerit, et aliâ quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad eosdem perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, ac iocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ curiâ quam extra eam ubique locorum etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum vel supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et denotarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus ac pensionibus debitis ac debendis, ac nondum perceptis et exactis, etiamsi eorum solutionis aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illâ ratâ quae illis debita erit, constitutione declaratoriâ super fructibus et pecuniis non exactis, quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare et pertinere debeant, non obstante, etiam accumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus[1], quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum, et aliàs pro eorum arbitrio et voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ etiam minus solemni, etiam coram duobus vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ eorum manu scriptâ vel subscriptâ, ac aliàs in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsâ curiâ (non tamen extra residentiam), et in mortis articulo, non factâ mentione praesentis vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velint et intendant, semel atque iterum et pluries disponere, statuere et ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum, ordinatum, seu aliàs ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs, omni meliori modo valeat et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata et statuta, etiam pluries, et toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo edere, etiam libere et licite valeant, plenam et liberam concedimus facultatem.

Defectus quoscumque in praedictis supplet.

§ 8. Statuentes nihilominus et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod, si contigerit ipsos ab intestato et sine ullâ vel minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, redditnum et proventuum praedictorum dispositione in dictâ curiâ vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedere, omnia et singula eorum bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, necnon spolia pro dictâ summâ, etiam ex praedictis et aliàs undecumque provenientia, ad cameram apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes sanguinis eorumdem integro deveniant, et, illis deficientibus, inter eorum familiares arbitrio personae seu personarum, quas ad id ipsi scripto nominaverint, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione eorumdem scripturâ etiam mi-

1 Male edit. Main. legit *funeribus* (R. T.).

nus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu executores omnino exequi et adimplere illique sese conformare in omnibus et per omnia debeant; et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones et alia forsan aliàs ab ipsis etiam nullâ aut minus sufficienti facultate suffultis de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum, et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ ducentorum ducatorum dumtaxat, approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum, necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Clausula sublata.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii etiam novissime celebrati de certo[1] notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam quomodolibet editis et imposterum edendis, et cancellariae apostolicae regulis, et stylo in similibus hactenus servato, et piae memoriae Alexandri Papae VI etiam praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente, necnon eiusdem memoriae Bonifacii praedecessoris, per quam concessiones de fructibus in absentiâ percipiendis sine praefinitione temporis[2] fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus imperialibus, et aliis etiam municipalibus, tam Urbis quam quarumvis aliarum civitatum et locorum in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedicti, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae curiae, ac regnorum, provinciarum et Urbis et aliarum civitatum et locorum ac praedictae camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis (etiamsi de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, ipsi cappellani per se vel eorum procuratorem praestiterint forsan hactenus vel imposterum eos praestare contigerit iuramentum), privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis et conventibus, civitatibus et locis, aliisque personis et particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus, ac dictae camerae officialibus, illorumque collegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, et de eiusdem S. R. E. cardi-

[1] Male edit. Main. legit *cetero* pro *certo* (R. T.).

nalium consilio, ac per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad imperatoris, ac regum et reginarum, ducum et marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis, et imposterum concedendis, confirmandis et innovandis (etiamsi in iis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis nonnisi originariis civibus romanis, ac civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia nisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresse qualificatos, obtineri aut conferri possint, et nullus in civem Urbis, aut civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tam ex eius institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam commendatariorum revocabiliter concedi debeant, et sic pensionibus ecclesiasticis secularibus aut aliis personis apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praefatis etiam vigore clausulae implicitae derogationis latissime extendendae etiam per quascumque litteras apostolicas et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias efficaciores et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur nisi derogatio huiusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tum demum ad id magistri et conventus praefatorum expressus accedat assensus,[1] sintque litterae derogationis huiusmodi, etiam per dictum magnum magistrum subscriptae, ac ei et praefato conventui per diversas in formâ Brevis, aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas, intimatae, et non aliàs, nec alio modo, et semper in huiusmodi litteris, quae sic fient etiam de simili consilio, derogationis sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praefatorum, et non aliàs, aliter, nec alio modo);

§ 10. Quibus omnibus, et eorum singulis (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in litteris exprimi vel extendi nequeat), illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, in genere et in specie, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse, motu et scientiâ similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides Transumptorum fides.

1 Coniunct. *et* hinc delemus (R. T.).

tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae; quodque, antequam gratiâ notariatus perfrui possint et valeant, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei, iuxta articulos pridem a Sede Apostolicâ praefatâ propositos, emittere et solitum fidelitatis iuramentum omnino praestare teneantur, et quilibet ipsorum teneatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. 18 octobris 1655, pontif. anno I.

XLVI.

Confirmatio privilegiorum congregationis fratrum Eremitarum sancti Augustini Reformatorum congregationis Gallicanae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Patritius a S. Magdalena, procurator generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum congregationis Galliae, quod ipse, pro felici dictae congregationis gubernio et directione, omnia et singula privilegia et gratias eidem congregationi per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, quo firmiora persistant et ab omnibus arctius observentur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderat.

Annuit Pontifex. § 1. Nos igitur, eumdem Patritium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia ac gratias huiusmodi, dummodo in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

§ 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentes valida declarat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 octobris 1655, pontif. anno I.

XLVII.

Concessio privilegiorum Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi in Gallia[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Creditam nobis divinitus gregis dominici curam omni industriâ salubriter exercere satagentes, personarum ecclesiasticarum congregationes in Ecclesiâ catholicâ ad Dei honorem et animarum salutem sapienter erectas privilegiorum et gratiarum favoribus nonnunquam prosequimur, ut eaedem personae piis earum institutis maiori fructu incumbere valeant.

Supplicatio. § 1. Volentes itaque dilectis filiis praeposito generali et presbyteris Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi in Galliâ institutae gratiam facere specialem, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, nunc et pro tempore quandocumque existentibus presbyteris eiusdem Congregationis, quarumvis illius domorum sive nunc erectarum sive in futurum ubicumque erigendarum fuerint, omnium et singulorum christifidelium etiam infirmorum confessiones (praeviis tamen eorumdem presbyterorum ad audiendas confessiones examine et approbatione Ordinariorum locorum respective) audiendi, eosque omnes ab omnibus censuris ecclesiasticis et peccatis eorum etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis (exceptis contentis in litteris apostolicis die Coenae Domini legi solitis) in foro[1] conscientiae dumtaxat absolvendi, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac S. Iacobi in Compostella, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, ac missam mediâ horâ ante auroram et mediâ horâ post meridiem celebrandi, praeterea cadavera quorumcumque christifidelium, etiam externorum, qui suam in ecclesiis vel oratoriis eiusdem Congregationis sepulturam elegerint, salvis parochialibus iuribus et sine ullo illorum praeiudicio, recipiendi, et inibi sepeliendi facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Praesentes confirmat. § 2. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac dictis exponentibus, et aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu no-

1 Edit. Main. legit *fore* (R. T.).

tarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 octobris 1655, pontif. anno I.

XLVIII.

Creatio auditorum sacrae Rotae in subdiaconos apostolicos, et votantium signaturae iustitiae in acolythos apostolicos [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam

Suppressio subdiaconorum et acolythorum.

§ 1. Nuper, certis ex causis tunc expressis, omnia et singula officia subdiaconorum et acolythorum apostolicorum nuncupatorum suppressimus et abolevimus, unà cum eorum collegiis, iuribus, praerogativis et emolumentis quibuscumque, ac singulorum subdiaconorum et acolythorum praefatorum nominatim enumeratorum titulis et concessionibus, ita ut ex tunc in posterum singula collegia praedicta extincta penitus essent et cessarent omnino, neque singuli, ut praefertur, enumerati subdiaconi et acolythi appellari, seu denominari, aut nuncupari possint, et aliàs, prout in cedulâ motus proprii nostri desuper manu nostrâ signatâ, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur.

Auditores sacrae Rotae creat in subdiaconos apostolicos.

§ 2. Quamobrem, ne propter suppressionem et abolitionem huiusmodi nos et Romani Pontifices successores nostri necessario subdiaconorum et acolythorum ministerio in solemni missarum et aliorum divinorum officiorum celebratione ceterisque functionibus ecclesiasticis careamus, pro nostrâ pastorali curâ providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectos filios cappellanos nostros causarum palatii apostolici auditores, nunc et deinceps perpetuis futuris temporibus existentes, subdiaconos apostolicos, necnon dilectos etiam filios utriusque signaturae nostrae referendarios, qui nunc sunt et pro tempore quandocumque erunt nostrae signaturae iustitiae votantes, acolythos apostolicos, tenore praesentium, facimus, creamus, constituimus et declaramus, ipsumque praedictorum auditorum collegium, necnon praefatos signaturae iustitiae votantes in locum subdiaconorum et acolythorum per nos, ut praemittitur, suppressorum et abolitorum respective, cum eodem omnino onere assistendi et inserviendi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, tam in cappellâ nostrâ, quam in aliis, in quibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praesentibus divina celebrabuntur officia, ecclesiis, necnon processionibus, ceterisque functionibus pontificiis, ad quod dicti subdiaconi et acolythi ratione suorum officiorum ante illorum suppressionem et extinctionem, ut praefertur, factas quomodolibet tenebantur et obligati erant, et cum omnibus et singulis honoribus, praerogativis, praecedentiis et praeeminentiis, quae iure, aut ex constitutionibus et indultis apostolicis, vel ex usu et consuetudine, et aliàs quomodocumque, subdiaconis et acolythis apostolicis, ut praemittitur, suppressis et abolitis, illorumque collegiis, ante suppressionem et abolitionem huiusmodi competebant (exceptis tamen quibusvis redditibus et emolumentis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

temporalibus, ipsis subdiaconis et acolythis illorumque collegiis olim assignatis, et ante easdem suppressionem et abolitionem illis debitis et per eos percipi solitis, quae camerae nostrae apostolicae per nos iam applicata et incorporata sunt), motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine et tenore paribus, substituimus et subrogamus.

Qualitatem vestium iisdem auditoribus assignat.

§ 3. Ac insuper praefatis auditoribus et eorum singulis nunc et in futurum quandocumque existentibus, pro maiori ministerii eis per praesentes iniuncti decore ac suarum personarum ornamento, ut deinceps vestem interiorem, quae *substanea*, necnon aliam exteriorem, quae *mantellettum* vulgo nuncupantur, violacei coloris, ac etiam galeri redimiculum *cordone* vulgo dictum eiusdem coloris violacei ubique deferant, praecipimus et mandamus.

§ 4. Iniungentes propterea dilectis pariter filiis caeremoniarum eiusdem cappellae magistris, ut eosdem auditores ad subdiaconorum, et votantes praedictae signaturae iustitiae ad acolythorum respective officia in cappellâ, aliisque ecclesiis, ac processionibus, ceterisque actibus et functionibus praedictis, cum assignatione loci congrui, ut moris est, exercenda admittant[1].

Clausulae appon.

§ 5. Ac decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque etiam speciali expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, et alio quolibet quantumvis magno, substantiali et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum et voluntatum revocationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, aut comprehensas censeri, sed ab illis semper exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, respective eligendâ, de novo concessas, firmasque, validas et efficaces perpetuo existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in praefatâ cedulâ motus proprii voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 octobris 1655, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *admittat* (R. T.).

XLIX.

Deputatio quatuor praelatorum ad excipiendum reginam Sveciae missorum in nuncios extraordinarios[1].

Venerabilibus fratribus Annibali Thebarum ac Lucae Ravennatensi archiepiscopis, necnon dilectis filiis magistris Innico Caracciolo et Philippo Casarino, camerae nostrae apostolicae clericis,

Alexander Papa VII,

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Praedictos declarat nuncios extraordinarios.

Spectata vestra in rebus gerendis prudentia, ac singulares in nos et Apostolicam Sedem fides et devotio, aliaque virtutum merita generis nobilitati coniuncta, quibus nos a Domino multipliciter ornatos novimus, in causâ sunt, ut operâ vestrâ in gravissimo munere libenter utamur, firmâ spe in Domino freti, vos in illo obeundo expectationi nostrae cumulate responsuros. Itaque vos nostros et Apostolicae Sedis praedictae nuncios extraordinarios ad excipiendum nostro et eiusdem Sedis nomine carissimam in Christo filiam nostram Christinam Sveciae reginam illustrem in suo ad hanc almam Urbem nostram itinere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, creamus, constituimus et deputamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 octobris 1655, pontif. anno I.

L.

Commissio nuncio Sabaudiae super impositione subsidii pro pauperibus catholicis Vallium dominii ducis Sabaudiae super fructibus ecclesiasticis[2].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Bituntino, apud dilectum filium nobilem iuvenem Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Committit nuncio impositionem subsidii super omnibus fructibus ecclesiasticis.

§ 1. Ut quacumque opportunâ ratione ingentibus necessitatibus, quibus catholicos Vallium dominii dilecti filii nobilis iuvenis Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis ob nuperum cum haereticis bellum premi cum magno animi nostri dolore accepimus, et in quarum sublevamen non levem summam de pecuniis nostris erogavimus, quamprimum subveniri possit, ad ecclesiasticorum illarum partium peculium confugere decrevimus, certo nobis persuadentes neminem fore, qui onus sibi in adeo piam causam imponendum prompte et libenter non subeat. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut unum subsidium unius pro quolibet centenario omnium et quorumcumque fructuum, redditnum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum omnium et quarumcumque ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatuum, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam iurispatronatus laicorum, tam ex privilegio quam ex fundatione et dotatione, cum curâ et sine curâ, secularium, ac sancti Benedicti, sancti

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstratensium, sancti Basilii, Sylvestrinorum, et, qui proprietates, redditusque certos ex privilegio vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus necnon congregationum regularium et hospitalium pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates, et alia pro quibus instituta sunt pia officia exercenda, possidentium (non tamen per S. R. E. cardinales, qui pro sustinendâ tantâ dignitate gravissimas impensas et labores reipublicae christianae causâ continue subire coguntur, obtentorum), necnon S. Mariae Theutonicorum, Ss. Mauritii et Lazari, Templi dominici et aliarum (non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani) militiarum intra fines tuae nunciaturae consistentium, etiam duodecim congregationum quae cum camera nostrâ apostolicâ de subsidio ordinario concordarunt, et insuper omnium collegiorum possidentium bona stabilia fructifera ecclesiastica, per viam unionis, aggregationis, aut alio quovis titulo, monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum quovis nomine nuncupatorum, secundum verum et realem annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum et aliorum praemissorum, ac praeterea omnium et quarumcumque pensionum annuarum super[1] fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis ac distributionibus huiusmodi ad favorem quorumcumque etiam praedictarum duodecim congregationum reservatarum, constitutarum et assignatarum, percipiendum, exigendum et levandum ab omnibus et quibuscumque episcopis, archiepiscopis, primatibus, patriarchis et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis personis (praedictis cardinalibus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani militibus dumtaxat exceptis) praedicta quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis et temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, saecularibus et regularibus ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen S. Ioannis Hierosolymitani praedictis[1]), necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ, immemorabili, pacificâ et continuâ suffulti, intra tempus a te praefigendum, ac iuxta taxam a te vel tuis deputatis faciendam, semel dumtaxat solvendum, auctoritate nostrâ apostolicâ indicas et imponas, ac idem subsidium, postquam illud ut praefertur imposueris et indixeris, per te vel personas ecclesiasticas a te ad id specialiter deputandas a quibusvis personis, ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis praefatis exigas, ipsasque personas, tam coniunctim quam divisim, ac ecclesias, capitula, conventus, ordines, congregationes et alia huiusmodi ad dicti subsidii solutionem eâdem auctoritate cogas et compellas, ac pecunias quascumque exinde proventuras pauperibus catholicis praedictis pro cuiuslibet eorum indigentiâ ac pro arbitrio tuo integre distribuas seu distribui cures; contradictores, perturbatores, molestatores et rebelles quoslibet, eisque auxilium, consilium et favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuius- Contravententes puniti.

1 Praeposit. *super* nos addimus (R. T.).

1 Aptius lege *praedicti* (R. T.).

cumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super hoc habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Nihil huiusmodi subsidii solutionem impedire declarat.

§ 2. Decernentes nullas immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis, iuris, concordiae, conventionis, compositionis, aut aliâ quacumque gravi et onerosâ occasione quocumque modo concessas, integram subsidii huiusmodi solutionem minuere vel impedire, sed titulares, administratores, usufructuarios, et aliàs pensiones praedictas solvere debentes, ad supradictum et nomine pensionariorum solvendum respective cogi et compelli posse (ita tamen ut ipsi, etiamsi iuri petendae vel detrahendae seu retinendae portionis pensionarios contingentis iureiurando aut etiam in formâ camerae apostolicae praefatae amplissimâ, seu aliàs quomodolibet renunciaverint, nihilominus id, quod eorumdem pensionariorum nomine praestiterint, ipsis pensionariis de eorum pensionibus deducere libere et licite valeant), sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis Apostolicae nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus.

Contraria reiicit.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, immunitatibus, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, seu aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis (etiamsi in eis praelatis et personis eorumque ecclesiis et locis ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon de personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem), ac promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum seu illarum occasione quomodolibet factis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter

expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

In exigendo subsidio constitutionem Clementis V valere decernit.

§ 4. Ceterum in exigendo subsidio huiusmodi constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V et praedecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri ceteraquo ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi vel distrahi aut aliàs quomodolibet occupari debeant, omnino volumus observari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv novembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 novembris 1655, pontif. anno I.

LI.

Indultum clericorum camerae apostolicae deferendi ubique rochettum et licentiam celebrari faciendi domi[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§ 1. Singularis dilectorum filiorum camerae nostrae apostolicae clericorum in nos et Apostolicam Sedem fides et devotio, necnon assidui gravesque labores, quos pro nostro et eiusdem Sedis servitio iugiter sustinent, promerentur, ut, sicuti conspicua muneris eorum dignitas Romanam Curiam valde exornat, ita ipsi uberioris honoris praerogativâ et amplioribus gratiis eiusdem Sedis beneficio decorentur.

Rochettum clericis camerae apostolicae deferendum assignat.

§ 2. Volentes itaque aliquod erga eosdem clericos paternae nostrae munificentiae extare monumentum, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis camerae praedictae clericis nunc et pro tempore quandocumque existentibus, ut vestem lineam, *rochettum* vulgo nuncupatam, in quibusvis conciliis, etiam universalibus, congressibus, congregationibus, conventibus, sessionibus, processionibus, porapiis, consiliis, functionibus, negotiis, ceterisque actibus, publicis et privatis, pontificiis, imperialibus, regiis, cardinalitiis, ac quorumcumque principum, sive sacris sive profanis vel mixtis, tam in Statu Ecclesiastico, quam extra illum ubique locorum et gentium, etiam in Romanâ Curiâ, ac in quibusvis regnis, provinciis, regionibus et locis etiam transalpinis et ultramarinis, ac etiam in nostrâ, et Romani Pontificis pro tempore existentis, ac imperatoris, regum, cardinalium, etiam de latere legatorum, ducum, principum, et quorumlibet aliorum quacumque ecclesiasticâ et mundanâ dignitate, etiam specialem et individuam expressionem requirente, fulgentium praesentiâ, conspectibus et curiis, et generaliter ubicumque, coram quibuscumque, ac omni tempore deferre, illoque induti publice incedere.

Dat facultatem praedictis clericis celebrandi missam in oratorio privato.

§ 3. Ac insuper iisdem clericis nunc et pro tempore quandocumque existentibus, pro spirituali eorum consolatione, ut in privato domus cuiuslibet eorum habitationis, etiam in hac almâ Urbe nostrâ, oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eâdem Urbe vicarium in spiritualibus generalem, quoad oratoria in eâdem Urbe, et quoad alia extra praedictam Urbem per Ordinarium loci respective prius visitando et approbando, unam missam pro unoquoque die, dummodo in domo huiusmodi celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si sacerdotes fue-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

rint, celebrare, seu per quemcumque sacerdotem approbatum secularem, vel, de superiorum suorum licentià, regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in suâ ac cuiuslibet eorum familiae praesentiâ[1] celebrari facere libere et licite possint et valeant (ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii ibidemque missae interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesià diebus festis de praecepto liberi minime censeantur), tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Praesentes validas declarat.

§ 4. Decernentes eosdem clericos desuper a quoquam quavis auctoritate nullatenus molestari seu impediri, neque praesentes litteras de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari, impugnari, vel redargui, vel sub similium vel dissimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus et quibusvis aliis contrariis dispositionibus per quoscumque Romanos Pontifices successores nostros et Sedem praefatam, etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet pro tempore factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ quandocumque eligendâ denuo concessas, semperque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis clericis perpetuo suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 novembris 1655, pontif. anno I.

1 Edit. Main. legit *praesentiam* (R. T.).

LII.

Divisio et reductio provinciarum religionis clericorum regularium Ministrantium Infirmis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In eminenti Sedis Apostolicae speculâ dominici gregis curae nostrae divinitus commissi commodis iugiter invigilantes, illis, quae prospero congregationum personarum regularium, nedum ad corpora-

lem christifidelium utilitatem, sed etiam, quod satius est, ad salutem animarum praesertim in extremâ cum hoste humani generis luctâ procurandam provide institutarum, statui et felici directioni conducere arbitramur, propensis studiis intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Reducit provincias Ministrantium Infirmis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Congregatio dilectorum filiorum clericorum regularium Ministrantium Infirmis dudum per litteras apostolicas in quinque provincias, videlicet Romanam et Etruriae simul, necnon Mediolanensem, Bononiensem, Neapolitanam et Siculam, divisa fuerit, et subinde eamdem Congregationem particularis congregatio a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro deputata in duas provincias, nempe Neapolitanam, quae etiam Siculam comprehenderet, ac Romanam, quae reliquas provincias praedictas pariter contineret, redegerit; cumque praemissorum occasione variae perturbationes subortae fuerint: nos, ut clerici praedicti semotâ omni perturbationum materiâ in suo laudabili instituto pro communi christifidelium bono perseverare valeant, quantum cum Domino possumus, providere volentes,

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, totam Congregationem clericorum regularium huiusmodi in quatuor provincias, videlicet Romanam, quae Etruscam eique propinquiorem Bononiensis provinciae partem comprehendat, necnon Mediolanensem, quae reliquam provinciae Bononiensis huiusmodi partem, iuxta divisionem ipsius provinciae Bononiensis in capitulo generali dictae Congregationis proxime celebrando faciendam, etiam comprehendat, ac Neapolitanam et Siculam, quae quatuor provinciae singulae suos provinciales et officiales distinctos et separatos habere debeant, tenore praesentium dividimus et reducimus.

In duas tantum provincias dividit.

§ 3. Declarantes tamen quod, quantum attinet ad electionem personae idoneae ex provinciarum dictae Congregationis professoribus ad munus[1] praefecti generalis ipsius Congregationis pro tempore vacans alternatim assumendae, eadem Congregatio in duas solummodo provincias, nempe Romanam, quae Mediolanensem quoad hunc articulum contineat, ac Neapolitanam, quae Siculam pariter comprehendat, divisa censeatur, ita ut praedictum munus praefecti generalis professoribus Romanae seu Mediolanensis, et Neapolitanae seu Siculae provinciarum[2] huiusmodi alternatim in perpetuum deferri debeat, et praefectus generalis, quando Romanae et Mediolanensis insimul provinciae turnus obtigerit, tam ex particulari Romanâ quam ex Mediolanensi provinciis supradictis, servatis tamen aliâs servandis, assumi possit; quando vero Neapolitanae et Siculae provinciae itidem insimul turnus obvenerit, tam ex particulari Neapolitanâ quam ex Siculâ provinciis huiusmodi eligi similiter valeat.

Singulos consultores in quatuor provinciis assumi iubet.

§ 4. Praeterea prohibitionem ne ex provinciâ dictae Congregationis, ex qua praefectus generalis electus esset, consultor ullus eiusdem Congregationis assumeretur, in praedictis litteris apostolicis contentam, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine, et tenore praesentium, tollentes et abolentes, singulos consultores praedictae Congregationis ex[3] singulis quatuor provinciis memoratis, Romanâ videlicet, Mediolanensi, Neapolitanâ et Siculâ, assumi debere decernimus.

1 Pessime edit. Main. habet *minus* pro *munus* (R. T.).

2 Improbe etiam eadem legit *provincialium* pro *provinciarum* (R. T.).

3 Inscite quoque habet *et* pro *ex* (R. T.).

§ 5. Statuentes ut arbiter consultae generalis praedictae Congregationis nequaquam ex illâ provinciâ, ex qua praefectus generalis pro tempore fuerit, sed ex aliâ assumatur; ac decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi ac[1] illius superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ac ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII novembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 novembris 1655, pontif. anno I.

LIII.

Reunio provinciae Belgicae Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum sub uno provinciali [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis nobis per abundantiam divinae bonitatis nullo meritorum nostrorum suffragio impositae curas, illam propensis studiis amplectimur, ut discordiarum spinas, inter religiosos viros sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis addictos non sine regularis disciplinae dispendio enatas, opportunae provisionis ministerio recidamus, et, ne imposterum repullulent, quantum nobis ex alto conceditur, prospiciamus.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Zelosus Ordinis fratrum sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, aliàs aliqui fratres provinciae Belgicae dicti Ordinis, sub ficto et colorato praetextu, necnon sine[2] legitimo mandato procurae, a capitulo generali eiusdem Ordinis de anno MDCXLIII Romae celebrato subreptitium decretum extorserint, quatenus una eademque bene recteque constituta provincia praedicta divideretur in duas, alteram quidem Vallonicam, alteram vero Flandricam, quibusdam pactis et conditionibus adiectis, iisque subinde reformatis per secundum decretum, ut provincialatus, antea datus fratribus Flandris, relinqueretur fratribus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Perperam ed. Main. legit *tire* pro *sine* (R. T.).

Vallonibus, Flandrica vero provincia certo tempore careret provinciali, sed a vicario generali regeretur; cumque, diversis exinde dissensionibus incommodisque hinc inde subortis, fratres dictae Flandricae provinciae, occasione comitiorum generalium Ordinis praefati novissime in Urbe coactorum pro stabiliendâ religiosorum utrinque pace atque concordiâ, ad hanc Sanctam Sedem recursus habuerint: hinc est quod, dissensiones et incommoda huiusmodi removere, dictumque Zelosum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum (qui partes, necnon dilectum pariter filium correctorem generalem eiusdem Ordinis, ac etiam venerabilem fratrem nostrum Bernardinum episcopum Sabinensem sanctae Romanae Ecclesiae praefatae cardinalem Spadam nuncupatum dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectorem saepius respective audiverunt, causamque mature discusserunt et ad nos retulerunt) consilio, praefatam provinciam Belgicam in unum corpus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, reunimus, pristinoque et ei in quo ante divisionem reperiebatur statui[1], utramque nationem eiusque conventus sub uno provinciali unientes, restituimus, modo et formâ infrascriptis, videlicet: Primo, quod fratres Flandricae sub regimine vicarii generalis ac collegiarum[1] amovibilium perseverent usque ad capitulum provinciale eiusdem provinciae Belgicae proxime in Michaëlitiis anni MDCLVI celebrandum: Secundo, habeant votum in dicto capitulo provinciali anni MDCLVI huiusmodi vicarius generalis Flandrorum cum suis collegis, non minus quam provincialis et collegae Vallonum, et numerus electorum aequâ lance libretur inter utramque nationem; quare pro illâ vice tantum compareant correctores ac commissi conventuum Antuerpiensis, Bruxellensis, Gerardimontensis, ac Leodiensis pro natione Flandricâ, ac conventuum Anderlacensis, Insulensis, Montensis et Duacensis pro natione Vallonicâ; nec interim ab unâ vel aliâ parte novus correctoriatus erigatur: Tertio, praesideat in illo capitulo dilectus filius noster et Sedis praefatae in Belgico internuntius, aut ab eo, si adesse non poterit, substituendus, ad sopiendas, si quae occurrerent, difficultates; qui internuntius, aut ab eo substitutus, capitulum convocabit in conventu Bruxellensi, aut Anderlacensi, prout melius expedire iudicaverit: Quarto, liberum sit inibi provincialem eligere de gremio Vallonicae, vel Flandricae nationis; sed casu, quo de gremio Flandricae fuerit, teneantur sequenti triennio illum eligere de gremio Vallonicae, aut viceversâ, et ita deinceps alternatim; correctores autem conventuum Flandrorum semper eligantur e gremio nationis Flandricae, sicut e gremio Vallonicae pro Vallonicis: Quinto, e gremio Flandricae nationis censeantur Flandri, Leodienses pro nunc, et alii provinciam hodie Flandricam constituentes; et similiter e gremio Vallonum Vallones[2] et alii provinciam hodie Vallonicam constituentes: Sexto,

A censuris absolvit.

Annuit petitis.

1 Male edit. Main. legit *statum* (R. T.).

1 Videtur legendum *collegarum* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *Vallonos* (R. T.).

quandocumque provincialis e gremio Flandrorum fuerit, unicus tantum sit e gremio Flandricae nationis collega, ac tres tantum definitores; ubi autem Vallo fuerit, unicus pariter sit e gremio Vallonum collega et tres definitores: Septimo, commissus ad capitulum generale semper sit e gremio alterius a suo provinciali nationis; ubi vero, in casu mortis correctoris generalis, aut aliter, solus provincialis comparuerit, aut solus commissus, neuter aliquid dicto generali capitulo proponere valeat nisi approbatum prius ab omnibus et singulis totius provinciae definitoribus: Octavo, in casu mortis provincialium, collegarum, ac definitorum, subeligantur personae e natione defunctorum; provincialis tamen subelectus terminum defuncti tantum explere possit; collegae autem reeligi poterunt casu quo dimidium triennii non expleverint: Nono, non possint provinciales Vallones[1] seu Flandri novitios huius aut alterius nationis recipere, nisi proportionabiliter ad numerum quem sustinere poterunt conventus suae respective nationis, quibus eorum dotes applicabuntur iuxta dispositionem provincialis, Vallonum scilicet alicui conventui e Vallonicis, et Flandrorum e Flandricis: Decimo, pro conventibus Vallonicis censeantur Anderlacensis, Insulensis, Montensis, Driacensis, ac alii, quos in Vallonià contigerit acceptari; et pro conventibus Flandricis Antuerpiensis, Bruxellensis, Gerardimondensis, Lovaniensis, Dunquerquensis, ac (pro nunc) Leodiensis et Ippiliensis, ac alii, quos pariter in Flandrià contigerit acceptari; sed quam[2] primum conventus Lovaniensis, Ippiliensis, aut Dunquerquensis, aut alter ipsorum, in correctoriatum erigentur, tunc Leodienses, utpote eiusdem idiomatis, Vallonicis annumerabuntur: Undecimo, conventus Anderlacensis nunc et in[1] perpetuum nationi Vallonicae aggregabitur, nec unquam ab illà quavis de causà, occasione vel praetextu separabitur. Mandantes ut praesentes litterae quamprimum publicentur in utriusque nationis huiusmodi definitoriis ad hoc specialiter congregandis, ac deinde in singulorum conventuum capitulis.

§ 3. Ac decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit respective, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. *Praesentes litteras confirmat et roborat.*

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, eiusque provinciarum ac conventuum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, ac provinciis et conventibus huiusmodi, illorumque superioribus et fratribus quibusvis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. *Contraria tollit.*

§ 3. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae

1 Edit. Main. legit *Valloni* (R. T.).
2 Potius lege *quum* pro *quam* (R. T.).

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 novembris 1655, pontif. anno I.

LIV.

Legatio pro dominis cardinalibus Ioanne Carolo Medices et de Hassia ad eundum obviam reginae Sveciae iuxta decretum consistoriale[1].

Dilectis filiis nostris Ioanni Carolo S. Mariae Novae de Medices, ac Friderico S. Mariae in Aquiro, S. R. E. diaconis cardinalibus de Hassia respective nuncupatis,

Alexander Papa VII.

Dilecti filii[2], salutem et apostolicam benedictionem.

Legatos constituit ad obviam eundum Christinae reginae Sveciae. Cum carissima in Christo filia nostra Christina Sveciae regina illustris propediem benedicente Domino Romam sit appulsura, nos, pro singulari, quo illam prosequimur, paternae charitatis et dilectionis affectu, eamdem Christinam reginam maiori cum dignitate excipi cupientes, habità desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de illorum consilio et assensu, vos, quos et generis splendor et praeclarae animi dotes multipliciter exornant, nostros et Apostolicae Sedis de latere legatos, ut eidem Christinae reginae obviam eatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 novembris 1655, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *dilecte fili* (R. T.).

LV.

Confirmatio privilegiorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum et eiusdem confraternitatum ac beatissimae Virginis Mariae de Remedio.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Mercier, minister generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod ipse, pro felici dicti Ordinis regimine atque gubernio, omnia et singula privilegia, gratias et indulta eidem Ordini, necnon confraternitatibus sub invocatione Sanctissimae Trinitatis et beatissimae Virginis de Remedio nuncupatae Redemptionis Captivorum, vigore litterarum in simili formâ Brevis felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri erectis, aliàs a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo firmiora persistant et ab omnibus exactius observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret. Supplicatio.

§ 1. Nos igitur, eumdem Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Oratorem a censuris absolvit.

§ 2. Supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, privilegia, gratias et indulta prae- Confirmat, ut in rubrica.

dicta, dummodo tamen in usu ac licita sint et honesta, et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, et, quoad confraternitates praedictas, monopoliis ansam non praebeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ac causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 decembris 1655, pontif. anno I.

LVI.

***Ut, in missarum solemnium et vesperarum in cappellis pontificiis celebratione, sacerdotis assistentis ac diaconi et subdiaconi officia per canonicos S. Ioannis Lateranensis ac S. Petri et S. Mariae Maioris respective peragantur*[1].**

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Officia per canonicos S. Ioannis Lateranensis, ac S. Petri et S. Mariae Maioris peragenda constituit in cappellis pontificiis.

§ 1. Pro pastoralis officii nobis divinitus commissi debito providere volentes ut divina officia in cappellis pontificiis ad omnipotentis Dei gloriam ac Ecclesiae catholicae splendorem eo, quo par est, decore celebrentur, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut perpetuis futuris temporibus in missis solemnibus, quae in eisdem cappellis pontificiis quibuslibet, sive nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praesentibus, sive absentibus, per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales vel praelatos assistentes celebrabuntur, officium sacerdotis celebranti assistentis per unum ex canonicis ecclesiae S. Ioannis in Laterano, officium vero diaconi per unum ex canonicis basilicae Principis Apostolorum, ac subdiaconi officium per unum ex canonicis basilicae S. Mariae Maioris de Urbe peragantur, tenore praesentium statuimus et ordinamus. Ac proinde sacerdotis assistentis dilectis filiis capitulo et canonicis ecclesiae S. Ioannis in Laterano, necnon diaconi capitulo et canonicis basilicae Principis Apostolorum, ac subdiaconi officia praedicta capitulo et canonicis basilicae S. Mariae Maioris huiusmodi respective perpetuo unimus et applicamus. Volentes ut, tam nunc primo loco, quam deinceps, quotiescumque eadem officia seu aliquod illorum vacare contigerit, singula capitula memorata ad officium ex praedictis sibi unitum et applicatum eligant sex canonicos e suo gremio, quos ad ipsa officia respective exercenda iudicaverint in Domino aptiores; dilecti vero filii nostri eiusdem S. R. E. cardinales ecclesiae et basilicarum praefatarum nunc et pro tempore archipresbyteri sex canonicos sic ut praeferlur electos respective nobis et

Romano Pontifici pro tempore existenti deferant, ex quibus aliquem arbitrio nostro assumamus, et Romanus Pontifex pro tempore existens assumat; qui sic assumpti, quoad vixerint, cardinalibus et assistentibus praefatis in cappellis pontificiis missarum solemnia peragentibus, ac iisdem cardinalibus vesperarum officia, nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absentibus, ibidem persolventibus in commisso sibi respective officio ministrare teneantur. In eventum autem, in quem aliquis canonicorum sic assumptorum legitimo detineatur impedimento quominus ministerium sibi iniunctum adimplere valeat, statuimus ut praedicta capitula respective alios ex eorum gremio ad id habiles eligant, qui defectum illorum supplere teneantur.

Decretum irritans.

§ 2. Ac decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque, etiam speciali expressione digni, in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi, vel causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae aut iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, seu alio quocumque quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, seu in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae praedictae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae et basilicarum praefatarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

annulo Piscatoris, die x decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 decembris 1655, pontif. anno I.

LVII.

Confirmatio decreti nuncii apud Helvetios super statu ecclesiae Curiensis editis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanum decet Pontificem ea, quae pro divini cultus praesertim in ecclesiis cathedralibus incremento a suis et Apostolicae Sedis nunciis provide statuta fuerunt, quo exactius observentur, apostolicae confirmationis munimine roborare.

Confirmat decretum. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, emanaverint nuper a venerabili fratre Federico patriarcha Alexandrino, nostro et Sedis Apostolicae in dominio Helvetiorum et Rhetorum nuncio, decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Federicus Borromaeus, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ patriarcha Alexandrinus, apud Helvetios et Rhetos, etc., nuncius apostolicus, etc. Cum ibi splendidius fulgere debeat ecclesiastica dignitas, et divina officia maiori sacerdotum numero decentiorique cultu celebrari, ubi infensus acatholicorum livor sacerdotale ministerium et ordinem impetere non desinit; hinc est quod nos, cathedralis ecclesiae Curiensis solitudinem deplorantes, eiusque, non solum ad officia divina peragenda, sed etiam in capitularibus electionibus et functionibus, et[2] maioris numeri canonicorum necessitatem considerantes, in euius praeiudicium unius ex consuetis sex residentibus iam ab aliquibus annis electio omissa, et vigintiquatuor canonicorum numerus antiquitus constitutus diminutus fuerat, auctoritate apostolicâ qua fungimur, declaramus sextae canonicalium residentium praebendae suppressionem et[1] eiusdem redditluum aliis residentibus canonicis et episcopo unionem et applicationem, quas inconsulto Summo Pontifice factas vidimus, nullas et inanes esse; insuperque praecipimus ut, iuxta laudabilem huius ecclesiae consuetudinem, dictus vigintiquatuor canonicorum numerus in eâ immutabiliter retineatur et conservetur, dictique pro tempore vigintiquatuor existentes canonici, iuxta decreta visitationis illustrissimi domini Turriani, in electionibus et actionibus capitularibus quibuscumque vocem activam et passivam habeant, et ex iis sex semper residere, fructusque residentiae lucrari possint et debeant, ita ut, uno ex iis quandocumque decedente, alius ex titularibus non residentibus ad residentiam eligendus admittatur. In quorum, etc. ».

Datum curiae ex arce episcopali, die II septembris MDCLV.

FEDERICUS, patriarcha Alexandrinus,
nuncius apostolicus.

§ 2. Cumque, sicut nobis innotuit, venerabilis etiam frater episcopus Curiensis necnon dilecti filii canonici dictae ecclesiae Curiensis decretum praeinsertum eis lectum receperint, et debitâ cum reverentiâ inviolabiliter observare promiserint: Sequitur confirmatio praedicti decreti.

§ 3. Hinc est quod nos, firmiori eiusdem decreti subsistentiae et observationi consulere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Coniunct. *et* delenda (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, illasque, ac decretum huiusmodi eisdem[1] praesentibus insertum, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Curiensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1655, pontif. anno I.

LVIII.

Commissio episcopo Casalensi super controversiis inter principem Masserani et de Crevacore ac eius vassallos vertentibus[2].

Venerabili fratri episcopo Casalensi,
Alexander Papa VII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Committit episcopo Casalensi ut transmittat processus et quaestiones vertentes inter principem, etc.

§ 1. Cum, sicut accepimus, inter dilectum filium nobilem virum Paulum Bessum Ferrerium Fliscum, principem Masserani, nostrum et Sedis Apostolicae feudatarium ex unâ, necnon dilectos filios eiusdem Pauli principis subditos seu vassallos, praesertim terrarum Masserani et de Crevacore incolas, ex alterâ partibus, nonnullae controversiae seu quaestiones sint exortae: nos, diligentem de illis informationem capi processumque desuper confici volentes, fraternitati tuae, de cuius prudentiâ, fide, integritate, rerum agendarum peritiâ et dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut de et super controversiis seu quaestionibus huiusmodi diligentem cognitionem capias, ac processum seu processus fabrices et conficias, exactamque facti instructionem et informationem sumas, aliaque desuper necessaria et quomodolibet opportuna facias, geras, mandes et exequaris usque ad sententiam exclusive; dantes tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem substituendi vice tuâ ad praemissa peragenda aliquam personam idoneam ecclesiasticam vel saecularem, attento quod, ut pariter accepimus, eaedem controversiae seu quaestiones super negocio mere temporali et profano vertuntur. Ceterum volumus ut informationes et processus, quas et quos vigore praesentium coeperis et confeceris, seu persona a te substituenda coeperit et confecerit, in formâ authenticâ sub tuo sigillo clausas et clausos ad nos tuto transmittas, ut, quod in praemissis statuendum fuerit, maturâ deliberatione adhibitâ decernamus.

Opposita tollit.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis

1 Male edit. Main. legit *eiusdem* pro *eisdem* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradictarum terrarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1655, pontif. anno I.

LIX.

Christinae reginae Sveciae conceditur licentia ingrediendi quoties voluerit quaecumque virorum religiosorum in Urbe monasteria cum honesto et moderato aliquot mulierum et nonnullorum virorum numero et comitatu[1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri, Alexander Papa VII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem Christinae Sveciae ingrediendi monasteria et domus quorumlibet religiosorum.

§ 1. Singularis maiestatis tuae pietas promeretur, ut ea, quibus spiritualis tua consolatio augeri potest, tibi libenter concedamus. Itaque maiestati tuae, ut, cum honesto et moderato aliquot mulierum, quas tu ad hoc eligendas duxeris, et nonnullorum virorum aetate et moribus gravium numero et comitatu, quaecumque cuiusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti virorum religiosorum domos regulares seu monasteria in hac almâ Urbe nostrâ existentia, ac intra septa ipsarum domorum seu monasteriorum et clausuram, quoties volueris, ingredi libere et licite possis et valeas, ita tamen, ut particularium religiosorum cellas seu cubicula neque tu neque mulieres praescriptae ingrediamini, minusque tu et mulieres huiusmodi inibi pernoctetis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinum, congregationum, societatum, institutorum, domorumque et monasteriorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1655, pontif. anno I.

LX.

Ut Christina regina Sveciae quaecumque Urbis monialium monasteria cum honesto numero et comitatu mulierum, toties quoties ei placuerit ingredi possit[1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri, Alexander Papa VII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem Christinae Sveciae ut ingredi possit.

§ 1. Spirituali consolationi tuae, pro paterno, quo te in Domino complectimur,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

charitatis affectu, complere volentes, maiestati tuae, ut quaecumque huius almae Urbis monialium monasteria cuiusvis ordinis cum honesto numero et comitatu mulierum, modesto habitu, toties quoties tibi placuerit ingredi, ac cum monialibus ipsis conversari, dummodo tamen neque tu neque mulieres praedictae ibidem pernoctetis, libere et licite possis et valeas, apostolicâ autoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum huiusmodi et ordinum quorum sunt, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1655, pontif. anno I.

LXI.

Christinae reginae Sveciae concedit licentiam ingrediendi quoties voluerit cryptas basilicae S. Petri, ac cappellam ad Sancta Sanctorum et cappellam subterraneam S. Helenae in ecclesiâ S. Crucis in Hierusalem de Urbe[1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri, Alexander Papa VII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem Christinae reginae Sveciae ingrediendi cryptas basilicae S. Petri de Urbe. § 1. Eximia maiestatis tuae in Deum pietas, singulari in nos et hanc Sanctam Sedem fidei et devotioni coniuncta, promeretur, ut ei libenter concedamus, quae ad spiritualem eius consolationem pertinere arbitramur. Itaque eidem maiestati tuae, ut cryptas sub basilicâ Principis Apostolorum, necnon cappellam ad Sancta Sanctorum vulgo nuncupata prope ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, et cappellam subterraneam S. Helenae in ecclesiâ S. Crucis in Hierusalem de hac almâ Urbe, toties quoties volueris, cum honesto et moderato virorum et mulierum comitatu, ingredi libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 decembris 1655, pontif. anno I.

LXII.

Committit nuncio Poloniae ut compellat ecclesiasticos ad tradendum archiepiscopis Gnesnensi et Leopoliensi ac episcopo Luceoriensi aurea et argentea utensilia ecclesiarum et locorum piorum, ut conflent, et inde nummos cudant tradendos in subsidium regi Poloniae pro recuperatione regni[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laodensi, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Committit nuncio Poloniae ut compellat ecclesiasticos ad tradendum subsidium regi Poloniae pro recuperatione regni. § 1. Cum, sicut accepimus, ad resistendum Moscorum et Svecorum catholicae fidei hostium armis, qui maiorem Poloniae partem cum ingenti religionis orthodoxae detrimento occuparunt, aerarii regii vires et laicorum eiusdem regni

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

facultates minime sufficiant, ecclesiasticae vero personae regni huiusmodi, bonis et redditibus ab iisdem Moscis et Svecis spoliatae, eo angustiarum redactae[1] sint, ut nihil aut parum in communem causam contribuere possint: nos, considerantes eâ in re non minus Dei, cuius templa et sacra violantur et cultus cessat, ac ministrorum eius, quam carissimi in Christo filii nostri Ioannis Casimiri Poloniae et Sveciae regis illustris, possessione regni violenter et iniuste exuti, causam agi; quacumque aliâ promptiori ratione in tam urgenti et evidenti necessitate eidem Ioanni Casimiro regi pro recuperatione regni praedicti ac haereticorum inde expulsione subveniendum censemus. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut omnes et singulos archiepiscopos, episcopos, capitula, canonicos et ecclesiarum ac locorum piorum quorumlibet rectores et administratores, ceterasque personas ecclesiasticas regni praedicti, tam seculares, quam cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, ac etiam Societatis Iesu, et militiarum, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regulares, ad tradendum et consignandum venerabilibus fratribus Gnesnensi et Leopoliensi archiepiscopis ac episcopo Luceoriensi, aut duobus saltem ex illis, quaecumque et qualiacumque aurea et argentea ecclesiarum et locorum piorum huiusmodi vasa, candelabra, cruces, thuribula et alia utensilia, sive intra fines regni praedicti, sive extra illos ubicumque gentium et locorum existant (calicibus et patenis ac aliis sacrâ unctione delibutis dumtaxat exceptis), ut illa conflari, et in nummos, praedicto Ioanni Casimiro regi seu eius ministris consignandos et in supradictam causam dumtaxat expendendos, cudi possint, datâ securiori quae poterit cautione de restituendis, quamprimum facultas suppetet, ecclesiis et locis piis huiusmodi aliis utensilibus aureis et argenteis eiusdem ponderis, valoris et qualitatis, apostolicâ nostrâ auctoritate, opportunis iuris et facti remediis, etiam per censuras ecclesiasticas, omni et quacumque appellatione, recursu, reclamatione et exceptione remotis, cogas et compellas; super quibus tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem tribuimus et impertimur.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliiis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumcumque ecclesiarum et locorum piorum, ac ordinum, congregationum, societatis, militiarum et hospitalium praedictorum, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et locis piis, ac ordinibus, congregationibus, societati, militiis et hospitali praedictis, illorumque praesulibus, capitulis, abbatibus et aliis superioribus, ac personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita

Derogat contrariis.

1 Edit. Main. legit *redacta* (R. T.).

forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum ac formâ in illis traditâ servatâ exprimerentur et insererentur, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 3. Aut si praedictis et quibuslibet aliis sit a Sede Apostolicâ communiter aut divisim indultum, quod excommunicari, suspendi et interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXIII.

Mandat archipresbytero et capitulo basilicae S. Petri de Urbe, ut, si et quando a reginâ Sveciae fuerint requisiti, deferant Vultum Sanctum et sacram lanceam usque ad fores, per quas e dictâ basilicâ datur accessus ad tabernacula ubi collocata sunt, et illi ostendant [1].

Dilecto filio archipresbytero ac capitulo et canonicis basilicae Principis Apostolorum de Urbe,

Alexander Papa VII.

Dilecti fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Concedit reginae Sveciae Vultum Sanctum et sacram lanceam ad se deferri.

§ 1. Ut carissima in Christo filia nostra Christina Sveciae regina illustris sudarium sanctae Veronicae, cui impressa est imago vultus Domini nostri Iesu Christi, Vultum Sanctum vulgo nuncupatum, necnon lanceam, qua latus eiusdem Domini nostri Iesu Christi in cruce pendentis apertum fuit, pro suâ devotione [1] cominus aspicere et venerari valeat, vobis praesentium serie mandamus, quatenus, si et quando a praedictâ Christinâ reginâ super hoc fueritis requisiti, sudarium, seu Vultum Sanctum, et lanceam huiusmodi, quae in basilicâ Principis Apostolorum de Urbe asservantur, e tabernaculo seu tabernaculis, ubi nunc reperiuntur collocata, usque ad fores, per quas e basilicâ praedictâ ad odeum, in quo tabernaculum seu tabernacula huiusmodi existunt, datur accessus, cum debitis honore et reverentiâ deferri curetis, ac eidem Christinae reginae ostendatis.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae basilicae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXIV.

Licentia pro Christinâ reginâ Sveciae ingrediendi, quoties voluerit, cryptas, cappellas et alia loca sacra quaecumque in Urbe existentia [2].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri,

Alexander Papa VII.

Carissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem reginae Sveciae ingre-

§ 1. Eximia maiestatis tuae in Deum pietas, singulari in nos et hanc sanctam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Heic ad marginem edit. Main. notat *sic*, cuius notationis nulla ratio cernitur (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

diendi quaecumque loca sacra.

Sedem fidei et devotioni coniuncta, promeretur ut ei libenter concedamus quae ad spiritualem eius consolationem pertinere arbitramur. Itaque eidem maiestati tuae, ut cryptas, cappellas et alia loca sacra quaecumque in hac almâ Urbe nostrâ existentia, quarum et quorum ingressus personis feminei sexus quomodolibet reperitur interdictus, toties quoties volueris, cum honesto et moderato virorum et mulierum comitatu ingredi libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria reiicit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCLVI, pontificalus nostri anno I.

Dat. die 3 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXV.

Licentia reginae Sveciae ingrediendi quoties voluerit monasterium Carthusiensium de Urbe, ac eremum Camaldulensium prope Tusculum[1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri, Alexander Papa VII.

Carissimo in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Licentiam reginae Sveciae ingrediendi monasterium Carthusiensium et Eremum Camaldulensium impertitur.

§ 1. Singularis maiestatis tuae pietas promeretur, ut ea, quibus spiritualis tua consolatio augeri potest, tibi libenter concedamus. Itaque maiestati[2] tuae, ut, cum honesto et moderato aliquot mulierum, quas tu ad hoc eligendas duxeris, et nonnullorum virorum aetate et moribus gravium numero et comitatu, monasterium monachorum Carthusianorum huius almae Urbis, necnon eremum Camaldulensium prope Tusculum, ac intra septa et clausuram monasterii et eremi huiusmodi, quoties volueris, ingredi libere et licite possis et valeas, ita tamen, ut neque tu neque dictae mulieres inibi pernoctetis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria repellit.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eorumdem monasterii et eremi et illorum ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 ianuarii 1656, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *maiestatis* (R. T.).

LXVI.

Sacram et apostolicam visitationem ecclesiarum omnium Urbis locorumque piorum, et quadraginta horarum celebrationem cum indulgentiarum elargitione indicit.

Alexander episcopus, servus servorum Dei,

Dilectis filiis universo clero et populo Romano, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Commissam nobis Ecclesiam vigili curâ ac studio dies noctesque obeuntes, calamitatum ac tribulationum, quae invenerunt nos nimis, obiectu[1] non deterremur aut frangimur; quinimo ad Illum, qui eam sibi praeelegit in sponsam, fidentes respicimus, et quam ipsi immensam[2] sollicitudinem et charitatem debemus, omni operâ

1 Sic edit. Main.; forsan *obtutu* (R. T.).

2 Forsan *impensam* (R. T.).

diligentiâque repraesentare conamur. Illam, Filii sui sanguine acquisitam, tamque excellenti pignore sibi obligatam, tradidit nobis custodiendam Altissimus, crebro urgens contendensque, ne quid unquam de summo in eam amore ac dilectione remitteremus. Quod trepide sollicite que cum animo nostro reputantes, in hoc labores omnes cogitationesque defigimus, ne qua labes aut macula pulcherrimo corpori adhaerescat, eam vero decoram exhibeamus tamquam sponsam ornatam monilibus paratam in occursum domini ac viri sui. Quamvis autem universis ac singulis debitores simus et in Christo devincti, haec tamen alma civitas, quam in tantum extulit divina dignatio, propiores habet amoris et sollicitudinis causas. Crediti enim gregis cum forma esse iubeamur, a principe gentium Urbe exigendum id esse potissimum videtur, ut fidei ac religionis magistra, castissima etiam sit morum custos et disciplinae. Hic est fides Petri, fides quae annunciatur in universo mundo, quae apostolos coronavit et martyres. Haec est civitas aedificata super fundamentum apostolorum, quam fusus pro Christo sanguis inundat, illustrantque sanctorum pretiosa deposita.

Motiva. § 1. Hinc quidquid oculis Domini displicere possit extirpare cupientes, nullam in populo aut plebe turpitudinem, nihil inquinatum apparere, cleri vero mores eos vellemus, quales esse de altari viventium decet, quorum pars est Christus, atque in caelis conversatio. Cum enim Deus impium regem, quod vasa templi ministerio addicta in profanum usum vertisset, gravi subitâque vindictâ percussit, satis ostendit quam procul ab immundâ omni consuetudine remoti esse debeant ii qui sibi inserviunt, cum etiam inanimae[1] et sine sensu rei tantam voluerit adhiberi reverentiam. Optamusque ut illi in praecipuis basilicis, quas Deo obtulit pia imperatorum ac principum largitas, diligenter obeant opus suum, utque apta sit et decora psalmorum modulatio, psallantque Regi regum sapienter. Quibus perficiendis opportune, ut cetera, id quoque suis decretis sancivit sacrosancta Tridentina Synodus, ut episcopi subinde gregem suum ovesque perlustrarent et recognoscerent. Cuius sanctissimum institutum et nos sequentes, ut patrum regulas ac terminos custodiamus, visitemus fratres nostros filios Israël, ne veniat super nos quod olim comminatus est Deus malis pastoribus, qui, pascentes semetipsos, gregem Domini non pascunt, neque quod infirmum est consolidant, quod aegrotum non sanant, quod confractum non alligant, quod abiectum non reducunt, et quod periit[1] non requirunt,

§ 2. Statuimus Deo annuere[2] urbis Romanae omnes tam patriarchales quam collegiatas et parochiales ecclesias, earumque capitula et personas, item monasteria, conventus et ecclesias quorumvis ordinis[3] tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, montem pietatis et omnia, quocumque censentur nomine, loca pia visitare.

§ 3. In cuius operis consortium nonnullos advocavimus ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et episcopos aliquot administros, quorum consilio atque operâ in re tam salubri atque arduâ uteremur.

§ 4. Ad omnipotentis itaque Dei laudem et gloriam, S. R. E. exaltationem, vobis visitationem in vigesimamtertiam mensis huius dominicam diem indicimus, quam a sacrosanctâ primariâ Lateranensi Quadraginta horarum celebrationem indicit.

1 Sic legit edit. Main. (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *petiit* pro *periit* (R. T.).
2 Forsan *annuente* legend. pro *annuere* (R.T.).
3 Aptius lege *ordinum*, vel *cuiusvis* (R. T.).

basilicâ inchoabimus, et statutis diebus, Deo adiutore, prosequemur, singulos atque universos in Christi visceribus per misericordiam Dei et Salvatoris nostri obtestantes ut, abiectis secularibus desideriis, non secundum carnem ambulent, sed iuste et pie vivant, quo tamquam in bene praeparato agro sementem dominicam cum fructu accipiant; ac, ne in vacuum curramus, et frustra sint nostri labores, Deum, qui est multae misericordiae omnibus invocantibus se, sine intermissione obsecrent, ne viribus deficiamus, sed assistat nobis, confortetque nos in gratiâ, quae est in Christo Iesu.

§ 5. Qua de causâ iubemus sextâ feriâ ante constitutam dominicam in nonnullis ecclesiis Urbis patriarchalibus, collegiatis et aliis praecipuis, sacrosanctam Eucharistiam solemni ritu in altari proponi, et quadraginta horarum orationem de more celebrari.

Indulgentias ecclesias et loca pia visitantibus elargitur.

§ 6. Ut autem orationes vestrae exeant de corde puro et conscientiâ bonâ, thesauros Eius, qui propitiator noster est apud Patrem suum, reseramus[1], atque omnibus et singulis utriusque sexus Romae degentibus, qui eâdem dominicâ die, expiatis exactâ confessione conscientiis, sacram sumpserit Eucharistiam, devoteque in quavis ecclesiâ oraverint ut haec nostra visitatio utilis sit Ecclesiae et animarum saluti, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur.

§ 7. Agite ergo, dilecti filii, cum tremore et sollicitudine cooperamini saluti vestrae, quaecumque sint vera, quaecumque pudica, iusta, sancta, amabilia, bonae famae, si qua virtus, si qua disciplina, haec cogitate, ut cito anticipent nos misericordiae Domini, obliviscatur vero iniquitatum nostrarum, convertaturque et videat et visitet vineam istam, quam plantavit dextera ipsius, et ponat visitatione eius pacem.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLVI[1], die x ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 ianuarii 1656, pontif. anno I.

1 Male edit. Main. legit *reservamus* pro *reseramus* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit MDCLV (R. T.).

LXVII.

Indulgentia pro imagine Christi ad columnam flagellati a Sanctitate Suâ reginae Sveciae donatâ[2].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, Sveciae reginae illustri, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quanto maiori animi iucunditate perfundimur eximium maiestatis tuae zelum catholicae religionis ac singularia eius in nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotionis merita considerantes, tanto impensius optamus aliquod praecipuae paternae, qua te iure optimo complectimur, charitatis ac insignium virtutum tuarum extare monumentum.

Indulgentias impartitur reginae Sveciae pro imagine Christi.

§ 1. Cum itaque nos maiestati tuae imaginem Iesu Christi Domini nostri ad columnam ex lapide cyaneo ligati et a duobus tortoribus flagellati, tribus argenteis constantem et thecae ex ebeno inclusam, donaverimus; idcirco, spirituali eiusdem maiestatis tuae consolationi et animae tuae saluti peramplius consultum esse cupientes, tibi, ut quamdiu imaginem praedictam penes te habueris, quotiescumque officium divinum ordinarium, aut beatissimae Virginis Mariae, vel defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales, seu graduales, vel coronam Domini, aut tertiam partem rosarii recitaveris, aut infirmos alicuius hospitalis visitaveris, vel

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

pauperibus Christi subveneris, quoties aliquod praestiteris ex operibus huiusmodi, ac vere poenitens et confessa sacerdoti ab Ordinario approbato in aliquo ex dominicis aut festis diebus de praecepto sacram communionem sumpseris, piasque ad Deum preces fuderis pro haeresum et schismatum extirpatione, pro fidei catholicae propagatione, christianorum principum concordiâ, aliisque sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus, semel in hebdomadâ plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam consequaris. Praeterea, ut, quando feriâ sextâ cuiuscumque hebdomadae in honorem sanctissimae Passionis Dominicae ieiunaveris, ac ipsâ die vel dominicâ immediate sequenti confessa ac sacrâ communione refecta ut supra oraveris, toties plenariam itidem indulgentiam consequaris; et quoties cum dolore de peccatis et proposito emendationis conscientiam tuam examinaveris, toties decem annorum indulgentiam et totidem quadragenas consequaris. Quod si per integrum mensem ut minimum semel in die id egeris, eoque mense absoluto, peractâ confessione, sanctissimam Eucharistiam sumpseris, plenariam pariter indulgentiam consequaris. Et quoties ter *Pater noster* et ter *Ave Maria* in honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, aut quinquies in honorem quinque plagarum Domini nostri Iesu Christi, cum proposito te ab aliquo peccato emendandi dixeris, aut missae etiam privatae in ferialibus diebus interfueris, aut aliquod ex operibus supra in primo capite praescriptis praestiteris, toties indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. In mortis quoque articulo, si vere poenitens, ac, si potueris, ut supra confessa, sacrâque communione refecta, alioquin saltem contrita nomen Iesu ore si potueris, sin minus corde devote invocaveris, plenariam pariter indulgentiam consequaris. Quas quidem omnes indulgentias suprascriptas, ut per modum suffragii fidelibus defunctis applicare possis concedimus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXVIII.

Pro eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus assumptis pro sacrâ visitatione apostolicâ.

Alexander Papa VII,

Venerabili fratri nostro Martio episcopo Albanensi Ginetio, necnon dilectis filiis nostris Ulderico S. Anastasiae Carpineo, Marco Antonio S. Mariae de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Caeciliae Rapacciolo, Nicolao S. Mariae Angelorum Ludovisio, Iacobo S. Mariae Transpontinae Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, et Giberto Ss. Ioannis et Pauli titulorum presbyteris S. R. E. cardinalibus Borromaeo respective nuncupatis.

Venerabilis frater noster,
ac dilecti filii nostri,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Quoniam in prosequendo munere visitationis ecclesiarum et piorum locorum huius almae Urbis nostrae, ad quod vos nominatim ex sacro venerabilium fratrum nostrorum collegio deligemus[1], facile contingere poterit ut aliqua negotia criminalia pertractanda sint;

Amplam potestatem cardinalibus in visitatione elargitur.

§ 1. Nos, conscientiarum ac status vestrorum securitati opportune providere volentes, vobis et cuilibet vestrum, ut tam coniunctim quam divisim, durante huiusmodi visitatione, et illius occasione dumtaxat, quascumque querelas, accusationes, denunciationes contra quascumque

1 Videtur legendum *delegimus* (R. T.).

personas, tam ecclesiasticas, seculares vel regulares, quam laicas cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existentes, recipere et audire, causasque exinde aut aliàs quomodolibet ex dictâ visitatione vel illius causâ emergentes, tam ecclesiasticas quam profanas, ac tam civiles quam criminales et mixtas, sive ad procuratoris fisci, sive ad aliorum quorumcumque instantiam, aut ex officio, audire, cognoscere, quandoque nobis referre et nobiscum communicare, ac iuxta mandata nostra, seu aliàs prout iustitia suaserit et ordo dictaverit rationis, illas decidere et terminare, aliàsque in eas[1] vos immiscere sine[2] aliquo conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu, etiamsi inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam ultimi supplicii poena infligenda venerit, dummodo vos ipsi a sententiâ sanguinis per vos ipsos ferendâ abstineatis, libere et licite valeatis, licentiam concedimus et indulgemus.

Reos detegentibus omnem irregularitatis vel censurarum poenam condonat.

§ 2. Utque liberius ab omnibus denunciationes, querelae et accusationes, ac causae quaecumque ad dictam visitationem pertinentes deferri possint, omnibus similiter et singulis personis, tam laicis quam clericis, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constitutis, secularibus, et quorumvis ordinum, congregationum et instituti regularibus, quavis etiam episcopali vel maiori ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate vel praeeminentiâ fulgentibus, qui in actu eiusdem visitationis, seu aliàs illius occasione, aliquid, quod ad praedictas causas pertineat, per viam denunciationis, querelae vel accusationis, palam vel occulte, sponte, vel ad aliorum, etiam procuratoris fisci, instantiam, in iudicio vel extra iudicium revelaverint, aut in praemissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, iudicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, convincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, indicia, votum, consilium, auxilium, vel favorem, per se vel alium, directe vel indirecte praestiterint, sive tamquam iudices ordinarii, vel delegati, custodes, scribae, testes, tabelliones, consultores, procuratores, advocati, seu aliàs se in praemissis quomodolibet ingesserint, ut nullam propterea poenam vel censuram ecclesiasticam aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus generalis concilii atque aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiuscumque Ordinis et monasterii, atque ecclesiarum et aliorum piorum locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 ianuarii 1656, pontif. an. I.

1 Vocem *eas* nos addimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *sive* pro *sine* (R. T.).

LXIX.

Hortatorium capitulo ecclesiae Cocinensis, ut Hyacintho a S. Vincentio fratri Discalceato Ordinis sanctae Mariae de Monte Carmelo, ad illas partes a nobis destinato, auxilium et favorem praebeant ac pro viribus assistant[1].

Dilectis filiis vicario capitulari ecclesiae Cocinensis, illius sede episcopali vacante legitime deputato a capitulo et canonicis eiusdem ecclesiae Cocinensis,

Alexander Papa VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Commendat fratrem Hyacinthum canonicis et capitulo ecclesiae Cocinensis.

§ 1. Cum, pro componendis ecclesiae Angamalensis, Thomae archidiaconi eiusdem ecclesiae seu Serrae operâ, ut accepimus, turbatae, dissidiis, dilectum filium Hyacinthum a S. Vincentio fratrem Discalceatum Ordinis sanctae Mariae de Monte Carmelo, virum virtutibus ac optimis qualitatibus praeditum, ad illas partes destinare decreverimus: hinc est quod nos dilectionem vestram praesentium tenore in Domino censuimus adhortandam, ut pro nostrâ et Sedis Apostolicae reverentiâ praedictum Hyacinthum ad vos divertentem benigne excipiatis, illique quodcumque opportunum auxilium et favorem praebeatis et pro viribus assistatis, ut ipse, consilio et ope vestrâ adiutus, memoratae ecclesiae Angamalensis pacem et concordiam in executionem mandatorum nostrorum ad omnipotentis Dei laudem et dominici gregis salutem restituere, ac christifideles, alienâ seductione et inconsultâ levitate a venerabili fratre archiepiscopo Angamalensi eorum pastore distractos, ad eiusdem archiepiscopi obedientiam reducere Domino cooperante valeat. Implebitis eâ in re partes verorum Ecclesiae catholicae filiorum, nobisque gratissimum erit quod benevolentiae eidem Hyacintho impendetis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXX.

Mittit Hyacinthum a S. Vincentio Carmelitam Discalceatum ad provinciam Angamalensem ut super recessu Thomae archidiaconi ecclesiae Angamalensis eiusque sequacium ab obedientiâ archiepiscopi, aliisque excessibus, informationes capiat et processus conficiat, cum facultate communicandi cum illis et eos absolvendi et ad gremium S. M. E. recipiendi [1].

Dilecto filio Hyacintho a S. Vincentio, Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum professori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ ad aures nostras pervenit, dilectus filius Thomas archidiaconus ecclesiae Angamalensis seu Serrae, unâ cum centum et quinquaginta millibus seu alio veriori numero christianorum illarum partium, ab obedientiâ venerabilis fratris archiepiscopi Angamalensis recesserit, ac dignitatem episcopalem absque huius sanctae Sedis auctoritate sibi arrogaverit, muniaque pastoralia inter eosdem christianos illegitime invalideque exercere praesumpserit, et forsan praesumat, cumque per excessus huiusmodi et illorum occasione status eiusdem ecclesiae Angamalensis cum maximo christifidelium dictarum partium animarum periculo valde perturbatus existat: nos, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore omnium ecclesiarum sollicitudine universique gregis dominici curâ, praedictorum excessuum informationem capi, ac perturbationes huiusmodi componi et sedari, tranquillitatemque eidem ecclesiae restitui, necnon memoratum Thomam, eiusque sequaces, ad eiusdem archiepiscopi obedientiam reduci cupientes, ac de tuâ fide, prudentiâ, rerum agendarum peritiâ, dexteritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio

Facultatem impartitur fratri Hyacyntho absolvendi a censuris et ad Ecclesiae gremium reducendi archiepiscopum provinciae Angamalensis.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

propagandae fidei praepositorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus te unà cum duobus vel tribus sociis tibi placitis et gratis ad partes supradictas conferas, ac super omnibus et singulis praemissis veras facti informationes, exactamque instructionem sumas et capias, ac processum seu processus desuper fabrices et conficias. Dantes tibi quamcumque[1] necessariam et opportunam facultatem cum eodem Thoma eiusque sequacibus clericis et laicis quibuslibet libere et licite, et absque cuiusvis censurae vel poenae ecclesiasticae incursu, ubi et quando ac toties quoties in Domino expedire iudicaveris, super eorum reductione ad praefati archiepiscopi obedientiam communicandi et tractandi, ipsumque Thomam et eius sequaces ad obedientiam huiusmodi quoties opus fuerit respective auctoritate nostrà apostolicà reducendi, et si hoc a te humiliter petierint, impositâ eis et eorum cuilibet poenitentiâ salutari, necnon recepto ab eis iuramento quod de cetero similia non perpetrabunt, a praedictorum excessuum reatu, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione respective incursis, eâdem auctoritate absolvendi et plenarie liberandi, illisque et eorum cuilibet poenas huiusmodi gratiose remittendi et condonandi, ac eos et eorum quemlibet in pristinum et eum, in quo ante praedictos excessus quomodolibet erant, statum restituendi et plenarie reintegrandi, ac ad gremium sanctae Matris Romanae Ecclesiae dictà auctoritate recipiendi, aliaque ad id necessaria et opportuna agendi, faciendi et exequendi, prout res ipsa exegerit, servatis tamen semper constitutionum apostolicarum, ac conciliorum generalium sacrorumque canonum dispositionibus.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, memoratae Angamalensis et aliarum quarumvis ecclesiarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. *Derogat contrariis.*

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 ianuarii 1656, pontif. an. I.

LXXI.

Hortatorium universis christifidelibus pro Iosepho a S. Mariâ Carmelitâ Discalceato ad partes Orientis profecturo[1].

Alexander Papa VII,

Universis christifidelibus, tam ecclesiasticis, etiam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularibus, quam laicis, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos dilectum filium Iosephum a S. Mariâ, Ordinis fratrum eiusdem *Universis Orientis christifidelibus Iose-*

1 Edit. Main. legit *quacumque* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

phum a sancta Maria Carmelitam Discalceatum commendat.

S. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, virum pietate praeclarisque virtutibus praeditum, ad partes Orientis cum nostris super gravissimo negotio mandatis mittamus; idcirco vos omnes et singulos plurimum hortamur in Domino, et per ineffabilem bonitatem Dei, qui charitas est, paterne requirimus atque etiam enixe petimus, ut eumdem Iosephum cum eius sociis, quando, tam in itinere ad partes praedictas, quam in reditu[1] ex iisdem partibus ad nos et hanc sanctam Sedem, ad loca vestra se contulerit, pro vestrâ erga nos et eamdem Sedem reverentiâ et devotione, ad gloriam nominis Christi Salvatoris nostri, benigne suscipiatis, et fraternâ cum humanitate atque amore liberaliter pertractetis, ac ipsi Iosepho eiusque sociis de omnibus, quae eis commoda et necessaria fuerint, subveniatis, illaque eis prompte et alacriter tamquam ilares datores, quos diligit Deus, subministretis, et ipsis omni ope, operâ, consilio, ac totis denique viribus vestris, de libero ac tuto itinere et opportunis commeatibus cum effectu provideatis. Quae quidem si, ut speramus, feceritis, rem certe christianis hominibus maxime dignam, nobis vero gratam ac divinae maiestati procul dubio acceptissimam fecisse gaudebitis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXII.

Facultates S. R. E. cardinalium pro visitatione ecclesiarum et locorum piorum Urbis assumptorum.

Venerabili fratri nostro Martio episcopo Albanensi Ginetto, necnon dilectis filiis nostris Ulderico S. Anastasiae Carpineo, Marco Antonio S. Mariae de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Caeciliae Rapacciolo, Nicolao S. Mariae Angelorum Ludovisio, Iacobo S. Mariae Transpontinae Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, et Giberto Ss. Ioannis et Pauli titulorum presbyteris S. R. E. cardinalibus Borromaeo respective nuncupatis,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater noster, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum in pastorali visitatione, quam prope diem inchoare et Deo adiuvante prosequi intendimus, cleri nimirum romani, et omnium almae huius Urbis ecclesiarum, piorumque locorum et operum, vos potissimum ex sacro venerabilium fratrum nostrorum collegio delegerimus, et nobis in eo munere adiutores assumpserimus, adeoque vestrâ operâ in nonnullis rebus, quas per nosmetipsos praestare non valemus, diligenter inquirendis examinandis et exequendis uti cupiamus:

Facultas procedendi contra quoscumque.

§ 1. Idcirco, ut vestrum eâ in re ministerium plus habeat auctoritatis et firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem et animarum salutem Deique gloriam pariat fructum, providere volentes, vobis et vestrum cuilibet in solidum circa visitationem ipsam, eâque durante, mandata quaecumque, etiam vivae vocis oraculo per vos a nobis accepta, illis, ad quos ea res pertinet, referendi, et oretenus per nos ordinata mandandi, quibus relationi ac mandatis vestris et cuiuslibet vestrum de ordine nostro factis huiusmodi plenam et indubiam fidem ab omnibus adhiberi atque firmiter obtemperari tamquam mandatis nostris apostolicis volumus et iubemus; mandata quoque et praecepta quaecumque necessaria et opportuna illis in rebus, quae visitationis huiusmodi praeparationem, statum, pro-

[1] Male edit. Main. legit *reddit**u* (R. T.)

gressum et executionem concernunt, decernendi, faciendi atque exequi iubendi, personas quascumque tam ecclesiasticas, seculares, et cuiusvis ordinis, etiam Cisterciensis ac S. Antonii Viennensis, necnon congregationis, Societatis etiam Iesu, ac instituti, necnon militiarum, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regulares, quam etiam laicas, pro rebus et negotiis ad visitationem huiusmodi pertinentibus ad vos vocandi, et ad personaliter coram vobis comparendum citandi, opportunisque iuris et facti remediis compellendi; similes item personas quascumque, et tamquam principales quoad se, et tamquam testes quoad alios, examinandi, et ut veritati testimonium perhibeant admonendi ac etiam cogendi, iuramenta eis deferendi et ab eis exigendi et recipiendi, ad sacrorum canonum praescriptum, ac recusantes per censuras ecclesiasticas aliasque poenas etiam corporales vobis benevisas compescendi;

Memorialia etiam Pontificibus inscripta expediant.

§ 2. Memorialia etiam nobis inscripta et directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas etiam secretas contra quascumque personas accipiendi et nobis referendi, seu aliàs prout rerum et personarum qualitas requiret iuxta ordinationes nostras et ex auctoritate vobis traditâ providendi;

Et congregationes pro consilio adhibere possint.

§ 3. Congregationes aliquarum personarum, quae vobis in consilium super praemissis adhibendae videbuntur, faciendi, et illas easdem personas auctoritate nostrâ vocandi, et cum eis de negotiis visitationis huiusmodi tractandi, consultandi et deliberandi;

Omnes quascumque ecclesias et loca pia visitatoribus subiicit.

§ 4. Quotiescumque etiam vobis videbitur, ac etiam seorsum a nobis et iteratis vicibus, quantumvis dictae Urbis, seu extra illam intra tamen illius districtum consistentium patriarchalium, collegiatarum, parochialium, seu aliarum ecclesiarum, etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli aut denominationis sui cardinalatus, et aliàs quomodolibet, vel ex quavis causâ subiectarum, seu cuiusvis cappellae vel oratorii, necnon monasteriorum, tam virorum quam mulierum, prioratuum, domorum et locorum secularium, seu cuiuslibet ordinis, etiam Mendicantium, ac etiam Cisterciensis ac S. Antonii Viennensis, necnon congregationis, Societatis etiam Iesu, ac instituti et militiae, etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, etiamsi illorum capita existant, regularium, et hospitalium etiam nationalium, et S. Spiritus in Saxia, ac etiam exemptorum, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectorum generaliter quorumcumque locorum et operum piorum quomodolibet nuncupatorum, et quocumque privilegio, exemptione et immunitate suffultorum, eorumque capitulorum, conventuum, universitatum, collegiorum, congregationum, confraternitatum, archiconfraternitatum etiam laicorum, etiam nullo alio speciali nostro expectato ordine vel mandato aut etiam[1] requisito consensu vel licentiâ, visitationem faciendi, ac illa et quaelibet illorum visitandi, et in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam, idoneitatem singularum personarum, coniunctim vel divisim, et tam in capite quam in membris, necnon circa divinum cultum, religiosam functionem, ecclesiarum decorem, fructuum et introituum dispositionem, regularem religiosorum tam virorum quam mulierum observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi visitationis quomodocumque spectantia diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum archivia, bibliothecas et quaecumque in illis contineantur documenta et instru-

[1] Iterum subde *nullo* vel *non* (R. T.).

menta authentica, scripturas, libros rationum dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi, praesertim vero sanctissimum Eucharistiae sacramentum, sacras reliquias, et, quibus ipsum augustissimum sacramentum, sacrae reliquiae et res ad alia ecclesiastica sacramenta pertinentes continentur, sacra vasa, pyxides, thecas, tabernacula, necnon indumenta, ornamenta et instrumenta, utensilia et supellectilem ecclesiasticam, etiam pretiosam, diligenter et accurate inspiciendi, et ad praedicta exhibenda quascumque personas cogendi et compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis quaecumque correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveritis corrigendi, emendandi et reformandi, processusque necessarios desuper faciendi et nobis referendi, seu iuxta ordinationes nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes executioni demandandi, ac custodiri et observari praecipiendi, demumque omnia alia et singula, quae huiusmodi visitationis negotium, ulteriorem progressum, executionem, et in eâ facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi;

Contradictores compescant.

§ 5. Contradictoresque, et vobis in praemissis inobedientes et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per suspensionis, ac etiam privationis beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, ac per censuras et poenas ecclesiasticas et temporales, etiam mancipationis carceri, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, amplam et in universum tribuimus potestatem. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate et praeeminentiâ fulgentibus, ut vobis et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententias sive poenas, quas rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Nullum alicui praecedentiae ius acquiratur.

§ 7. Ceterum in visitatione huiusmodi ordinem praecedentiae inter ecclesias, monasteria et loca quaecumque per vos visitanda, quantum commode fieri poterit, servari volumus, nulli tamen ecclesiae, monasterio vel loco, nec ulli capitulo, collegio, conventui, confraternitati, archiconfraternitati aut personae, tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet, eiusdem visitationis sive ordinis huiusmodi in illâ servati vel non servati occasione, in aliquo etiam minimo quoad praecedentiam aliasque praerogativas quascumque praeiudicari, ac quicquam novi iuris acquiri, decernimus et declaramus.

Infirmos ad patientiam hortentur.

§ 7. Praeterea cupientes in praedictâ nostrâ pastorali visitatione animarum saluti, quantum in nobis est, prodesse, ac etiam corporales Christi pauperum praesertim infirmorum indigentias paternâ charitate sublevare, circumspectioni vestrae et vestrum cuilibet praesentium serie mandamus, ut coniunctim vel divisim parochias ecclesiarum diligenter perlustrare ac perquirere studeatis, atque earum pauperes infirmos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis, et apostolicam et nostram eis benedictionem, ut moris est, semel impartiamini, eosque paternis monitis et salutaribus consolationibus recreatis, hortantes ipsos, ut in humilitate et patientiâ propter Deum corporis infirmitatem et dolores susti-

neant, et ad parendum divinae voluntati, quandocumque ei placuerit ipsos ex hoc seculo revocare, se pie et christiane praeparent, sinceroque corde ad Deum conversi humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia ecclesiastica sacramenta, quibus christifideles ex hac vitâ migraturi se praemunire solent et debent, devote et reverenter suscipiant.

Confessis et communione refectis plenariam indulgentiam concedit.

§ 8. Nos enim eorum singulis, ante vel post vestram visitationem, ut praefertur, poenitentibus, confessis, et sanctissimo Eucharistiae sacramento refectis, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur.

Egenis per apostolicum eleemosynarium succurrant.

§ 9. Volumus autem, ut eo interim vobiscum adducatis dilectum filium nostrum et palatii apostolici eleemosynarium, qui prout cuiuscumque eorumdem pauperum egestas et personarum conditio postulaverit, etiam oblatis nostrâ impensâ charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, medicorum ope, ceterisque ad victum seu ad recuperandam valetudinem necessariis, temporalibus, quibus nunc urgentur, eorum necessitatibus succurrat.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, et ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, ordinum, congregationum, Societatis Iesu, militiarum, etiam dicti hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, archiconfraternitatum, confraternitatum et aliorum locorum et operum piorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac stylo curiae, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, praemissis et cuivis illorum, ac superioribus et personis eorum quomodolibet nuncupatis et qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu proprio, vel ad imperatoris, regum, reginarum, rerumpublicarum et principum quorumlibet preces et instantiam, seu eorum contemplatione et intuitu, ac etiam consistorialiter et aliâs quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse ac plenissime derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 ianuarii 1656, pontif. an. I.

LXXIII.

Deputatio secretarii eiusdem sacrae visitationis apostolicae.

Venerabili fratri Hieronymo, archiepiscopo Patracensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Rerum, quae nobis cordi sunt, et quibus universae, quam meditamur, reformationis pars non ultima continetur, curam

fidis et diligentibus viris libenter committimus.

Secretarium cum privilegiis deputat.

§ 1. De tuâ itaque singulari et nobis iam pridem perspectâ fide et diligentiâ plurimum in Domino confidentes, visitationis nostrae apostolicae, quam omnibus almae Urbis eiusque districtus ecclesiis, monasteriis, locisque sacris et piis, secularibus et regularibus, universoque clero et populo romano indiximus, ac per nosmetipsos, seu nonnullos venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales ad id coadiutores a nobis assumptos, Deo dante, obire intendimus, te secretarium duximus eligendum, prout etiam per praesentes munus secretarii huiusmodi cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, praerogativis, privilegiis et iuribus, quae tale officium obtinenti et exercenti quomodolibet competere possunt et debent, motu proprio tibi committimus et demandamus, teque secretarium visitationis praedictae creamus, constituimus et deputamus.

Facultas secretarii.

§ 2. Dantes tibi plenam et liberam facultatem eiusdem visitationis decreta, statuta, ordinationes, mandata, praecepta, inhibitiones, informationes, relationes, ordinem et seriem adnotandi, describendi, et in libellos, seu commentarios, sive etiam in publica et authentica documenta et instrumenta redigendi, ceteraque omnia, singula et quaecumque ad idem munus spectantia gerendi et exercendi, etiamsi notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali commissione huiusmodi non venirent. Nos enim volumus iis, quae a te de rebus in visitatione gestis et ordinatis fient et emanabunt, documentis et scripturis tuâ manu et signo munitis plenam atque indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus, tam in iudicio, quam extra illud, omnino haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri. Tu igitur in delato tibi munere ita te gere, ut fidem et diligentiam nunquam a te defuisse laetemur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXIV.

Deputatio cancellarii seu actuarii causarum sacrae visitationis apostolicae.

Dilecto filio Iosepho Palamollae, presbytero Policastrensi, Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cancellarium creat.

De singulari tuâ fide et diligentiâ plurimum in Domino confidentes, te omnium et quarumcumque litium et causarum, tam civilium, quam criminalium, occasione visitationis nostrae apostolicae, quam in omnibus almae Urbis et eius districtus ecclesiis et monasteriis, locisque sacris et piis, regularibus et secularibus, universoque clero et populo romano indiximus, motarum et in futurum movendarum, necnon eiusdem visitationis actorum ac decretorum quorumcumque, cancellarium et actuarium cum omnibus et singulis facultatibus et auctoritatibus, quae tale officium exercenti quomodolibet competere possunt et debent, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, creamus, constituimus et deputamus.

Facultas concedit.

§ 2. Dantes tibi plenam et liberam facultatem omnes et singulos actus et terminos coram iudicibus ac venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super eâdem visitatione per nos assumptis et deputatis servandi, ac decreta et sententias per eos pro tempore facienda et respective promulgandas annotandi, ac describendi, et in publica et authentica instrumenta, si opus fuerit, redigendi,

ceteraque omnia et quaecumque ad idem munus spectantia faciendi, gerendi et exercendi, quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, etiam absque aliquo conscientiae scrupulo, aut censurarum, vel poenarum ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu. Volumus insuper, ut scripturis et instrumentis publicis, manu tuâ ac signo munitis, plena et indubitata fides in iudicio et extra, nunc et perpetuis futuris temporibus, omnino adhibeatur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 ianuarii 1656, pontif. an. I.

LXXV.

Constitutio super statu congregationis secularis clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Commemoratio decreti Pauli V et Gregorii XIII praedecessorum.

§ 1. Dudum felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, per suas in simili formâ Brevis die VI martii MDCXVII expeditas litteras, in domo Piarum Scholarum Urbis, unam Congregationem Scholarum Piarum ab uno praefecto regendam et gubernandam, quae de cetero perpetuis futuris temporibus Paulina Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupari, nec ultra viginti ab Urbe milliaria extendi, neque ullum locum, in quo scholae piae non essent, domibus novitiorum exceptis, habere, et qui eidem Congregationi nomen dare voluissent finitis duobus probationis annis omnes, tam ad sacros etiam presbyteratus ordines promoti et clericali charactere dumtaxat insigniti, quam fratres operarii, tria simplicia vota, paupertatis, videlicet, ac castitatis et obedientiae, super quibus a nemine praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente dispensari posset, emittere, ac gratis et nullo stipendiis[1], mercede, salario, aut honorario accipiendo ad pueros in primis clementis, grammatica[2], computo, ac praecipue in fidei catholicae rudimentis erudiendos, bonis et piis moribus imbuendos, ac demum christiano more educandos operam, laborem et studium conferre deberent, erexit et instituit; ita vero quod qui simplex paupertatis votum, ut praefertur, emisissent, quamdiu in praedictâ Congregatione remansissent, cuiuscumque dominii, iuris et proprietatis incapaces essent, idemque paupertatis votum summam in iis paupertatem induceret, tam in particulari, quam in communi, ita ut nihil omnino iuris haberent, sed nec habere, aut acquiescere[3] quovis titulo possent in bonis seu ad bona, quae vocantur immobilia, vel quae pro immobilibus habentur. Huic vero paupertati omnia ad eorum usum pertinentia, cibos, vestes, supellectilem tam sacram quam profanam, statui et instituto convenientia; domos vero, hortos contiguos domibus, ecclesias, sacristias, oratoria, ac scholas et huiusmodi immobilia, quae pariter usui eorum destinabantur, similiter convenientia, ut praefertur, et praeterea in dominio Romani Pontificis pro tempore existentis; mobilia vero in dominio ipsorum, in communi tamen esse debere decrevit et declaravit[4]. Et deinde, cum tunc existentes sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositi, quibus recolendae memoriae Gre-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Aptius lege *stipendio* (R. T.).

2 Aptius infra legitur pag. 119-120 *elementis grammaticae* (R. T.).

3 Videtur legendum *acquirere* pro *acquiescere* (R. T.).

4 Vide tom. XII, pag. 382 (R. T.).

gorius XV etiam praedecessor noster negocium huiusmodi examinandum et sibi referendum commiserat, decreto per eos desuper facto, censuissent Congregationem Scholarum Piarum huiusmodi, ut praefertur, erectam et institutam posse in religionem trium votorum solemnium approbari, dictus Gregorius praedecessor, per suas in simili formâ Brevis die XVIII novembris MDCXXI expeditas litteras, decretum praedictum approbavit et confirmavit[1].

Decretum Innocentii de re hac.

§ 2. Postmodum vero piae memoriae Innocentius Papa X pariter praedecessor noster, ex causis tunc expressis adductus, omnibus et singulis religionis praedictae religiosis etiam professis, tam sacerdotibus, quam laicis, sive, ut vocant, operariis, facultatem transeundi ad quamcumque aliam religionem ab hac sanctâ Sede Apostolicâ approbatam, etiam laxiorem, in qua benevolos invenirent receptores, concessit et impartitus est.

Confirmat prout in rubrica.

§ 3. Praeterea, ne de cetero ulli amplius in dictam religionem reciperentur, et ne tunc recepti in novitiatibus degentes ad professionis emissionem admitterentur, sub nullitatis receptionis et professionis huiusmodi aliisque ipsius Innocentii praedecessoris et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrii poenis, interdixit et prohibuit. Ad haec omnes et singulos eiusdem religionis religiosos, cuiuscumque qualitatis existerent, eorumque domos, scholas et loca quaecumque omnimodae ordinariae locorum, in quibus reperiebantur, iurisdictioni subiecit et supposuit, sublatâ tamen, tam olim ministro generali religionis praedictae, quam aliis etiam auctoritate apostolicâ visitatoribus, ac superioribus deputatis, domorum ministris, ceterisque inferioribus superioribus, omni et quacumque facultate, superioritate et iurisdictione tam in spiritualibus quam in temporalibus erga praedictos religiosos, eorumque domos et scholas, ac loca quaecumque, omnemque auctoritatem, superioritatem et iurisdictionem, quae penes ministrum[1] generalem, visitatores apostolicos, aliosque supradictos, ut praemittitur, residebat, totaliter et omnimode in Ordinarios locorum huiusmodi transtulit, ita ut religiosi praedicti nullam deinceps iurisdictionem, auctoritatem et superioritatem sibi usurpare possent, nisi illam, quae iis fuisset ab Ordinariis ut supra demandata, seu delegata; religionem vero praedictam in Congregationem similem instituto Congregationis Oratorii in ecclesiâ[2] S. Mariae in Vallicella de eâdem Urbe erectae S. Philippi Nerii nuncupatae absque ullorum votorum emissione regendam, dirigendam, ac gubernandam, iuxta tamen constitutiones primodicto instituto proportionabiles desuper iussu Innocentii praedicti edendas, redegit et reduxit, ita tamen, ut praedicti religiosi nunquam possent denominari presbyteri seu clerici Congregationis Oratorii vel S. Philippi Nerii, nec pro talibus se gerere, et aliàs prout in eorumdem praedecessorum Pauli et Gregorii supradictis, ac Innocentii pariter in formâ Brevis die XVI martii MDCXLVI expeditis litteris[3], quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Reducit ad Congregationem secularem clericos praedictos.

§ 4. Nunc autem nos, considerantes experientiâ rerum magistrâ liquido constare quam utile sit reipublicae christianae institutum praedictorum clericorum, quorum operâ et sedulitate pueri corruptae naturae vitio alioquin ad malum proclives non solum in primis elementis gram-

1 Vide tom. XII, pag. 627 (R. T.).

1 Edit. Main. legit *ministrorum* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ecclesiae* (R. T.).
3 Litteras Innocentii X dedimus in tom. XV, pag. 459 (R. T.).

maticae et computo instruuntur, sed etiam, quod longe conducibilius est, fidei catholicae rudimentis, ac moribus et virtutibus christianis imbuuntur; boni publici plurimum interesse censemus eosdem clericos in laudabili et fructuoso eorum instituto huiusmodi perseverare. Hoc vero ut ab ipsis alacrius et maiori cum fructu deinceps peragi possit, providere, ac insimul eorumdem clericorum prospero statui ac felici directioni consulere, quantum cum Domino possumus, volentes, de particularis congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, qui de mandato nostro negocium huiusmodi auditis etiam clericis praedictis mature examinarunt, consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ constitutione, perpetuam reductionem eorumdem clericorum a statu regulari ad Congregationem secularem sub eâdem denominatione clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum approbamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo Congregationem huiusmodi ad statum secularem sub denominatione praedictâ reducimus.

A votis dispensari prohibet.

§ 5. Statuentes ac decernentes, quod quicumque in eamdem Congregationem secularem nunc et pro tempore quandocumque recepti tria vota simplicia, nempe castitatis, paupertatis et obedientiae cum iuramento in eâdem congregatione perpetuo permanendi, suo tempore emittere debeant, ita ut cum ipsis super votis et instituto[1] huiusmodi nisi per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut illa commutari, vel relaxari respective nullatenus, etiam praetextu vel vigore quarumcumque facultatum, etiam cruciatae sanctae, vel iubilaei universalis, possint, sub poenis apostasiae in casum contraventionis; ita tamen, ut deinceps in eamdem Congregationem recipiendi, antequam tria vota huiusmodi emittant, duos annos probationis in domibus specialiter in unaquâque provinciâ pro novitiis, si fieri poterit, destinandis, complere teneantur.

§ 6. Ad haec, ut certus dumtaxat numerus clericorum eiusdem Congregationis secularis iuxta indigentiam uniuscuiusque domus ipsius Congregationis ab infrascripto protectore determinandos ad omnes et sacros ac presbyteratus ordines ad titulum dictae Congregationis de illius praepositi generalis licentiâ servatisque servandis promoveri valeat, concedimus.

Constituit et deputat cardinalem vicarium eiusdem Congregationis protectorem.

§ 7. Praeterea facultatem eligendi praepositos provinciales in qualibet provinciâ supradictae Congregationis et rectores illius domorum clericis ipsius Congregationis impertimur, reservatâ nobis pro nunc facultate praepositum generalem eiusdem Congregationis unâ cum assistentibus ad beneplacitum nostrum deputandi, necnon venerabilem fratrem nostrum Martium episcopum Albanensem sanctae Romanae Ecclesiae Ginettum nuncupatum nunc, et quemcumque alium eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem pro tempore quandocumque existentem, nostrum et Romani Pontificis etiam pro tempore existentis in almâ Urbe praedictâ vicarium in spiritualibus generalem, saepedictae Congregationis illiusque domorum et personarum quarumcumque apud nos et Sedem Apostolicam protectorem facimus, constituimus et deputamus.

Scholas praedictas visitari iubet.

§ 8. Insuper Ordinariis locorum, ne in iis, quae particularem domorum et rerum dictae Congregationis administrationem, ac personarum illius regimen, gubernium et correctionem concernunt sese ullo mo-

1 Videtur potius legendum *iuramento* (R. T.).

do ingerant, aut superiorum eâ in re auctoritatem quomodolibet impediant, aut perturbent, prohibemus; in iis vero, quae scholas puerorum et illarum exercitium respiciunt et concernunt, eadem Congregatio illiusque personae, quemadmodum et in reliquis omnibus, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinariorum huiusmodi subsint et subiaceant; volentes ut praedicti Ordinarii semel saltem singulis annis scholas huiusmodi visitent, vel visitari faciant, et si quos eorumdem clericorum sive in actu visitationis sive aliàs quandocumque delinquentes et culpabiles repererint in his, quae ad scholarum exercitium, administrationem et regimen pertinent, eos pro qualitate criminum et culpae puniant; et nihilominus superiores quoque dictae Congregationis processus eâ super re conficere, ac delinquentes et culpabiles carceri domestico, si opus erit, includere teneantur, ut facilius puni valeant.

Praefectos scholarum et magistros examinari mandat.

§ 9. Praefecti quoque scholarum et magistri, antequam regimini illarum sese quomodolibet immisceant, approbari debeant ab Ordinariis praedictis, et coram[1] illis professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede Apostolicâ propositos emittere, et, si non bene se gesserint, ab eisdem amoveri valeant per praedictos Ordinarios pro sua prudentiâ et conscientiâ, quam super hoc serio oneramus.

Novitios in praedicta Congregatione decimum octavum annum gerentes admitti vult.

§ 10. Porro, quoniam institutum eiusdem Congregationis sicut admodum utile, ita quoque valde periculosum est, volumus ut ad dictam Congregationem non recipiantur novitii nisi decimumoctavum aetatis suae annum compleverint, optimique nominis et famae existant, et qui litteras testimoniales Ordinarii sui habeant super natalibus, moribus et idoneitate, et quod eiusdem Ordinarii iudicio apti reputentur ad huiusmodi institutum exercendum.

[1] Pessime edit. Main. legit *eorum* pro *coram* (R. T.).

§ 11. Ad haec statuimus ut praefectus, qui scholas recturus est, non deputetur nisi sacerdos gravis et prudens probatae vitae et pietatis, qui saltem trigesimum secundum aetatis suae annum compleverit; reliqui vero magistri sint aetatis vigintiocto annorum.

Concedit Mendicantium facultatem praedictae Congregationi.

§ 12. Praeterea praedictae Congregationi, eiusque domibus, ut a communitatibus, sive ab aliis, qui per clericos ipsius Congregationis in suis civitatibus, oppidis, terris et locis domos et scholas erigi et institui postulaverint, annuos redditus, sive praestationes annuas, unde decenter alantur et sustententur, recipere possint, dummodo tamen agros, vineas, domos et alia huiusmodi stabilia non possideant (ita tamen, ut propterea iidem clerici non impediantur, quominus eleemosynas pro eorum sustentatione etiam ostiatim quaerere et accipere valeant), itidem concedimus et indulgemus.

Bona possessa a Congregatione alienari decernit.

§ 13. Ac ut praedicti clerici infra annum a datâ praesentium computandum vendant bona stabilia, si quae[1] ad praesens possident, et eorum pretia in emptionem locorum montium cameralium non vacabilium Urbis praedictae, aut censuum annuorum perpetuorum secutorum et exigibilium convertant, praecipimus et mandamus.

Concedit licentiam ut non interveniant processionibus aliisque actis publicis.

§ 14. Necnon praeposito generali, ac reliquis superioribus et clericis et personis praedictae Congregationis nunc et pro tempore existentibus, quod ipsi extra Urbem ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus, in Urbe vero arbitrio praedicti nunc et pro tempore existentis vicarii generalis, quibuscumque processionibus et aliis quibuslibet actibus publicis de more vel consuetudine aut aliàs quandocumque faciendis et celebrandis, aut ab

[1] Potius lege *qua* (R. T.).

Ordinariis locorum quibusvis indicendis, interesse minime teneantur, nec ubique locorum per quoscumque Ordinarios huiusmodi aliasque personas ad id inniti[1] cogi et compelli possint, similiter concedimus.

Vetat erigi alias scholas sub nomine Scholarum Piarum.

§ 15. Et, ne alii quicumque, quavis auctoritate fungentes, scholas sub denominatione Scholarum Piarum erigere aut forsan iam erectas Pias nominare nec inscribere audeant seu praesumant, sub excommunicationis et aliis censuris ecclesiasticis eo ipso per contrafacientes incurrendis interdicimus et prohibemus.

§ 16. In reliquis vero antiquas constitutiones Congregationis huiusmodi, in omnibus iis quae aptantur et congruunt statui Congregationis secularis et praesenti nostrae constitutioni[2] nullatenus adversantur, servari praecipimus.

Declarent omnes eiusdem Congregationis professi, an huiusmodi iuramentum de permanentiâ praestare velint.

§ 17. Demum, quia illi, qui in eâ regularem professionem ante praedictam eiusdem Innocentii praedecessoris suppressionem emiserunt, forsan praetendent se non teneri ad praestandum supradictae permanentiae iuramentum in eâdem Congregatione nunc seculari, ideo singulos harum serie monemus, ut in Italiâ quidem et[3] insulis ei adiacentibus intra trium, ultra montes vero ubicumque existentes intra sex mensium a die publicationis praesentis constitutionis in Urbe praedictâ faciendae computandorum spatium declarent, an velint iuramentum huiusmodi praestare, vel ad aliam religionem transire, iuxta facultatem in litteris apostolicis super praedictâ suppressione emanatis concessam, quo termino elapso iuramentum huiusmodi per ipsos eo ipso praestitum fuisse et esse censeatur.

Decretum irritans.

§ 18. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sacri palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 19. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, eorumdem praedecessorum litteris supradictis, et aliis omnibus, quae iidem praedecessores in eis respective voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 20. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 ianuarii 1656, pontif anno I.

LXXVI.

Commissio auditori generali camerae apostolicae contra gubernatorem Portus Herculis, eiusque ministros et alios, qui eripi fecerunt frumentum, quod a Statu Senensi vehebatur ad portum Civitatis Veteris pro usu curiae Romanae[1].

[1] Videtur legendum *inviti* pro *inniti* (R. T.).
[2] Ed. Main. l. *praesentis...constitutionis* (R. T.).
[3] Male edit. Main. legit *ex* pro *et* (R. T.).

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilecto filio causarum curiae camerae nostrae apostolicae generali auditori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Motivi. § 1. Innotuit nuper nobis, quod, cum de mense octobris seu novembris proxime praeteriti, ut urgentibus annonae huius almae Urbis nostrae necessitatibus consuleretur, diversae quantitates et in specie nonaginta duo modii frumenti ad usum eiusdem annonae et Romanae curiae in Statu Senensi a quodam dictae annonae ministro illuc transmisso emptae et empti, ac ad portum Telamonis deductae et deducti, ibique navi impositae et impositi fuissent, ut inde mari ad portum nostrum Civitatis Veteris veherentur, dilectus filius noster Alonsus de la Puerta, gubernator Portus Herculis, dictam navem frumento huiusmodi oneratam, quae montem Argentarium praetervecta et in conspectu eiusdem Portus Herculis erat, missis navigiis armatis, invadi, illamque (tametsi gubernator eiusdem navis dictum frumentum in memorato Statu Senensi emptum fuisse, et pro dictae annonae et camerae nostrae apostolicae servitio ac eiusdem Romanae curiae usu transportari declararet et protestaretur) violenter in eumdem Portum Herculis deduci, ibique retineri et exonerari curavit, nec inde relaxare (licet super eâ re pluries requisitus) hactenus voluit, excommunicationis sententiam, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, et praesertim illâ quotannis in die Coenae Domini legi solitâ contra impedientes seu invadentes eos qui victualia seu alia ad usum Romanae curiae necessaria adducunt, ac contra eos, qui ne ad praedictam curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, inflictas, promulgatas damnabiliter incurrendo. Quapropter, cum non deceat tam graves reatus impunitos relinqui, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut causam et causas super omnibus et singulis praemissis tam ad instantiam dilecti filii nostri et camerae praedictae commissarii generalis, quam per inquisitionem et ex officio, et aliàs omni meliori modo motas et movendas, cum suis incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, contra praedictum Alonsum gubernatorem terrae Portus Herculis, illiusque ministros, et invasores ac retentores dictae navis et frumenti huius, et alios quoscumque praemissorum quomodolibet culpabiles, quantivis numeri, ac cuiuscumque qualitatis, gradus, status, conditionis et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali mentione dignae existant, summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figurâ iudicii, solâque facti veritate inspectâ, etiam iuxta ordinarias suas[1] facultates procedendo, ipsisque, tam coniunctim quam divisim, etiam per edictum publicum, constito itidem summarie ac extraiudicialiter, et quantum tibi sufficere videbitur, de non tuto accessu, citatis, cognoscas, audias, decidas et fine debito termines, ac Alonsum gubernatorem, eiusque ministros, ac invasores et retentores praedictos, et alios in praemissis culpabiles repertos, in excommunicationem et alias censuras et poenas praedictas eo ipso incidisse declares, ac in illos excommunicationis sententiam, si et quatenus opus sit, feras et publices; sique[2] Alonsus gubernator praedictus intra competentem terminum per te arbitrio tuo praefigendum declarationi seu sententiae et publicationi per te faciendae seu feren-

Committit auditori camerae apostolicae ut poenas indicat gubernatori Portus Herculis eiusque ministris.

1 Videtur legendum *tuas* pro *suas* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *sicque* pro *sique* (R. T.).

dae non paruerit, tunc, declarationem et sententiam tuam aggravans, terram Portus Herculis huiusmodi ac universum eius territorium interdicto ecclesiastico tam locali quam personali et mixto supponas, et suppositum esse et fore nuncies et declares, illudque observari mandes, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet ac opportuna, quantumlibet speciali et individuâ mentione digna, geras, facias et exequaris, ac executioni demandari cures, omni et quacumque etiam non frivolâ appellatione, reclamatione, recursu, nullitatis dictione, in integrum restitutione, aliisque remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis; nos enim tibi desuper plenam, amplam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus et impertimur.

Intimato monitorio, citationi non comparentes puniti.

§ 2. Volumus autem, quod, semel intimato tuo monitorio in valvis basilicae Principis Apostolorum, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac insuper in civitate Cornetana, ac oppido Civitatis Veteris, deinde contra non comparentes procedas, procedique mandes et iubeas per solam affixionem in eâdem acie Campi Florae, et monitorium ac citationes huiusmodi omnes et singulos, quos concernent, perinde afficiant, ac si essent in quolibet actu personaliter moniti, citati et intimati.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque imperialibus et municipalibus, stylo curiae, necnon dictae terrae Portus Herculis et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis terrae Portus Herculis huiusmodi, ac illius gubernatori, habitatoribus et incolis, et quibuslibet aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis formamque in illis traditam pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque;

Indulta praedicto Portui eiusque habitatoribus impertitur.

§ 4. Aut si terrae Portus Herculis, eiusque territorio, gubernatori, habitatoribus, incolis et personis quibuslibet, et aliis praedictis, communiter aut divisim, a Sede sit Apostolicâ, indultum, quod citari, seu in iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis, vel extra dictam terram Portus Herculis, seu loca suae habitationis evocari, et ad parendum alicui cogi vel compelli, aut quod excommunicari, suspendi et interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, expressam et individuam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet aliâ eius-

dem Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam praesentibus non insertam seu expressam effectus illarum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die XXIV ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXVII.

Mittit Iosephum a S. Maria Carmelitam Discalceatum ad provinciam Angamalensem, ut super recessu Thomae archidiaconi ecclesiae Angamalensis eiusque sequacium ab obedientiâ archiepiscopi, aliisque excessibus, informationes capiat et processus conficiat, cum diversis facultatibus[1].

Dilecto filio Iosepho a S. Maria Ordinis fratrum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Dat facultatem Iosepho Ordinis fratrum Discalceatorum processum conficiendi super excessus archidiaconi ecclesiae Angamalensis.

§ 1. Cum[2], sicut non sine gravi animi nostri molestiâ ad aures nostras pervenit, dilectus filius Thomas archidiaconus ecclesiae Angamalensis, seu Serrae, unà cum centum et quinquaginta millibus seu alio veriori numero christianorum illarum partium ab obedientiâ venerabilis fratris archiepiscopi Angamalensis recesserit, ac dignitatem episcopalem absque huius Sanctae Sedis auctoritate sibi arrogaverit, muniaque pastoralia inter eosdem christianos illegitime invalideque exercere praesumpserit et forsan praesumat; cumque per excessus huiusmodi et illorum occasione status eiusdem ecclesiae Angamalensis cum maximo christifidelium dictarum partium animarum periculo valdo perturbatus existat: nos, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore omnium ecclesiarum sollicitudine universique gregis dominici curâ[1], praedictorum excessuum informationem capi, ac perturbationes huiusmodi componi et sedari, tranquillitatemque eidem ecclesiae restitui, necnon memoratum Thomam eiusque sequaces ad eiusdem archiepiscopi obedientiam reduci cupientes, ac de tuâ fide, prudentiâ, rerum agendarum peritiâ, dexteritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus te unà cum duobus vel tribus sociis tibi placitis et gratis ad partes supradictas conferas, ac super omnibus et singulis praemissis veras facti informationes exactamque instructionem sumas et capias, ac processum seu processus desuper fabrices et conficias. Dantes tibi quamcumque necessariam et opportunam facultatem cum eodem Thoma, eiusque sequacibus clericis et laicis quibuslibet, libere et licite ac absque cuiusvis censurae vel poenae ecclesiasticae incursu, ubi et quando et toties quoties in Domino expedire iudicaveris, super eorum reductione ad praedicti archiepiscopi obedientiam communicandi et tractandi, ipsumque Thomam et eius sequaces ad obedientiam huiusmodi, quoties opus fuerit, respective auctoritate nostrâ apostolicâ reducendi, et, si hoc a te humiliter petierint, impositâ eis et eorum cuilibet poenitentiâ salutari, necnon recepto ab eis iuramento quod de cetero similia non perpetrabunt, a praedictorum excessuum reatu, a quibusvis excommunicationis, sus-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide supra pag. 111 huius tomi (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *operâ* pro *curâ* (R. T.).

2 Male ed. Main. leg. *restituti* pro *restitui* (R. T.).

pensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eos, et eorum quemlibet praemissorum occasione respective incursis, eâdem auctoritate absolvendi et plenarie liberandi, illisque et eorum cuilibet poenas huiusmodi gratiose remittendi et condonandi, ac eos et eorum quemlibet in pristinum et eum in quo ante praedictos excessus quomodolibet erant statum restituendi et plenarie reintegrandi, ac ad gremium sanctae matris Romanae Ecclesiae dictâ auctoritate recipiendi, aliaque ad id necessaria et opportuna agendi, faciendi et exequendi prout res ipsa exegerit; servatis tamen semper constitutionum apostolicarum et conciliorum generalium sacrorumque canonum dispositionibus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, memoratae Angamalensis, et aliarum quarumvis ecclesiarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXVIII.

Deputatio iudicis sacrae visitationis apostolicae.

Dilecto filio magistro Marco Antonio de Oddis, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, et maioris praesidentiae abbreviatori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae constitutionis.

Ut ea, quae in visitatione ecclesiarum almae Urbis a nobis seu S. R. E. cardinalibus in adiutores visitationis huiusmodi per nos specialiter assumptis salubriter decreta erunt, debitae executioni quamprimum demandentur, et controversiae illius occasione, praesertim inter personas ecclesiasticas quas litium dispendiis a Dei servitio avocari minime decet, ad nostram audientiam deducendae quanto citius terminentur,

Facultas procedendi in quibuscumque causis etiam criminalibus.

§ 1. Te, de cuius probitate et doctrinâ plurimum in Domino confidimus, iudicem causarum et executorem decretorum huiusmodi visitationis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus; dantes tibi plenam et liberam facultatem, quae a nobis et cardinalibus praedictis in eâdem visitatione decreta, statuta et ordinata erunt, exequi et observari faciendi, contra inobedientes, aut negligentes, necnon cuiuscumque criminis occasione dictae visitationis detectos reos et delinquentes, eorumque complices et fautores, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis, querelae, vel denunciationis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirent sanctiones, et aliâs nostro seu eorumdem cardinalium arbitrio, puniendi, ac tam super praemissis quam etiam alias

quascumque in eâdem visitatione, aut etiam antea, per nos tamen tibi etiam absque speciali commissione committendas causas ecclesiasticas vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas inter capitula, conventus, collegia, universitates, confraternitates eorumque superiores, ac singulares personas ecclesiasticas, seculares, vel cuiusvis ordinis etiam Mendicantium regulares, etiam exemptas et quovis privilegio vel immunitate suffultas, etiam nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, seu etiam inter laicos motas et movendas, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie, simpliciter et de plano, et aliàs ut praefertur, terminis substantialibus unico contextu vel etiam non servatis, sed, illorum loco, praefixo termino arbitrio tuo, et de eiusdem visitationis mandato procedendo, audiendi, ac fine debito terminandi, et ad hunc ceterorumque contingentium effectum quoscumque etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi et monendi, eisque ac quibusvis iudicibus et ceteris personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, tuo arbitrio moderandis et applicandis, inhibendi, contra inobedientes quoscumque censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones et monitoria etiam sub censuris et aliis poenis praedictis, ceterisque tibi benevisis remediis, omni et quacumque appellatione postpositâ, decernendi, omniaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, etiam quae expressionem requirerent magis specialem et sub generali concessione non venirent.

§ 2. Dummodo inconsultis nobis aut cardinalibus praedictis et nisi de eorum voto in aliquo praemissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas. *Iudex non procedat nisi de voto praefatorum S. R. E. cardinalium.*

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque etiam patriarchalium ecclesiarum, monasteriorum, domorum, ordinum, confraternitatum, archiconfraternitatum, congregationum et hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum illis eorumque superioribus et personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. *Contraria removet.*

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. 25 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXIX.

Pro eminentissimis dominis cardinalibus assumptis pro sacrâ visitatione apostolicâ facultas exercendi pontificalia[1].

Alexander Papa VII.

Venerabili fratri nostro Martio episcopo Albanensi Ginetto, necnon dilectis filiis nostris Ulderico S. Anastasiae Carpineo, Marco Antonio S. Mariae de Pace Franciotto, Francisco Angelo S. Caeciliae Rapacciolo, Nicolao S. Mariae Angelorum Ludovisio, Iacobo S. Mariae Transpontinae Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, et Giberto Ss. Ioannis et Pauli titulorum presbyteris S. R. E. cardinalibus Borromaeo respective nuncupatis.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabilis frater noster, ac dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Officii nostri est pastoralia munera, quae divinâ favento clementiâ administranda suscepimus, ea prompto hilarique animo prosequi; eos vero, quos in eisdem pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus et deputavimus, nostrae item mentis est opportunis facultatibus adhuc munire, ut illis suffulti incumbentia onera melius subire, et inceptum opus perficere quamprimum valeant.

Motiva. § 1. Cum itaque, occasione visitationis nostrae apostolicae, quam in universae almae Urbis eiusque districtus ecclesiis, monasteriis, locisque sacris et piis, proximis diebus indiximus, experientiâ comprobante cognoverimus aliquando necesse esse in compluribus eiusdem Urbis, ac illius districtus ecclesiis altaria consecrari, campanas, ornamenta, indumentaque ecclesiastica benedici, sacramenta ministrari, et alia pontificalia munia exerceri:

Cardinalibus visitatoribus amplam, ut consecrandi quemcumque facultatem elargitur. § 2. Illis ex vobis in eâdem visitatione adiutoribus per nos assumptis, qui consecrationis episcopalis munus susceperunt, et eorum cuilibet, plenam per praesentes concedimus facultatem, ut in quibuscumque tam intra eamdem Urbem, ac prope et extra illius muros, quam etiam intra eiusdem Urbis districtum sitis ecclesiis, etiam patriarchalibus, necnon monasteriis, prioratibus, domibus secularibus, seu cuiuscumque ordinis, Mendicantium vel non Mendicantium, militiae, congregationis, aut instituti regularibus, tam virorum quam mulierum, atque hospitalibus, oratoriis, sacellis, coemeteriis, locisque piis ac religiosis, tam exemptis nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectis, quam etiam non exemptis, et quibusvis etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli aut denominationis sui cardinalatus, aut aliàs quomodolibet etiam ex quavis causâ subiectis, altaria, ac ipsasmet[1] ecclesias consecrare, aut illa vel easdem ecclesias, aut illis annexas, reconciliare, seu etiam coemeteria, campanas, calices, patenas, cruces, indumenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque, et aquam, ut moris est, benedicere, sacramentum confirmationis, quod ex ritu in visitatione ministrari consuevit, quibus, ubi, quando et quoties illis seu cuilibet eorum expedire videbitur, ministrare; sacrosanctum quoque missae sacrificium, necnon vesperas et quaecumque alia divina officia, solemni ac pontificali ritu in ecclesiis et locis, in quibus illi id ad maiorem animarum consolationem spiritualemque profectum, et ad ipsam etiam quam intendimus reformationem inducendam pertinere iudicaverint, celebrare et decantare, verbi Dei praedicationes et conciones ad Dei amorem et timorem in cordibus fidelium excitandum et accendendum[2] publice ad clerum et populum, seu aliàs privatim, prout occasio et necessitas postulabit, habere, aliaque omnia et quaecumque munia pontificalia, etiam quae notam aut expressionem requirerent magis specialem, et sub generali huiusmodi concessione non comprehenduntur, etiam erga personas alioquin habiles et idoneas exercere, etiam nullo alio a nobis expectato aut requisito mandato, libere et licite valeant.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, dictarumque ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, militiarum, hospitalium, aut domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirma- Contraria tollit.

1 Ed. Main. legit *ipsaemet* pro *ipsasmet* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *accedendum* (R. T.).

tis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXX.

Pro eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus assumptis pro sacrâ visitatione apostolicâ facultas avocandi causas occasione visitationis pendentes, etc.

Alexander Papa VII,

Venerabili fratri nostro Martio episcopo Albanensi Ginetto, necnon dilectis filiis nostris Ulderico S. Anastasiae Carpineo, Marco Antonio S. Mariae de Pace Franciotto, Francisco Angelo Ludovisio, Iacobo S. Mariae Transpontinae Corrado, Laurentio S. Chrysogoni Imperiali, et Giberto Ss. Ioannis et Pauli titulorum presbyteris S. R. E. cardinalibus Borromeo respective nuncupatis.

Venerabilis frater noster, ac dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Ut in prosequendo visitationis ecclesiarum et piorum locorum huius almae Urbis nostrae munere, ad quod vos nominatim ex sacro venerabilium fratrum nostrorum collegio delegimus, causae occurrentes omni qua fieri potest celeritate, iustitiâ mediante, terminentur, quantum cum Domino possumus providere volentes:

Facultas avocandi, audiendi, etc. causas pendentes pro visitatione.

§ 1. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, vobis, ultra alias facultates per diversas nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras vobis attributas[1], ut omnes et singulas causas occasione visitationis huiusmodi coram quibuscumque iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, pendentes, et etiam instructas, in statu et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, ad vos auctoritate nostrâ avocare, illasque summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, et solâ facti veritate inspectâ, et manu regiâ audire, cognoscere, et fine debito, prout iuris fuerit, terminare;

Facultas ordinandi, statuendi quaecumque circa missarum celebrandarum numerum et alia pia legata.

§ 2. Praeterea, ubi contingerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato, seu cappellae, tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis missarum huiusmodi ad aliud altare seu altaria etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspectâ, statuere et ordinare, ut in eisdem altaribus commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, ita quod missae ad alia altaria huiusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis, celebratae, illis, pro quibus celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad altaria privilegiata, seu aliâs iuxta eorumdem defunctorum voluntates celebratae fuissent, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint quae magis specialem et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam et amplam facultatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum defunctorum etiam ultimis voluntatibus,

[1] Edit. Main. legit *ottributa* (R. T.).

quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, necnon nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. dia 26 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXXI.

Deputatio commissarii et fiscalis sacrae visitationis apostolicae.

Dilecto filio Tranquillo Nuncio, iuris utriusque doctori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Supplicatio. De tuâ singulari fide et diligentiâ plurimum in Domino confisi, te visitationis nostrae pastoralis universi cleri romani, ac omnium almae Urbis nostrae eiusque districtus ecclesiarum et monasteriorum, ac locorum et operum piorum, quam indiximus et iam per nosmetipsos obire coepimus, ac ad quam nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus adiutores nobis assumpsimus, commissarium et fiscalem, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus, praerogativis, privilegiis et iuribus, quae tale officium exercenti competere possunt et debent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, creamus, constituimus et deputamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Tu igitur in demandato tibi munere huiusmodi ita te gerere studeas, ut fidem et diligentiam nunquam a te desiderasse laetemur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXXII.

Committit nuncio apud imperatorem, ut ecclesiasticos regni Poloniae cogat ad tradendum utensilia aurea et argentea ecclesiarum eiusdem regni intra limites statuum patrimonialium imperatoris existentia, duobus saltem ex tribus episcopis in priori commissione a Sanctissimo super eâ re directâ nuncio Poloniae nominatis[1].

Venerabili fratri Scipioni archiepiscopo Pisanensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem illustrem in imperatorem electum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Emanarunt nuper a nobis litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet, *a tergo*: Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio: ***Intus vero***: Alexander Papa VII, etc. (***Omittitur tenor, quia illum invenies sub die primâ currentis, sup. pag.*** **103**).

Committit nuncio apud imperatorem ut cogat ecclesiasticos ad tradenda utensilia sacra nuncio Poloniae. § 2. Cum autem, sicut pariter accepimus, multa ex vasis et utensilibus praedictis intra fines Statuum patrimonialium carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis illustris in imperatorem electi translata sint, et supradicti Gnesnensis et Leopoliensis archiepiscopi ac episcopus Luceoriensis, quibus vasa et utensilia huiusmodi, ut praemittitur, tradi et consignari debent, nunc forsan insimul in Silesia aut alibi non reperiantur, sed in diversis regionibus respective versentur; cumque nonnulli regulares absque eorum superiorum licentiâ, seu aliarum excusationum praetextu, eorum vasa et

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

utensilia ad praescriptum praeinsertarum litterarum tradere recusent; nos, ne propterea earumdem litterarum executio ullatenus differatur aut retardetur providere volentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut omnes et singulas personas ecclesiasticas in praeinsertis litteris expressas seculares et regulares, etiam non petitâ aut obtentâ cuiusvis superioris mediati vel immediati regularium huiusmodi licentiâ, ac postpositis aliis quibusvis excusationibus et tergiversationibus, ad tradendum et consignandum memoratis Gnesnensi et Leopoliensi archiepiscopis, ac episcopo Luceoriensi, aut duobus saltem ex illis, seu, si illi insimul non reperiantur, aliis regni Poloniae episcopis, vel duobus ex illis per te arbitrio tuo quoties opus fuerit eligendis, quaecumque et qualiacumque aurea et argentea ecclesiarum et locorum piorum supradictorum vasa, candelabra, cruces, thuribula et alia utensilia intra fines statuum patrimonialium eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem electi existentia (calicibus et patenis, ac aliis sacrâ unctione delibutis dumtaxat exceptis), ad effectum superius expressum, ac servatâ in ceteris praeinsertarum litterarum formâ et dispositione, cogas et compellas; nos enim tibi desuper quamcumque necessariam et opportunam facultatem tribuimus et impartimur.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXXIII.

Nova commissio nuncio Poloniae super compulsione ecclesiasticorum ad tradendum utensilia ecclesiarum duobus saltem ex tribus episcopis in priori commissione nominatis[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Emanarunt nuper a nobis litterae in simili formâ Brevis tibi directae tenoris qui sequitur, videlicet, *a tergo*: Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nuncio; *intus vero*: Alexander PP. VII, etc. (*Reliqua omittuntur quia extant per extensum sub die primâ praesentis mensis sup. pag.* 103).

Commissio, et in rubrica. § 1. Cum autem, sicut pariter accepimus, supradicti Gnesnensis et Leopoliensis archiepiscopi ac episcopus[2] Luceoriensis, quibus vasa et utensilia huiusmodi, ut praemittitur, tradi et consignari debent, nunc forsan insimul in Silesia aut alibi non reperiantur, sed in diversis regionibus respective versentur, cumque nonnulli regulares absque eorum superiorum licentiâ, seu aliarum excusationum praetextu, eorum vasa et utensilia ad praescriptum praeinsertarum litterarum tradere recusent: nos, ne propterea earumdem litterarum executio ullatenus differatur aut retardetur providere volentes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, fraternitati tuae per praesentes committimus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *episcopi* (R. T.).

et mandamus, ut omnes et singulas personas ecclesiasticas in praeinsertis litteris expressas seculares et regulares, etiam non petitâ aut obtentâ cuiusvis superioris mediati vel immediati regularium huiusmodi licentiâ, ac postpositis aliis quibuscumque excusationibus et tergiversationibus, ad tradendum et consignandum memoratis Gnesnensi et Leopoliensi archiepiscopis ac episcopo Luceoriensi, aut duobus saltem ex illis, seu, si illi insimul non reperiantur, aliis regni Poloniae episcopis, vel duobus ex illis per te arbitrio tuo quoties opus fuerit eligendis quaecumque et qualiacumque aurea et argentea ecclesiarum et locorum piorum supradictorum vasa, candelabra, cruces, thuribula et alia utensilia (calicibus et patenis ac aliis sacrâ unctione delibutis dumtaxat exceptis), ad effectum superius expressum, ac servatâ in ceteris praeinsertarum litterarum formâ et dispositione, cogas et compellas; nos enim tibi desuper qoamcumque necessariam et opportunam facultatem denuo tribuimus et impertimur.

Contrariis derogat

§ 2. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sob annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 ianuarii 1656, pontif. anno I.

LXXXIV.

Hortatorium Thomae archidiacono Angamalensi occasione missionis Iosephi a S. Mariae Carmelitae Discalceati ad provinciam Angamalensem[1].

Dilecto filio Thomae, archidiacono ecclesiae Angamalensis seu Serrae, Alexander Papa VII.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Admonet Thomam archidiaconum ecclesiae Angamalensis ut ad saniora consilia revertatur.

§ 1. Ad aures nostras quorumdam relatione pervenit[1], ecclesiam Angamalensem ingentem excessu tuo passam esse scissuram. Fatemur nos hoc nuntio vehementer esse commotos, vix autem, imo nequaquam adduci posse, ut credamus te, quem quieti et unioni eiusdem ecclesiae ex incumbente tibi archidiaconatus munere tamquam archiepiscopi oculum omni studio intendere, et eiusdem archiepiscopi pastoris tui pro commisso sibi grege vigilantiam pro viribus adiuvare oportet, ita fuisse propriae salutis et existimationis immemorem, ut nedum tu ab obedientiâ illius temere recedere, sed etiam aliorum ingentem multitudinem ab eâdem distrahere damnabili praesumptione fueris ausus, multoque minus fidem praebemus vocibus, quibus spargitur, te absque huius sanctae Sedis Apostolicae auctoritate dignitatem episcopalem assumpsisse, muniaque pastoralia illegitime, invalideque inter innocentes populos administrare. Quoniam vero pro componendâ supradictae ecclesiae pace dilectum filium Iosephum a S. Maria, Ordinis fratrum Discalceatorum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo, virum gravem, ac praeclaris virtutibus praeditum ad illas partes duximus destinandum, visum est nobis pro paternae nostrae in te charitatis affectu, ac eâ qoam de animae tuae salute gerimus curâ, te praesentium serie in Domino hortari et sedulo monere, ut si (quod Deus avertat) verum sit quidquid de tuis excessibus nobis relatum est, tu ad saniora[2] consilia revertaris. Cogita, fili, nihil prodesse homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, neque quemquam sumere sibi honorem, nisi

[1] Vide de hac re supra pag. 111, 112; 125 (R. T.).

[2] Male edit. Main. legit *seniora* (R. T.).

qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Itaque si pravâ Satanae suggestione fortasse sublevavit te cor tuum, depone quae iniusto invalidoque titulo assumpsisse assereris, ut dignus veniâ censearis, et ad osculum pacis, ac in gremium sanctae Matris Ecclesiae, omnibus ad illud post excessus cum humilitate recurrentibus semper patens, recipi merearis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 februarii 1656, pontif. anno I.

LXXXV.

Commissio nuncio Poloniae contra eos, qui bona ecclesiastica a ministris regis Sveciae impetrarunt[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Landensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Amplam facultatem nuncio Poloniae contra excessus catholicorum impartitur.

§ 1. Pervenit ad aures nostras, non sine gravi animi nostri molestiâ, quod nonnulli catholici regni Poloniae bona ecclesiastica in eodem regno illiusque provinciis existentia, seu illorum administrationem, a ministris asserti regis Sveciae, qui praedictum regnum occupavit, petere et impetrare horrendae cupiditatis impulsu praesumpserint, censuras et poenas ecclesiasticas contra similium excessuum perpetratores a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis constitutas damnabiliter incurrendo. Quapropter nos, excessus huiusmodi, quatenus a catholicis praedictis commissi fuerint, impunitos minime relinqui volentes, fraternitati tuae, tametsi tu extra limites tuae nunciaturae resideas, causam et causas excessuum supradictorum a catholicis regni praedicti ecclesiasticis, secularibus et cuiusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti regularibus, ac laicis, cuiuscumque qualitatis, ordinis, status, conditionis, dignitatis, ecclesiasticae vel mundanae, et aliàs speciali notâ et expressione digni fuerint, commissorum, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, cognoscendam et cognoscendas, ac fine debito, prout iuris et constitutionum praedictarum fuerit, terminandam et terminandas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et delegamus; dantes tibi plenam et amplam facultatem contra catholicos praefatos excessuum huiusmodi culpabiles, etiam in vim facultatum tibi aliàs a Sede Apostolicâ concessarum, inquirendi et procedendi, ac inquisitiones et processus fabricandi et conficiendi, ipsosque etiam per edictum publicum, constito tamen tibi prius saltem summarie et extraiudicialiter et quantum tibi sufficere videbitur de non tuto accessu, citandi, necnon sententias, censuras et poenas ecclesiasticas in eos et eorum quemlibet, prout iuris et constitutionum apostolicarum huiusmodi fuerit, ferendi et publicandi, ac aggravandi et reaggravandi, auxilium brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, dicendi, gerendi et exequendi, ac exequi et observari faciendi.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinatio-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

nibus, necnon ecclesiarum, locorum, ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur espresse quod supradicti interdici, suspendi, excommunicari, seu in iudicium estra loca eorum residentiae vel aliàs quomodolibet evocari respective non possint vigore litterarum apostolicarum non facientium plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis et indultis huiusmodi mentionem; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 februarii 1656, pontif. anno I.

LXXXVI.

Commissio nuncio Poloniae ad fabricandum processum contra episcopum Samogitiensem, qui a partibus Svecorum haereticorum stare se asseritur declarasse, ac episcopatum Vilnensem a praetenso rege Sveciae impetrasse[1].

Venerabili fratri Petro, episcopo Laudensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum, sicut non sine maximâ animi nostri molestiâ nobis relatum est, venerabilis frater episcopus Samogitiensis, occasione praesentis occupationis regni Poloniae Svecorum haereticorum armis factae, a partibus eorumdem Svecorum haereticorum stare velle se declaraverit, ac ecclesiam seu episcopatum Vilnensem ab asserto rege Sveciae impetrare praesumpserit:

Ampla facultas nuncio Poloniae conficiendi processus contra episcopum Samogitiensem.

§ 2. Nos, delicta huiusmodi si et quatenus idem episcopus illa commisisse reperiatur, impunita minime relinqui, et propterea diligentem de illis informationem capi, processumque seu processus desuper confici volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, licet extra limites tuae enunciaturae resideas, nihilominus diligentem de praemissis cognitionem capias, et contra dictum episcopum Samogitiensem procedas, et processum seu processus fabrices et conficias, exactamque super iisdem praemissis facti informationem sumas, ac alia desuper necessaria et quomodolibet opportuna facias, geras, mandes et exequaris usque ad sententiam definitivam exclusive; nos enim tibi eumdem episcopum et quoscumque alios, quos opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito tamen tibi prius saltem summarie et extraiudicialiter et quantum tibi sufficere videbitur de non tuto accessu, citandi, et aliam quamcumque in praemissis necessariam et opportunam facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Processus confectos ad se transmitti mandat.

§ 3. Volumus autem, ut processum seu processus ac informationes, quos et quas earumdem vigore praesentium coeperis et fabricaveris, in formâ authenticâ sub tuo sigillo clausos et clausas ad nos quamprimum tuto transmittas, ut, quod in hoc

gravissimo negocio statuendum fuerit, maturâ deliberatione adhibitâ, decernamus.

Contraria reiicit. § 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 februarii 1656, pontif. anno I.

LXXXVII.

Hortatorium christianis, qui ab obedientiâ archiepiscopi Angamalensis recesserunt occasione missionis Iosephi a sanctâ Mariâ Carmelitae Discalceati ad illas partes[1].

Universis christifidelibus, qui unâ cum Thomâ archidiacono ecclesiae Angamalensis, seu Serrae, ab obedientiâ venerabilis fratris archiepiscopi Angamalensis recessisse asseruntur,

Alexander Papa VII,

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatur, ut in rubricâ. § 1. Percrebuit vos, Thomae archidiaconi ecclesiae Angamalensis seu Serrae temeritatem secutos, a venerabilis fratris archiepiscopi Angamalensis pastoris vestri obedientiâ recessisse. Explicare vobis non possumus, quanto fama haec nos affecit moerore, concepto potissimum ex consideratione discriminis in quo versatur salus animarum vestrarum, cum, extra caulam Domini balantes[1], Satanae, qui circuit quaerens quem devoret, continenter expositi sitis insidiis. Et quamvis nobis certo persuademus alienâ potius seductione et inconsultâ levitate, quam deliberato consilio vos eo erroris esse prolapsos, ac proinde speremus in Domino fore ut, quod a Patre luminum assiduis precibus flagitamus, discussis caelestis gratiae radio mentium vestrarum tenebris, in viam iustitiae, a qua misere aberratis, et ad pristinam eiusdem archiepiscopi obedientiam ultro revertamini; attamen, pro commissâ nobis ab aeterno Pastore vestrum et omnium fidelium curâ, vos harum serie sedulo monendos, et per viscera misericordiae Dei nostri obtestandos, vobisque apostolicâ auctoritate praecipiendum duximus, ut, relicto praefato Thoma, qui, arrogatâ sibi, absque huius Sanctae Sedis auctoritate, episcopali dignitate, partes pseudopastoris, ne dicamus lupi rapacis, inter vos agere perhibetur, ad verum et legitimum animarum vestrarum patrem et pastorem memoratum, videlicet archiepiscopum, sine cunctatione redeatis, ne praeeuntem caecum diutius inconsiderate sequentes contingat (quod absit) in foveam aeternae damnationis unâ cum duce ferri praecipites. Quoniam vero dilectus filius Iosephus a S. Mariâ Ordinis fratrum Discalceatorum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo, qui vobis has reddet, eo a nobis mittitur, ut statum praedictae ecclesiae Angamalensis discessione vestrâ turbatum componat; vobis mandamus, ut eum tamquam nostrum et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Absurde ed. Main. legit *palantes* (R. T.).

Sedis praedictae delegatum reverenter suscipiatis, eiusque salubribus monitis humiliter parere, ac ea quae vobis in executionem mandatorum iniunxerit, veluti obedientiae filii, prompte adimplere procuretis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1656, pontif. anno I.

LXXXVIII.

Hortatorium clero et populo Angamalensi occasione missionis Iosephi a S. Maria Carmelitae Discalceati ad provinciam Angamalensem[1].

Dilectis filiis clero et populo civitatis, dioecesis et provinciae Angamalensis,
Alexander Papa VII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatur clerum et populum Angamalensem, ut in obedientia erga archiepiscopum Angamalensem perseverent.

In gravissimo dolore, quo animum nostrum affecit relata nobis discessio Thomae archidiaconi ecclesiae Angamalensis seu Serrae ac ingentis aliorum numeri a venerabilis fratris archiepiscopi Angamalensis obedientiâ, grande solatium accepimus intelligentes vos, eiusdem Thomae temeritatem et ceterorum levitatem aspernatos, praedicto archiepiscopo patri vestro firmiter adhaesisse et adhaerere. Qua in re etsi quod veros christifideles et obedientiae filios decebat egeritis, summam tamen laudem meretur vestra in tam perniciosi exempli obiectu fides et constantia, plurimumque divinae bonitati debetis quae vobis eam mentem dedit, et per abundantiam gratiae suae vos a propinquâ contagione servavit incolumes. Porro cum pro componendo dissidio huiusmodi dilectum filium Iosephum a S. Maria Ordinis fratrum Discalceatorum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo, virum praeclaris virtutibus ornatum, ad illas partes mittere statuerimus, conceptam ex virtute vestrâ laetitiam eâ occasione harum serie testari voluimus, ac pro pastorali nostrâ sollicitudine vos paterne in Domino hortari, ut in laudabili vestrâ firmitate, ac in eiusdem archiepiscopi pastoris vestri obedientiâ, quae Deo gratior est omni victimâ, ut facitis, animose perseveretis, eosdemque archiepiscopum et Iosephum obsequiis et officiis vestris in sarciendâ Ecclesiae praedictâ scissurâ et procurandâ fratrum vestrorum a viâ iustitiae aberrantium reductione coadiuvare studeatis, inde aeternum a Deo praemium, a nobis vero et hac sanctâ Sede Apostolicâ uberem gratiam consecuturi.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1656, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

LXXXIX.

Hortatorium archiepiscopo Angamalensi occasione missionis Iosephi a S. Maria Carmelitae Discalceati ad provinciam Angamalensem[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Angamalensi,
Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatur archiepiscopum Angamalensem ut conetur reducere ad Ecclesiae gremium archidiaconum eiusdem ecclesiae.

Relatum est nobis dilectum filium Thomam archidiaconum istius ecclesiae Angamalensis, nescitur quo spiritu ductum, unâ cum ingenti christianorum numero ab obedientiâ tuâ recessisse, et, quod execrabilius est, dignitatem episcopalem sibi temere arrogasse. Pertulit* hinc nuntius[2]

* Sic.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ad marginem edit. Main. notat *sic;* at corrigendum videtur *Perculit hic nuntius* (R. T.).

vehementer animum nostrum et gravi molestiâ affecit. Quomodo enim non acriter commoveat paterna viscera tot animarum unius hominis ambitione misere seductarum iactura, et florentis isthic per Dei gratiam christianitatis perturbatio. Quoniam vero eiusmodi schismata temporis accessione vires acquirere consueverunt, ne et istud morâ invalescat, celeri remedio, pro eâ quam universis ecclesiis debemus sollicitudine, duximus providendum. Quamobrem mittimus eo cum nostris eâ super re mandatis dilectum filium Iosephum a S. Maria Ordinis fratrum Discalceatorum eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo, virum spectatae fidei et integritatis, praeclarisque animi dotibus et virtutum meritis decorum, quem confidimus a te pro tuâ erga nos et hanc Sanctam Sedem observantiâ benevole excepturum[1]. In ceterum fraternitatem tuam in Domino monemus et serio hortamur, ut, memor mansuetudinis Illius qui animam suam posuit pro ovibus suis, eas, quas a Deo curae tuae commissas zizaniorum sator diabolus abduxit, omni studio ad ovile Christi reducere coneris, et ad propria pascua redeuntes benigne suscipias, illisque ad cor reversis debitum per inobedientiam contractum paternâ charitate remittas. Ita et boni pastoris, qui amissam ovem quaerere suppositisque humeris ad caulam referre non dedignatur, et misericordis patris, qui filium poenitentem obviis ulnis in pristinum amoris sinum recepit, partes implebis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1656, pontif. anno I.

1 Vel *exceptum iri* pro *excepturum*, vel antea *te* pro *a te* legendum (R. T.).

XC.

Hortatorium capitulo ecclesiae Cocinensis occasione missionis Iosephi a sancta Maria Carmelitae Discalceati ad provinciam Angamalensem[1].

Dilectis filiis vicario capitulari ecclesiae Cocinensis illius Sede episcopali vacante legitime deputato, ac capitulo et canonicis eiusdem ecclesiae Cocinensis,

Alexander Papa VII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Capitulo ecclesiae Cocinensis commendat Iosephum Carmelitam Discalceatum.

§ 1. Cum, pro componendis ecclesiae Angamalensis Thomae archidiaconi eiusdem ecclesiae seu Serrae operâ, ut accepimus, turbatae[2], dissidiis[3], dilectum filium Iosephum a S. Maria fratrem Discalceatum Ordinis eiusdem S. Mariae de Monte Carmelo, virum virtutibus ac optimis qualitatibus praeditum, ad illas partes destinare decreverimus: hinc est quod nos dilectionem vestram praesentium tenore in Domino censuimus adhortandum, ut, pro nostrâ et Sedis Apostolicae reverentiâ, praedictum Iosephum ad vos divertentem benigne excipiatis, illique quodcumque opportunum auxilium et favorem praebeatis, et pro viribus assistatis, ut ipse consilio et ope vestrâ adiutus memoratae ecclesiae Angamalensis pacem et concordiam in executionem mandatorum nostrorum ad omnipotentis Dei laudem et dominici gregis salutem restituere, ac christifideles, alienâ seductione et inconsultâ levitate a venerabili fratre archiepiscopo Angamalensi eorum pastore distractos, ad eiusdem archiepiscopi obedientiam reducere Domino cooperante valeat. Implebitis eâ in re partes verorum Ecclesiae catholicae filiorum, nobisque gratissimum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main legit *turbata* (R. T.).

3 Male iterum eadem legit *dissidii* pro *dissidiis* (R. T.).

erit quidquid benevolentiae eidem Iosepho impendetis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1656, pontif. anno I.

XCI.

Facultas congregationi et iudici sacrae visitationis apostolicae standi simplici indicationi scripturarum, etc., et iudici procedendi absque voto congregationis usque ad sententiam, etc., exclusive.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Facultatem congregationi et iudici sacrae visitationis apostolicae standi simplici indicationi scripturarum, et iudici procedendi absque voto congregationis usque ad sententiam.

Aliàs nos nonnullos ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium collegio adiutores in munere pastoralis visitationis nostrae ecclesiarum et locorum ac operum piorum huius almae Urbis assumpsimus, ac illis inter alia facultatem faciendi in praemissis processus necessarios, aliaque omnia et singula, quae huiusmodi visitationis negotium, ulteriorem progressum, exequutionem et in eâ facta et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi; necnon omnes et singulas causas occasione dictae visitationis coram quibuscumque iudicibus tam ordinariis quam delegatis pendentes, et etiam instructas, ad se auctoritate nostrâ avocandi, illasque summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et manu regiâ, audiendi, cognoscendi et fine debito, prout iuris foret, terminandi concessimus; ac venerabilem fratrem Marcum Antonium de Oddis, nunc episcopum Hierapolitanum, iudicem causarum et executorem decretorum visitationis huiusmodi cum diversis facultatibus deputavimus, eâ lege ut, inconsultis nobis aut cardinalibus praedictis, et nisi de eorum voto, in aliquo non procederet, nec sententiam ferret, aut quidquam exequeretur, nec se in aliquo immisceret, et aliàs prout in diversis nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur [1].

§ 1. Nunc autem, celeriori causarum praedictarum expeditioni et partium dispendiis, quantum cum Domino possumus, opportune providere cupientes,

Marco Antonio amplam facultatem impartitur.

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, ut tam congregatio dictorum cardinalium per nos assumptorum, quam idem Marcus Antonius episcopus iudex et executor, ut praefertur, deputatus, in omnibus litibus et causis, quae coram ipsis respective in vim facultatum eis respective per litteras praedictas attributarum forsan motae sunt et in futurum movebuntur inter quascumque personas, tam ecclesiasticas quam laicas, seu ecclesiarum, piorum locorum et operum huiusmodi oeconomos, ministros et officiales, executores seu procuratores, quocumque nomine censeantur, pro et contra, simplici et nudae scripturarum ac iurium in tribunalium, seu archiviis, aut notariorum officiis eiusdem Urbis existentium indicationi, eorumque notis ac privatis copiis stare, et illis ad probationem eamdem fidem in iudicio adhibere possint, quam adhiberent, si illa in formâ publicâ et authenticâ forent transumpta, aut aliâs originaliter exhibita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus, statuimus et ordinamus. Necnon eidem Marco Antonio episcopo, iudici et executori, ut etiam inconsultis nobis seu cardinalibus

1 Quas vide ex ordine relatas sup. pag. 113, 120, 129 huius tomi (R. T.).

praedictis, et absque eorum voto, in causis supradictis usque ad sententiam definitivam aut decretum vim definitivae habens exclusive, servatâ in ceteris formâ et dispositione dictarum litterarum super eius deputatione huiusmodi emanatarum, procedere libere et licite valeat, facultatem tribuimus et impartimur.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus quomodolibet adversantur, praedictis nostris litteris, ac omnibus et singulis, quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 martii 1656, pontif. anno I.

XCII.

Erectio septem conventuum fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini in Germaniâ existentium in provinciam[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito ad ea propensis studiis intendimus, per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, Dei obsequiis sese manciparunt, statui et felici directioni consulitur, ut secundum Ordinum suorum instituta gratum Altissimo impendentes famulatum prosperioribus in dies in viâ Domini proficiant incrementis.

Erigit in provinciam septem conventuum fratrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii fratres Discalceati nuncupati per Germaniam constituti Ordinis Eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecerunt, ipsi capituli generalis eorum Ordinis de anno MDCLIII celebrati consensum obtinuerint, ut se a provinciâ Romanâ dicti Ordinis separare, et septem conventus eiusdem Ordinis in Germaniâ existentes in provinciam Ordinis huiusmodi erigi facere valerent, ad hoc ut expensas et difficultates longorum itinerum Romam capitulis generalibus Ordinis praedicti interveniendi ergo suscipiendorum evitarent, et ipsorum quieti ac felici gubernio prospiceretur: hinc est quod nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, habitoque consensu dilecti filii procuratoris generalis eiusdem Ordinis et totius capituli supradicti, et dummodo non adsit constitutio in contrarium, memoratos septem conventus a dictâ provinciâ Romanâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, separamus et dismembramus, ac illos, sic separatos et dismembratos, in novam provinciam Ordinis praedicti cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, indultis, privilegiis et gratiis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae frui et gaudere solent, ac possunt et debent, auctoritate et tenore praedictis erigimus et instituimus.

Praesentes litteras confirmat.

§ 2. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII[1] martii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 martii 1656, pontif. anno I.

XCIII.

Confirmatio statutorum Congregationis Reformatae monialium Ordinis sancti Benedicti sub denominatione Montis Calvarii regni Franciae[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Confirmat statuta monialium Ordinis S. Benedicti sub denominatione Montis Calvarii regni Franciae. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissae seu superiorissae congregationis reformatae Ordinis sancti Benedicti, vulgo *de Calvario* nuncupatae, regni Franciae, quod ipsae statuta pro felici dictae congregationis illiusque monasteriorum gubernio atque directione aliàs condita, et a diversis Romanis Pontificibus predecessoribus nostris, ut asseritur, approbata et confirmata, quo firmiora persistant, et ab omnibus arctius observentur, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderant. Nos, easdem[1] exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praedicta, dummodo tamen in usu ac licita sint et et honesta, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, dictique Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulas apponit et contrariis derogat. § 2. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper et perpetuo valida[2], firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse perpetuo observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter

1 Edit. Main. legit 37, forsan 31 vel 17 (R.T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *eaedem* pro *easdem* (R. T.).
2 Incohaerenter edit. Main. legit *validas* (R.T.).

contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI martii MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 martii 1656, pontif. anno I.

XCIV.

Relaxatio suspensionis pro episcopo Auximano ab exercitio pontificalium, si si quam incurrit ob exercitium pontificalium in ecclesiâ Ilcinensi post suam translationem[1].

Venerabili fratri Antonio episcopo Auximano, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Relaxat suspensionem pro episcopo Auximano ab exercitio pontificalium.

§ 1. Cum, sicut accepimus, postquam te a vinculo, quo ecclesiae Ilcinensi, cui tunc praeeras, tenebaris, absolventes, ad ecclesiam Auximanam tunc pastoris solatio destitutam transtulimus, tu absolutionis et translationis huiusmodi ignarus pontificalia in dictâ ecclesiâ Ilcinensi exercueris, et nonnullos dioecesis Ilcinensis ad ordines etiam sacros, aliàs tamen rite, promoveris; nos, pro singulari quo te in Domino prosequimur paternae charitatis affectu, statui tuo, ac per te, ut praefertur, promotorum, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, teque ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[2] fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, tibi suspensionem ab exercitio pontificalium, et a te promotis ab exercitio susceptorum ordinum, si quam propterea quomodolibet incurristis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, relaxamus; teque ac illos a quibuscumque aliis censuris et poenis ecclesiasticis, si quas propter praemissa forsan incurrisse dici, censeri, aut intelligi possetis, in utroque foro absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas vobis et vestrum cuilibet gratiose remittimus et condonamus, ac vobiscum super irregularitate, si quam sic suspensis[1] interdicta quomodolibet exercendo contraxistis, ad quemcumque effectum dispensamus, teque ac illos opportune rehabilitamus; necnon tibi, ut, quamdiu apud ecclesiam Ilcinensem resederis, pontificalia, ad[2] quamcumque iurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam episcopo, Ilcinensi pro tempore existenti competentem, in civitate et dioecesi Ilcinensi ac erga subditos iurisdictioni episcopi Ilcinensis exercere libere et licite possis et valeas, perinde ac si adhuc eidem ecclesiae Ilcinensi praeesses, facultatem concedimus et impertimur.

Contraria derogat.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Ilcinensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die V aprilis MDCLVI, pontificatus nostri anno I.

Dat. 5 aprilis 1656, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *absolutas* (R. T.).

1 Videtur potius legendum *suspensi* (R. T.).

2 Potius legerem *ac* pro *ad* (R. T.).

XCV.

Litterae processus SS. D. N. Alexandri Papae VII lectae die Coenae Domini, anno MDCLVI.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo[1], cum in omni cristianae reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ et conservandâ maxime elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitiâ hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo capite eiusque in terris vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificationem, atque ita divinâ gratiâ adiutrice sic praesentis vitae quiete gaudeant,[2] futurae quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices praedecessores nostri, hodiernâ die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes:

Excommunicat haereticos. I. Excomunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, quoscumque Hussitas, Wicklephitas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios et a christianâ fide apostatas, ac omnes ac singulos alios haereticos quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros, haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicae scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causâ, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos et eos qui se a nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt:

II. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, universitates vero, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus,[1] ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit:

Excommunicat cursarios. III. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursorios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, praecipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores et defensores:

1 Similes litteras vide Pauli V in tomo XI, pag. 617 et seq. relatas (R. T.).

2 Videtur deesse particula *ut* (R. T.).

1 Coniunctionem *et* importune intrusam hinc abiicimus (R. T.).

Excommunicat detrahentes aliquid a navibus dispersis aut iactatis.

IV. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui christianorum quorumcumque navibus tempestate seu in transversu (ut dici solet) iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus sive ex eisdem eiecta in mari vel in litore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in ceteris cuiuscumque maris regionibus et litoribus, surripuerit, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi et immemorabilis temporis possessionem seu alium quemcumque praetextum excusari possint:

Excommunicat gabellas imponentes vel augentes.

V. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in rebus sibi a iure seu ex speciali Sedis Apostolicae licentiâ permissis, imponunt vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt:

Excommunicat falsarios litterarum.

VI. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso publicantes litteras apostolicas etiam in formâ Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vicecancellarii, aut gerentium vices praedictorum:

Excommunicat opem ferentes Ecclesiae inimicis.

VII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas et alios christiani nominis hostes et inimicos vel haereticos per nostras sive huius sanctae Sedis sententias expresse et nominatim declaratos deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, calybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipso cannabe, quam aliâ quacumque materiâ, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant; necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus [1] christianae religionis inimicos, necnon haereticos, in damnum catholicae religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant; non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, principibus, rebuspublicis per nos et Sedem praedictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus:

Contraria tollit.

Excommunicat impedientes deferri necessaria ad curiam romanam.

VIII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu regali aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate:

Excommunicat iniuriam facientes Romam venientibus.

IX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes et recedentes ab eàdem, suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam a nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eâdem curiâ audent perpetrare:

Excommunicat invadentes peregrinos.

X. Item excommunicamus, anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, detinentes, capientes, seu depraedantes romipetas seu peregrinos ad Urbem causâ devotionis seu peregrinationis acceden-

[1] Praeposit. *in* praeter rem heic interiectam abolemus (R. T.).

tes et in eâ morantes vel ab ipsâ recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem:

Excommunicat invadentes S. R. E. cardinales, etc.

xi. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicae legatos, vel nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem:

Excommunicat hostes personarum recurrentium ad romanam curiam.

xii. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, ac illa in eâdem curiâ prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes, seu etiam auditores vel iudices super dictis causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant[1], seu qui, per se vel per alios, directe vel indirecte, delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint:

Excommunicat impedientes executionem mandatorum.

xiii. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, tam ecclesiasticos quam seculares cuiuscumque dignitatis, qui, praetexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine vel futurâ executione litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium et aliorum decretorum a nobis et a Sede praedictâ, seu legatis, nunciis, praesidentibus, palatii nostri et camerae apostolicae auditoribus, commissariis, aliisque iudicibus et delegatis apostolicis emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut aliàs, ad curias seculares et laicam potestatem recurrunt, et ab eâ, instante etiam fisci procuratore vel advocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta capi et retineri faciunt, quive illa simpliciter vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine exequutioni demandari, aut, ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum exequutione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores et subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, quive aliàs quibuscumque personis, in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dictâ Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere praesumunt:

Exemptiones, aut alia quaecumque ab auditoribus commissariisque Pontificis avocantes excommunicat;

xiv. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque, qui, per se vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum

1 Male edit. Main. legit *spoliat* (R. T.).

ac alias causas spirituales et spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumve[1] cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eis[2], contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum[3], vel exequutionem litterarum apostolicarum, seu exequutorialium processuum, ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem consilium aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolicâ legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint praesidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consiliarii ordinarii vel extraordinarii quorumcumque principum secularium, etiam imperiali, regali, ducali, vel aliâ quacumque praefulgeant dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii, seu vicarii fuerint;

Nec non trahentes ad tribunal laicum.

XV. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt, vel faciunt vel procurant directe, quovis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causâ et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet, fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris et dictae Sedis ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse, praeiudicatur;

Impedientes episcoporum auctoritatem, etc. excommunicat.

XVI. Necnon qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causâ directe vel indirecte carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines, aut aliàs, impediunt, quominus suâ iurisdictione ecclesiasticâ contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae et decreta conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui, post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut aliàs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias et alias curias seculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis et delegatis praedictis decerni et contra illos exequi procurant; eos quoque, qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in iisdem;

Iurisdictiones etc., usurpantes excommunicat.

XVII. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus, ad nos et Sedem

1 Videtur legendum *illarumve* (R. T.).

2 Ex loco parallelo tom. XI, pag. 621 *a*, legendum *eos* pro *eis* (R. T.).

3 Ex loco parall. addendum *vel aliàs compellunt* (R. T.).

Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione vel causâ, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ, sequestrant;

Imponentes onera personis ecclesiasticis absque expressa licentiâ anathematizat.

XVIII. Quive collectas, decimas, tallias, praestantias et alia onera clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumve fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus recipiunt; necnon qui, per se vel alios, directe vel indirecte, praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones et alii potentatus quicumque, etiam, regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquo modo praesidentes, consiliarii et senatores aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti; innovantes decreta super his per sacros canones tam in Lateranensi novissime celebrato quam aliis conciliis generalibus edita etiam cum censuris et poenis in eis contentis:

Quoscumque contra personas ecclesiasticas sese in causis capitalibus, et iudiciis sese interponentes excommunicat.

XIX. Item excommunicamus, anathematizamus omnes et quoscumque magistratus et iudices, notarios, scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo vel exequendo sine speciali, specificâ et expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ, ad personas et casus non expressos[1] extendunt[2], vel aliàs illâ perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati:

Excommunicat, qui vim inferre contendent Summi Pontificis imperio, ac provinciis.

XX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et maritimas provincias, illarumque terras, loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta; necnon supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt; necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes; volentes praesentes nostros processus, ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente

1 Male edit. Main. legit *expresso* (R. T.).

2 Lectio defectiva sequitur; legendum videtur *quique licentiam huiusmodi ad personas et casus non expressos extendunt* ut tom. XI, pag. 622 a (R. T.).

fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Sibi reservat absolutionem a praedictis sententiis.

XXI. Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis ecclesiasticis, secularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium ac militarium, regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos et dictam Sedem, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ in genere vel in specie concessorum et innovatorum, aut concedendorum et innovandorum.

Praedictis excommunicatis aliquod absolutionis beneficium impendere praesumentes excommunicat.

XXII. Quod si forte aliqui[1] contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate illaqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter, prout expedire noverimus, processuri.

Declarat quamcumque absolutionem praedictos excommunicatos non comprehendere nisi prius decreta et ordinationes revocaverint.

XXIII. Declarantes ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac, quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut praefertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari; quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam, in praemissis omnibus et singulis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae, ac S. R. E. undecumque et quandocumque quaesitis vel quaerendis, nullatenus praeiudicari posse aut debere.

Contraria tollit.

XXIV. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui seu aliquibus aliis, cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis a praedictâ Sede ex quavis causâ, etiam per viam contractus, aut remunerationis et sub quavis aliâ formâ et tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis; etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis et nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem; necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias, quominus includantur in eis, se iuvare valeant vel tueri.

1 Male edit. Main. legit *alicui* pro *aliqui* (R.T.).

xxv. Quae omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus et omnino revocamus, ceteraque contraria quaecumque.

Ad publicam notitiam praedictos processus pervenire, et in valvis ecclesiae affigi iubet.

xxvi. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut iis, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Patriarchis abbatibus, etc., praecipit, ut praesentes litteras et processus publicent.

xxvii. Insuper, ut processus et[1] praesentes litterae, ac omnia et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis, ubilibet constitutis, per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut, per se, vel per alium, vel alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, et[2], si expedire viderint, etiam pluries in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad christifidelium mentes reducant, nuncient et declarent.

Curam animarum exercentes praesentium litterarum transumptum penes se teneri iubet.

xxviii. Ceterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii et ecclesiarum praelati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri seculares et quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant.

Transumptorum fides.

xxix. Volentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo iudicis ordinarii Romanae curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Huic paginae contraveniens puniti.

xxx. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLVI, idibus aprilis, pontificatus nostri anno II[1].

Datum die 13 aprilis 1656, pontif. anno II.

XCVI.

Confirmatio erectionis Montis Pietatis civitatis Alexandrinae, provinciae Mediolanensis, cum indulto directoribus, ut, ratione rerum in ipso monte pro tempore depositarum, exigi possint duo scuta pro centenario [2].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii directores seu regulatores Mon-

1 Male edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *anno I* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tis Pietatis civitatis Alexandrinae, provinciae Mediolanensis, quod aliàs, cum nonnulli cives eiusdem civitatis, ut illius pauperum subventioni aliquatenus consulerent, et eos ab intolerabilibus usuris, quibus ab hebraeis illic commorantibus vexabantur, eximerent, summam quatuor millium scutorum monetae illarum partium, vel circiter, ut exinde Mons Pietatis ad eorumdem pauperum commoditatem instituerelur, praestitissent, venerabilis frater episcopus dictae civitatis Montem supradictum sub directione congregationis sexaginta primariorum eiusdem civitatis civium, cuius ipse episcopus caput esse deberet, erexit.

Confirmat erectionem Montis Pietatis in civitate Alexandrina provinciae Mediolanensis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro solutione salariorum ministrorum Montis huiusmodi, qui pignorum, librorum, aliarumque rerum ipsius Montis curam gerunt, necnon pensionis domus, ubi illa custodiuntur, aliquibus expensis opus sit, cumque, ne idem Mons diminuatur, impensas huiusmodi ab illis, qui pecunias a dicto Monte mutuas accipiunt, praestari oporteat; nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem praefati Montis Pietatis, ut praemittitur factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea quod de cetero, ratione rerum quas in dicto Monte pro tempore deponi contigerit, summa duorum scutorum pro quolibet centenario, si tantumdem pro solvendis impensis praefatis erit necessarium, percipi et exigi libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Monti in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Montis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 aprilis 1656, pontif. anno II.

XCVII.

Suppressio Congregationis canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Cum sit compertum Congregationem canonicorum regularium S. Spiritus Ve-

nctiarum, quae unum tantum habet monasterium redactum ad paucos canonicos regulares cum aliquibus hospitiis seu membris, a primaevo instituto penitus deviasse, ac in Ecclesiâ esse prorsus inutilem, nec spem ullam esse ut ad bonam frugem redigatur; hinc est quod nos, quibus, ex commissâ nobis divinitus agri dominici curâ, plantas inutiles ex illo extirpare providi patris-familias more incumbit,

Suppressio Congregationis canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum.

§ 1. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eamdem Congregationem canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum, unâ cum omnibus eius dignitatibus, officiis ac ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentiâ ac denominatione, tenore praesentium, perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus;

Omnia eiusdem Congregationis bona in opera pia conversa.

§ 2. Ac universa eiusdem Congregationis suppressae bona mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, monasterium ac hospitia seu membra huiusmodi, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existant, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et opera pia per eos, quibus id a nobis et Sede praedictâ commissum fuerit, convertenda, reservamus.

Summam pro victu personarum eiusdem Congregationis constituit.

§ 3. Praeterea personis dictae Congregationis suppressae, quae nunc vivunt et in eâdem Congregatione professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum, ubi eas pro[1] tempore morari contigerit, cum provisione earum singulis, pro victu et aliis necessariis, in summâ ducatorum centum monetae venetae currentis annis singulis donec vixerint, si aliunde sufficienter eis provisum non fuerit, super certis bonis aut redditibus Congregationis suppressae huiusmodi per dictos locorum Ordinarios assignandâ, tribuimus et impertimur.

Ecclesiis praedictae Congregationis cultum praestari iubet.

§ 4. Postremo ne ecclesiae Congregationis suppressae praedictae debito destituantur[1] servitio, sed sartae tectae custodiantur, iisdem Ordinariis locorum per praesentes committimus et mandamus, ut cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super certâ re de bonis praedictis assignandâ, per quos missarum et aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservetur; utque ipsi Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad dictam Congregationem suppressam spectantis accurate conficiant ac provideant, ne a quoquam occultari, occupari aut inde amoveri ullatenus possit, nisi et donec a nobis seu Sede praedictâ aliter provideatur.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod superiores et alii religiosi dictae Congregationis suppressae et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae et verificatae aut iustificatae ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato ac substantiali, sive etiam ex eo quod in iisdem praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante,

[1] Edit. Main. legit *quo* (R. T.).

[1] Male edit. Main. legit *destituatur* (R. T.).

etiam in corpore iuris clauso, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, oblatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, aliisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon Congregationis suppressae huiusmodi, eiusque monasterii ac hospitiorum seu membrorum et ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi, illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 aprilis 1656, pontif. anno II.

XCVIII.

Suppressio Ordinis fratrum Cruciferorum.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Vineam Domini, quae est eius Ecclesia, curae nostrae divinitus demandatam, omni studio et industriâ colere iugiter satagentes, muneris nostri esse arbitramur, ut vites ordinum religiosorum in eâ provide plantatas, quae primigenio regularis observantiae[1] vigore destitutae in steriles labruscas degenerarunt, ex illâ[2], more sedulí patrisfamilias, evellamus, prout, maturâ deliberatione praeviâ, conspicimus in eodem Domino salubriter expedire.

Causae huius suppressionis.

§ 1. Cum itaque iam pridem compertum sit Ordinem fratrum Cruciferorum nuncupatorum, in quo nonnisi quatuor monasteria supersunt, quia ex vigintiquinque monasteriis, quibus dictus Ordo in universum constabat, viginti et unum in vim constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri, quae incipit *Instaurandae*, suppressa fuerunt, et cuius fratres ad paucos sunt redacti, a primaevo eius instituto penitus deviasse, et in Ecclesiâ Dei penitus esse inutilem, nec spem ullam esse ut ad bonam frugem redigatur:

Ordinem fratrum Cruciferorum abolet ac supprimit.

§ 2. Idcirco, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictum Ordinem fratrum Cruciferorum nuncupatorum, unâ cum omnibus eius dignitatibus, officiis ac ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentiâ ac denominatione, tenore praesentium, perpetuo extinguimus, supprimimus et abolemus;

Bona huius Ordinis in opera pia convertit.

§ 3. Ac universa eiusdem Ordinis suppressi bona, mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existant, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et[1] opera pia per eos, quibus id a nobis et Sede praefatâ commissum fuerit, convertenda, reservamus.

Fratribus Cruciferis facultatem ad aliam religionem transeundi elargitur.

§ 4. Praeterea fratribus dicti Ordinis suppressi, qui nunc vivunt et in eodem Ordine professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis in summâ quadraginta scutorum monetae romanae annis singulis donec vixerint, si aliunde sufficienter eis provisum non fuerit, super certis bonis aut redditibus Ordinis suppressi huiusmodi per eosdem Ordinarios respective assignandâ, tribuimus et impertimur.

Ecclesiis praedictorum fratrum debitum cultum conservari iubet.

§ 5. Postremo, ne ecclesiae eiusdem Ordinis suppressi debito destituantur servitio, sed sartae tectae custodiantur, praedictis Ordinariis locorum, in quibus ecclesiae ipsae sunt sitae, per praesentes committimus et mandamus, ut cappellanos deputent, cum competenti mercede etiam super re certâ de bonis praedictis assignandâ, per quos missarum et aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservetur; utque dicti Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad Ordinem suppressum huiusmodi spectantis accurate conficiant, ac provideant ne a quoquam occultari, occupari aut inde amoveri ullatenus possit, nisi et donec a nobis seu Sede praedictâ aliter provideatur.

1 Male edit. Main. legit *observantia* (R. T.).
2 Male eadem edit. habet *ex illo more* (R. T.).

1 Coniunct *et* nos addimus, ut in Const praeced. (R. T.).

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod superiores et alii religiosi dicti suppressi Ordinis et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint[1], nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in iisdem praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, etiam in corpore iuris clauso, seu etiam enormis, enormissimae et totalis lesionis, quovis alio praetextu, occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare posse; sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria rejicit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, aliisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon dicti suppressi Ordinis eiusque conventuum et ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, religiosis et personis quibuslibet, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum speciali-

[1] Male edit. Main. legit *consenserit* (R. T.).

ter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 aprilis 1656, pontif. anno II.

XCIX.

Applicatio bonorum, in Statu Reipublicae Venetorum existentium, Ordinis Cruciferorum et Congregationis canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum et parvorum conventuum suppressorum eidem Reipublicae pro subsidio contra Turcas[1].

Venerabili fratri Carolo episcopo Aversano, nunc et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset suppressionem fratrum Cruciferorum et canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum

§ 1. Nuper nos, ex certis tunc expressis causis, Ordinem fratrum Cruciferorum nuncupatorum, in quo nonnisi quatuor monasteria supererant, quia ex vigintiquinque monasteriis, quibus dictus Ordo in universum constabat, viginti et unum in vim constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri, quae incipit *Instaurandae*, prius suppressa fuerant, necnon Congregationem canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum, quae unum tantum monasterium redactûm ad paucos canonicos regulares cum aliquot hospitiis sive membris habebat, unâ cum omnibus ipsorum Ordinis et Congregationis dignitatibus et officiis ac ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentiâ ac denominatione, extinximus, suppressimus et abolevimus, ac universa eorumdem Ordinis et Congregationis suppressorum respective bona mobilia et immobilia, tam sacra quam profana, conventus, monasterium[1], hospitia, seu membra, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, introitus et iura quaecumque, ubicumque locorum existerent, nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni in usus et opera pia per eos, quibus id a nobis et Sede praedictâ commissum foret, convertenda reservavimus.

Sequitur recensere praedictas constitutiones, ordines et determinationes.

§ 2. Praeterea fratribus Ordinis et personis Congregationis suppressorum huiusmodi, qui et quae tunc vivebant, et in eisdem Ordine seu Congregatione respective professionem emiserant, facultatem transeundi ad aliam quamcumque religionem ab eâdem Sede approbatam, in qua benevolos invenirent receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub iurisdictione et obedientiâ Ordinariorum locorum ubi eos morari contingeret, cum provisione eorumdem fratrum Ordinis suppressi praedicti singulis pro alimentis in summâ quadraginta scutorum monetae romanae super certis bonis aut redditibus ipsius Ordinis suppressi, personis vero dictae Congregationis suppressae pro victu et aliis necessariis in summâ ducatorum centum monetae venetae currentis singulis super certis bonis et redditibus eiusdem Congregationis suppressae respective annis singulis, donec viverent, seu aliunde suf-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Aptius lege *monasteria* (R. T.).

ficienter eis provisum non foret, per dictos Ordinarios assignandâ, tribuimus et impartiti sumus. Postremo, ne ecclesiae dictorum Ordinis et Congregationis suppressorum debito destituerentur servitio, sed sartae tectae custodirentur, iisdem Ordinariis locorum commisimus et mandavimus, ut cappellanos deputarent cum competenti mercede, etiam super certâ re de bonis praedictis respective assignandâ, per quos missarum et aliis oneribus satisfieret, ac ipsis ecclesiis debitus cultus et veneratio conservaretur: utque ipsi Ordinarii inventarium tam sacrae quam profanae suppellectilis ad Ordinem et Congregationem suppressos praedictos spectantis accurate conficerent ac providerent, ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus posset, nisi et donec a nobis seu Sede praedictâ aliter provideretur, et aliàs prout in binis nostris in simili formâ Brevis die XXVIII praesentis mensis aprilis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter espressis et verbatim insertis haberi volumus, uberius continetur[1].

§ 3. Ad haec aliàs, vigore memoratae constitutionis eiusdem Innocentii praedecessoris, in Statu Reipublicae Venetorum plures parvi conventus diversorum Ordinum et Congregationum tam Mendicantium quam non Mendicantium suppressi remanserunt, quorum bona nullis certis usibus hucusque applicata fuerunt.

Bona suppressorum regularium applicat in subsidium Venetae Reipublicae.

§ 4. Cum autem, sicut dilecti filii nobiles viri dux et Respublica praedicta Venetorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ab undecim annis citra bellum a Turcarum tyranno sibi illatum pro defensione suarum ditionum sustinuerint, nunc vero eiusdem Reipublicae facultates dicti belli occasione ita accisae sint, ut eidem bello imposterum propulsando non sint suffecturae, ac proinde manifestum immineat periculum, ne regnum Cretae christianum ab eodem tyranno penitus occupetur nisi dicta Respublica opportuno aliunde subsidio adiuvetur: hinc est quod nos, qui, pro commisso nobis a Domino curae pastoralis officio, omnibus viribus omnique studio assidue contendimus ut res christiana ab infidelium invasionibus defendatur et conservetur, Reipublicae praedictae de alicuius subventionis auxilio in praemissis providere, ipsosque ducem et Rempublicam pro paterno nostro erga eos affectu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula bona in Statu memoratae Reipublicae Venetorum (exceptis sacris) existentia, tam Ordinis fratrum Cruciferorum et Congregationis canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum, quam parvorum conventuum in eodem Statu consistentium ut praemittitur suppressorum, in subsidium memorati regni Cretae et expeditionis contra Turcas praedictos, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem praesentes committimus et mandamus, ut per te ipsum, vel per commissarios a te specialiter deputandos, bona huiusmodi quamprimum vendas (detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis religiosorum nunc viventium in Ordine et Congregatione suppressis praedictis iusta supradictas nostras litteras, quam pro servitio et manuten-

1 Utrasque habes antea relatas, pag. 149, et 152 huius tomi (R. T.).

tione ecclesiarum eorumdem Ordinis et Congregationis, necnon parvorum conventuum, atque onerum illis respective incumbentium supportatione), et pretium inde redactum deponi facias penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ita ut exinde extrahi minime possit nisi cum mandatis propriâ tuâ manu subscriptis cum expressione causae et usus in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro subsidio et expeditione antedictis.

Decretum irritans. § 5. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, neque sub quibusvis similium applicationum renovationibus, suspensionibus, limitationibus aut contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ per dictos ducem et Rempublicam eligendâ de novo concessas intelligi, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iisdem duci et Reipublicae, et aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit. § 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, necnon de exprimendo vero valore in similibus applicationibus illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac recolendae memoriae Pauli V et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et illarum alienationibus committendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac omnibus et singulis, quae in praedictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX[1] aprilis MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 aprilis 1656, pontif. anno II.

C.

Confirmatio, innovatio, declaratio et extensio constitutionum Bonifacii VIII et Gregorii XIII de datis et promissis pro iustitiâ vel gratiâ apud Sedem Apostolicam obtinendâ.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Inter gravissimas multiplicesque curas, quae ex debito pastoralis officii humilitati nostrae divinitus commissi nobis assidue incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut iustitiae et gratiae expeditiones, quae apud Sedem Apostolicam in dies obtinentur, eâ qua par est rectitudine peragantur, ne, pernicioso cuiusquam circa illas excessu, Romanae curiae existimatio ullatenus laedatur, sed ipsa curia in omnibus preclarâ semper splendeat laude integritatis, et abusus quicumque ab illâ procul arceantur. Quapropter operae pretium facturos nos existimamus, si ea, quae a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris simili consilio provide sancita sunt, ut in posterum Prooemium.

1 Male edit. Main. legit 19 (R. T.).

firmius observentur, innovemus, illaque declaremus et extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

Excommunicat dantes vel promittentes pro iustitia vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda.

§ 1. Dudum siquidem emanarunt a felicis recordationis Bonifacio VIII et Gregorio XIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris litterae tenoris qui sequitur, videlicet:

« Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, etc.[1]

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso pontificatus nostri principio, etc.[2]

Causae huius Constitutionis.

§ 2. Cum autem subinde variae vulgatae fuerint praedictarum Bonifacii et Gregorii praedecessorum constitutionum interpellationes[3], quarum aliquae ipsarum constitutionum rigorem non sine earum utilitatis diminutione et boni publici detrimento contra eorumdem praedecessorum mentem nimium relaxant: hinc est quod nos, omnem, quae circa praemissa in posterum enasci posset, dubitationem tollere, et quamcumque speciem, suspicionem et occasionem damnatae per constitutiones huiusmodi labis a curiâ praedictâ, quantum nobis ex alto conceditur, perpetuo excludere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem praeinsertas Bonifacii et Gregorii praedecessorum constitutiones, cum omnibus et singulis censuris et poenis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublatâ tamen revelandi obligatione), tenore praesentium, perpetuo confirmamus, innovamus et adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quoquo modo praetendi posset, restituimus et plenarie reintegramus.

1 Reliquum omittimus, quia legitur in tom. IV, pag. 126 (R. T.).

2 Reliquum habes in tom. VIII, pag. 105 (R. T.).

3 Videtur legendum *interpretationes* (R. T.).

Constitutiones praefatas extendit.

§ 3. Ac in iisdem constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur vel deponitur pro iustitiâ vel gratiâ, sive in spiritualibus sive in temporalibus et mixtis, apud Sedem praedictam et non solum ab ipso Romano Pontifice, verum etiam a quibuscumque eius ministris, iudicibus et officialibus, etiam episcopis et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et aliâ qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate et auctoritate praeditis et fungentibus, aut ab aliis gratiâ vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis seu affinitatis gradu quocumque coniunctis, seu attinentibus, etiam laicis, obtinendâ in almâ Urbe aut in alio quocumque loco in quo dictam curiam esse contigerit, comprehendi decernimus et declaramus.

Praeterea constitutiones huiusmodi non tantum in actionibus iure naturali et divino prohibitis, quia malae sunt, sed etiam in aliis, quae ideo malae sunt, quia iure humano et praedictis apostolicis constitutionibus ac praesenti nostrâ interdicuntur, locum habere;

Necnon mediatores, sive immediatos, sive mediatos, quotquot et quicumque sint et quavis dignitate, praeeminentiâ, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut praemissum est, polleant et praefulgeant;

Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes et receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem ac poenas evitari posse in casibus in quibus cesset suspicio mali;

Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum iustitiâ vel gratiâ quomodolibet impediendâ vel differendâ aliquid dant, recipiunt, vel deponunt, promittunt, seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio vel molestia quomodocumque inferri et resultare posset, et mediatores quoscumque immediatos sive mediatos;

Insuper quaecumque verba seu signa etiam aequivoca, quovis modo apta inducere quamcumque obligationem iustitiae aut fidelitatis io principali seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis vel gratitudinis, a constitutionibus supradictis prohiberi;

Quinimo non licere quicquam promittere, dare vel accipere quibuscumque iudicibus, ministris, officialibus, et aliis auctoritatem aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatoribus, pro defensione iuris quaesiti, sive assecutione quaerendi, etiam ad redimendam iniustam vexationem, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis decernimus pariter et declaramus.

Ad hoc dationes, promissiones et acceptiones pro guberniis vel aliis quibuscumque officiis et muneribus etiam minoribus obtinendis, sive pro unicâ vice, sive in singulos annos aut menses, vel aliter quomodocumque, a constitutionibus praedictis interdici, neque iudicibus, ministris ac officialibus pro gratiâ vel iustitiâ obtinendâ, etiam in his quae dependent ab eorum arbitrio et ad quae obligatione iustitiae non tenentur, quicquam dare aut promittere, nec ipsis accipere licere;

Neque etiam permissum esse officialibus vel ministris dictae Sedis in provisionibus, seu earum occasione, quorumcumque officiorum, etiam iurisdictionem vel eius exercitium annexum non habentium, imponere pensionem ullam, responsionem, praestationem, vel onus, seu partem aliquam commodi vel emolumenti ad sui vel alicuius alterius cuiuscumque favorem reservare, absque expressâ et speciali in singulis casibus nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ in scriptis in singulis casibus ab utrâque parte obtinendâ;

Insuper exigentes a partibus, vel aliis interesse habentibus, seu agentibus, ac mediatoribus quibuscumque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione quod iudicum, ministrorum, officialium, aut magnatum, seu aliorum quorumcumque operam, auctoritatem vel officia pretio vel muneribus aut promissionibus huiusmodi comparaverint seu quaesiverint;

Necnon pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licet pollicitatio, promissio et oblatio non fuerint acceptatae, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum;

Ac etiam illos, qui, ex eo quod gratias et favores ipsis ob familiaritatem, obsequia et servitia propriis dominis vel aliis praestita debitos, seu ab ipsis speratos[1], in aliorum cum propriâ eiusmodi iuris vel spei iacturâ commodum et beneficium transferunt, convertunt et impendunt pro gratiâ seu iustitiâ pro eis obtinendâ, aliquid recipiunt, sub memoratis constitutionibus contineri, illarumque poenis et censuris subiectos esse;

Pro actuali vero labore circa expeditionem impetratorum non licere officialibus, curialibus et aliis quibuscumque recipere, nec illis pollicere, promittere, vel cum eis pacisci nisi mercedem labori convenientem;

Iudicibus autem, officialibus et ministris quibuscumque, quibus incumbit expeditio gratiae vel iustitiae, minime permitti quidquam recipere, neque illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, ultra taxas praescriptas, etiam ratione celerioris aut facilioris expeditionis;

Quin etiam illicitum esse quidquam magnum vel parvum iudicibus ac ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ab ipsis recipere, mediate vel immediate, etiam

1 Male edit. Main. legit *separatos* pro *speratos* (R. T.).

quod eorum animum movere non possit, pro gratiâ vel iustitiâ obtinendâ;

Per scientiam seu patientiam Pontificis non derogatur his Constitutionibus.

§ 4. Demum supradictarum constitutionum dispositionem, censuras et poenas non censeri abolitas vel sublatas ob scientiam, patientiam seu tolerantiam Romani Pontificis, per quemcumque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentiâ vel indulto in unoquoque casu a singulis partibus in scriptis particulariter obtinendo fuerint expresse remissae, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore paribus decernimus, statuimus et declaramus.

Praefatasque constitutiones, ac censuras et poenas in eis contentas, ad omnes et singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus et ampliamus.

Declarat Constitutiones Bonifacii, Gregorii et Clementis.

§ 5. Praeterea easdem Bonifacii et Gregorii praedecessorum constitutiones per alteram piae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Pro commissâ*, anno Incarnationis Dominicae MDXCII, XVIII kalendas septembris editam[1], ad ceteras ditionis temporalis S. R. E. civitates et loca immediate subiecta (praeterquam quoad bona communitatum) minime extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi; sed eos quidem omnino comprehendere, qui, in aliis locis eiusdem Status Ecclesiastici et cuiusvis alterius partis mundi existentes, pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt, per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocumque, et qui ab eis recipiunt, contra dictarum constitutionum dispositionem, quicquam magnum vel parvum pro iustitiâ vel gratiâ apud Sedem praedictam obtinendâ, declaramus pariter et statuimus.

Omnes haec Constitutio comprehendit.

§ 6. Postremo, tametsi credamus et speramus in Domino nunquam eventurum, ut aliquis ex venerabilibus fratribus nostris episcopis, archiepiscopis, metropolitanis, primatibus et patriarchis, aut in quacumque aliâ etiam superiori ecclesiasticâ, quantumvis sublimi et speciali notâ dignâ, constitutis dignitate, in praemissis quoquo modo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eâdem curiâ abusibus quibuslibet abundare potius quam in aliquo deficere volumus, etiam episcopos, archiepiscopos, metropolitanos, primates ac patriarchas, ceterosque in quacumque aliâ etiam praedictis superiori, ac quantumvis sublimi et speciali notâ dignâ constitutos dignitate, etiamsi per nostras et cancellariae nostrae apostolicae regulas cautum sit, quod illi in constitutionibus per nos editis et edendis non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in praedictis constitutionibus, ut praemittitur, declaratis et extensis, ac in praesenti nostrâ quoad censuras comprehendi, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et[1] tenore similibus statuimus.

Esculenta et poculenta non includuntur.

§ 7. Porro xenia[2] solita, esculenta et poculenta, quae iudicibus, ministris et officialibus Romanae Curiae exhiberi consueverunt, praefatis praedecessorum nostrorum litteris ac praesentibus nostris minime prohibita fuisse nec prohiberi decernimus.

Constitutiones Pii V et aliae in suo robore conservat.

§ 8. Declarantes per praesentem nostram constitutionem non censeri abrogatam constitutionem similis recordationis Pii Papae V etiam praedecessoris nostri contra ambientes dignitates et officia iurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio seu promissione procurantes, quae incipit *Etsi Romani*, etc., nonis decembris, anno VI eius pontificatus emanatam[3], sed illam, ac ceteras ipsius Pii

1 Quam habes in tom. IX, pag. 595 (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. legit *Porroxenia* (R. T.).

3 Quam vide in tom. VII, pag. 949 (R. T.).

praedecessoris et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum quorumcumque constitutiones, ordinationes, canones et decreta in hac materiâ vel circa eam hactenus edita, ac nostram et cancellariae apostolicae regulam 67, qua statuimus ut officiales Romanae Curiae praedictae nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

Decretum irritans.

§ 9. Ac decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti, et alii quilibet, etiam speciali notâ et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae ullatenus fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel intentionis nostrae, seu interesse habentium et aliorum quorumcumque consensus defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam seu terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum ac declarationum et extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas esse et censeri, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis praedictis, et aliis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus et conditionis fuerint, perpetuo, inviolabiliter et inconcusse observari,

§ 10. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, necnon curiae et Urbis praefatarum iudices, officiales et ministros, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat

§ 11. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, et quod cardinales non comprehendantur sub regulis et constitutionibus editis et edendis, nisi in eisdem facta fuerit ipsorum expressa mentio, ac ceteris nostris et cancellariae praefatae regulis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon earumdem Urbis et curiae, ac illarum tribunalium quorumvis, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, motuumpropriorum cedulis, chirographis quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum manu subscriptis, ac litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium prae-

missorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio. § 12. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus innotescant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus ut illae, seu earum exemplum, ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac datariae nostrae et cancellariae praedictae, necnon in acie Campi Florae de eàdem Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, prout moris est, publicentur et affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatae fuissent;

Transumptorum fides. § 13. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 maii 1656, pontif. anno II.

1 Male edit. Main. legit ad marg. 5 (R. T.).

CI.

Confirmatio decreti, quod religiosi congregationis Hispaniarum fratrum Augustinianorum Discalceatorum Reformatorum, primo et secundo consanguinitatis gradibus invicem coniuncti, eodem tempore vocem habere nequeant in capitulo, etc. [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ea, quae pro religiosorum ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei ad illius laudem et gloriam provide sancteque institutorum felici directione ac gubernio ab eorum superioribus in capitulis generalibus facta et ordinata fuisse noscuntur, ut firma et illibata[2] persistant, libenter, cum nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum congregationis Hispaniarum nobis nuper exponi fecerunt, in eorum et dictae congregationis capitulo generali de anno MDCLIV celebrato statutum decretumque fuerit, quod dicti Ordinis et congregationis huiusmodi professores primo et secundo consanguinitatis gradibus invicem coniuncti vocem eodem tempore in eisdem capitulis habere minime possint, decretum vero huiusmodi pro maiori illius firmitate et subsistentiâ iidem exponentes apostolicae confirmationis robore communiri summopere desiderent; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Supplicatio.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi Confirmat decretum circa fratres Augusti-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Absurde edit. Main. legit *illi facta* pro *illibata* (R. T.).

nianos reformatos Hispaniae.

volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinali, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocils et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, decretum praedictum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes decretum praedictum praesentesque litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 maii 1656, pontif. an. II.

CII.

Confirmatio decreti regiminis civitatis Bononiensis, cum participatione et assensu legati factâ, ut in futurum nulli senatores dictae civitatis, qui vigesimum suae aetatis annum compleverint, et ad ponendum calculos habiles fuerint, ac bis in suâ regione pro electione vexilliferi iustitiae suffragium viderint, si ipsos ad munus vexilliferi huiusmodi eligi contingat, ab eodem munere sese eximere possint.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii regiminis civitatis nostrae Bononiensis, quod ipsi, rerum experientiâ variisque iustis servitium publicum concernentibus causis adducti, accedente ad id assensu et auctoritate dilecti filii nostri Ioannis Hieronymi tituli S. Honuphrii cardinalis Lomellini nuncupati, nostrae et Apostolicae Sedis in eâdem civitate eiusque comitatu de latere legati, decreverant, ut in posterum nemo ex senatoribus dictae civitatis, qui vigesimum suae aetatis annum expleverit, habilisque fuerit ad ponendum calculum, ac bis in suâ regione pro electione vexilliferi iustitiae suffragium viderit, ab eiusdem vexilliferi iustitiae munere, quandocumque electus remanserit, sese eximere valeat (iis tamen exceptis, in quorum litteris apostolicis in simili formâ Brevis super eorumdem deputationibus in senatores praedictae civi-

tatis expeditis continetur prohibitio aut facultas non obeundi praedictum munus vexilliferi nisi post aliquod praefixum eorum aetatis tempus), et aliàs, prout in decreto desuper emanato uberius asseritur contineri.

Decretum regiminis civitatis cum participatione et assensu legati.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, pro firmiori eius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, ab eisdem[1] exponentibus cum participatione et assensu Ioannis Hieronymi cardinalis legati supradicti, ut praefertur, factum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

[1] Male edit. Main. legit *eiusdem* pro *eisdem* (R. T.).

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, civitatis et regiminis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 maii 1656, pontif. anno II.

CIII.

Facultas magno magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani eligendi conservatores, qui non sint iudices synodales.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

Exordium.

Commissi nobis divinitus supremi apostolatus officii ratio postulat, ut, militiarum regularium contra christiani nominis hostes operam strenue impendentium paternam curam gerentes, illa eis nonnunquam favorabiliter concedamus, quae earum utilitatibus conducere in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii magnus magister et conventus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod, post publicationem constitutionis e felicis recordationis Gregorio Papae XV praedecessore nostro super electione et iurisdictione conservatorum

editae quae incipit *Sanctissimus*, eidem hospitali circa suorum privilegiorum et exemptionum conservationem notabilia damna semper illata fuerunt, quodque, habito propterea per dictum hospitale ad recolendae memoriae Urbanum Papam VIII praedecessorem pariter nostrum necnon ad congregationem tunc existentium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Concilii Tridentini interpretum recursu, emanavit ab eâdem congregatione decretum, a praedicto Urbano praedecessore subinde confirmatum, quo declaratum fuit dictam constitutionem Gregorii praedecessoris non afficere memoratum hospitale, nisi quoad iudices conservatores. Quapropter videretur factam fuisse differentiam inter iudices conservatores et meros conservatores (quos utrosque, videlicet iudices conservatores in locis ubi ipsius hospitalis tribunalia et iudices ordinarii causarum contentiosarum non existunt, conservatores vero meros, pro solâ defensione privilegiorum contra iniurias et violentias, ubi iudices ordinarii huiusmodi reperiuntur dictum hospitale habet);[1] praetensum est ab eodem hospitali, vigore dictae declarationis, meros conservatores huiusmodi in praedictâ Gregorii praedecessoris constitutione non comprehendi; contrarium asserentibus episcopis et aliis, qui privilegiis et exemptionibus praedicti hospitalis se opponunt. Unde variae super diversis eiusdem constitutionis articulis natae fuerunt et in dies nascuntur controversiae. Nonnulli siquidem volunt neque ab hospitali praedicto, neque ab ullo eius fratre eligi posse in conservatores nisi eos, qui ex iudicibus synodalibus per episcopos locorum respective deputati fuerint; quod praecipue in controversiis circa exemptiones contra ipsos episcopos exortis dicto hospitali perinde damnosum est ac si eosdem episcopos iudices habere cogeretur, attentâ dependentiâ et partialitate dictorum iudicum synodalium erga episcopos praedictos, qui eos elegerunt. Praeterea ab aliquibus similiter praetenditur conservatoribus praedictis licitum non esse in favorem dicti hospitalis eiusque fratrum iudicialiter procedere etiam in controversiis, quae ipsis cum personis secularibus, et quando actores existunt, intercedunt; unde iidem fratres forum rei sequi et coram iudicibus secularibus litigare coguntur, a quibus nunquam aut raro iustitiae complementum consequi possunt, cum tamen aliàs, quando conservatores praedicti vigore quarumdam litterarum piae memoriae Sixti Papae IV praedecessoris etiam nostri, per quas, ut dicti exponentes asserunt, iisdem conservatoribus facultas procedendi contra seculares iura hospitalis huiusmodi occupantes concessa fuit, lites illico magnâ cum hospitalis praedicti utilitate terminarentur. Ad haec nonnulli etiam asserunt dictos conservatores intra quinquennium continuum a die eorum electionis numerandum ab officio conservatoris huiusmodi removeri non posse; quod praeiudicium pariter hospitali praedicto affert, attentis urgentibus mutationum necessariarum occasionibus, quae in dies occurrunt. Quare iidem magnus magister et conventus nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultatem magno magistro concedit, ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, dictos magnum magistrum et conventum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si qui-

[1] Aptius adderentur coniunct. *et* (R. T.).

bus quomodolibet innodatus existit[1], ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod praedicto hospitali S. Ioannis Hierosolymitani eiusque fratribus liceat eligere et deputare in iudices conservatores personas ecclesiasticas (non tamen religiosas regulares) habentes qualitates praescriptas in constitutione similis recordationis Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri, quae incipit *Circumspecta Romani Pontificis providentia*, etc., sub datum Romae, kalendis iulii, anno Incarnationis Dominicae MDLX emanatâ, licet in conciliis provincialibus vel dioecesanis iuxta decretum Concilii Tridentini et constitutionem Gregorii praedecessoris huiusmodi iudices electi et designati non sint; quodque semel legitime electi et deputati, nisi ex legitimâ causâ a Sede Apostolicâ, aut locorum Ordinariis, prout eisdem fratribus libuerit, approbandâ, durante triennio a die deputationis amoveri aut mutari nullatenus possint aut valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus. In reliquis autem in eâdem constitutione Gregorii praedecessoris dispositis, illam servari mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac dicto hospitali, eiusque fratribus, et aliis quibusvis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus iisdem praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 maii 1656, pontif. anno II.

1 Aptius lege *innodatos existunt* (R. T.).

CIV.

Statuit ut capitula congregationis Thusciae et Lombardiae Ordinis Cisterciensium de quinquennio in quinquennium inposterum celebrentur.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro commisso nobis divinitus curae pastoralis officio congregationum regularium, in quibus religiosi viri vota sua Deo reddere satagunt, quieti et commodis libenter, cum a nobis petitur, consulimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores provinciarum congregationis Thusciae et Lombar-

diae Ordinis Cisterciensium, quod dilecti pariter filii definitores ultimi capituli generalis dictae congregationis de mense aprilis MDCLIV Ferrariae celebrati (mature consideratis gravibus expensis et incommodis, quae eadem congregatio ob frequentem eius capitulorum de triennio in triennium celebrationem patitur, perpensoque quod a sumptibus faciendis nunquam cessatur, quia primo et secundo annis celebrationem eorumdem capitulorum immediate sequentibus praeses et visitatores ipsius congregationis illam visitare consueverunt), praefatae congregationis quieti prospiciendi illamque ab expensis huiusmodi sublevandi ergo, in dicto ultimo capitulo, nemine discrepante, determinarunt ut exponentes praedicti ad Sedem Apostolicam recurrerent supplicaturi, ut celebrationem capitulorum dictae congregationis de quinquennio in quinquennium, visitationem vero eiusdem congregationis secundo et tertio annis post celebrationem capitulorum praefatorum respective fieri de cetero debere ab eâdem Sede ordinaretur. Quare ipsi exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, et omnibus per eosdem cardinales mature discussis, celebrationem capitulorum congregationis praedictae in posterum faciendam esse de quinquennio in quinquennium, quo elapso abbates non possint confirmari in eodem monasterio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon primodictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulfi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 maii 1656, pontificatus anno II.

CV.

Commissio episcopis Cataloniae, ut dioecesanos suos absolvant a censuris per eos incursis propter violationem iu-

risdictionis ac immunitatis et libertatis ecclesiasticae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod, praeteritorum principatus Cataloniae motuum occasione, multae personae eiusdem principatus cuiusvis conditionis propter violationem iurisdictionis ac immunitatis et libertatis ecclesiasticae in varias censuras et poenas ecclesiasticas incurrerunt.

Committit episcopis Cataloniae, ut dioecesanos absolvant a censuris. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Philippus rex eisdem personis de opportunae absolutionis beneficio per nos in praemissis provideri plurimum desideret: nos, qui[2] eiusdem Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilibus fratribus episcopis per memoratum principatum Cataloniae constitutis per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi quoscumque dioecesanos suos respective seculares et regulares utriusque sexus, cuiusvis status, ordinis et conditionis fuerint, si illi id ab ipsis respective humiliter petierint, impositâ illorum singulis ipsorum episcoporum arbitrio aliquâ poenitentiâ salutari, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas inter praeteritos principatus praedicti motus propter violationem iurisdictionis et immunitatis ac libertatis ecclesiasticae (non tamen ratione violationis clausurae monasteriorum monialium, ipsarum monialium, aut offensionis presbyteris, vel clericis illatae) quomodolibet incurrerunt, in utroque foro, auctoritate nostrâ apostolicâ, in formâ Ecclesiae consuetâ absolvant.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 maii 1656, pontif. anno II.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vox *qui* delenda (R. T.).

CVI.

Absolvit capitulum metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae ob recursus ad iudices laicos in causis rotalibus coram R. P. D. Cerro pendentibus[1],

Dilecto filio magistro Carolo Cerro, capellano nostro et causarum sacri palatii apostolici auditori,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae nobis expositum fuit, quod, pendentibus indecisis litibus et causis in sacro Rotae Romanae auditorio coram te super distributionibus quotidianis inter ipsos capitulum et canonicos ex unâ ac dilectos filios portionarios eiusdem ecclesiae partibus ex alterâ, necnon super nonnullis praetensis praeeminentiis et antiquâ praetensâ cathedralitate inter eosdem exponentes pariter ex unâ ac dilectos etiam filios capitulum et canonicos regulares collegiatae ecclesiae B. Mariae del Pilar nuncupatae partibus ex alterâ, praetenditur a nonnullis per eosdem exponentes non semel Supplicatio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sed pluries habitos fuisse recursus ad iudices laicos, quodque iidem exponentes, eâ de causâ censuris ecclesiasticis innodati, ac etiam aggravati et reaggravati ob non paritionem quibusdam litteris executorialibus rotalibus in lite et causâ cum ipsis portionariis relaxatis, interim missam et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint et sacramenta ecclesiastica administraverint, irregularitatem eapropter contrahendo. Quare nobis iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi de absolutionis beneficio et opportunae dispensationis gratiâ in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Absolvit capitulum ecclesiae Caesaraugustanae.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eosdem exponentes, illorumque singulos, si hoc a te humiliter petierint, impositâ ipsis et eorum cuilibet arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, renunciato prius per eosdem exponentes et eorum singulos quibusvis recursibus ad iudices laicos per eos seu eorum nomine in litibus et causis huiusmodi quomodolibet habitis et factis, âc sine litium et collitigantium huiusmodi praeiudicio, ac dummodo ipsi exponentes nullum ius de novo propterea acquirant, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, per eos praemissorum occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ apostolicâ absolvas et totaliter liberes, dictasque poenas illis et eorum singulis gratiose remittas et condones, ac cum eisdem exponentibus et eorum singulis super irregularitate, per eos, quia censuris huiusmodi sic ligati missam et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, ut praefertur, quomodolibet contractâ, ita quod illâ et eisdem[1] praemissis non obstantibus, si nullum aliud canonicum obsistat impedimentum, servatisque aliâs servandis, clericali charactere, quo aliâs rite insigniti fuerint, illiusque privilegiis, ac tam minoribus, quam etiam rite sacris et presbyteratus ordinibus uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, ac quilibet eorum possit et valeat, dictâ auctoritate dispenses.

Contraria tollit

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 maii 1656, pontif. anno II.

CVII.

Quod episcopi Italiae insularumque adiacentium ad synodos peragendas conveniant.

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Inter cetera, quae clare ac plane divinitus sacrosancti Tridentini Concilii patres lege sanxerunt, illud profecto cum primis fuit, ut singulos in annos episcopi synodos indicerent, haberentque, et suarum ecclesiarum loca diligenter obirent,

1 Edit. Main. legit *eiusdem* pro *eisdem* (R.T.).

ae sollicite partes omnes explorarent. Idque non sapienter minus constitutum, quam re atque usu frugiferum compertum est ac salutare. Cum enim eadem fere sit agrorum animorumque colendorum ratio, nisi hi episcoporum velut solertium agricolarum operâ, industriâque subinde renoventur exerceanturque, malis moribus et vitiis tamquam infelicibus herbis sentibusque squalere necesse est, atque obsolescere.

Admonet praeit su rubrica. § 1. Neque vero aliud quidquam est, quod iis quae recte atque utiliter statuuntur magnam aeque auctoritatem afferre possit et pondus, quam si ea communi simul omnium animo consilioque decernantur, sive quod gravius firmiusque videri debet quod multorum indicio consensuque receptum fuit, sive, quod caput est, non sine divinâ quadam approbatione fieri censendum est quidquid a pluribus rite in Christo convenientibus ad animarum salutem disciplinamque in posterum sanciendam constituitur. Quod cum optime ac perdiu olim intellectum in Ecclesiâ fuisset, illud iam usque a primis fere temporibus obtinuit, ac frequentibus deinceps conciliorum decretis celebratum fuit, ut semel atque iterum quotannis episcopi ad synodos peragendas convenirent. Ut enim erant in animarum custodiâ seduli ac minime conniventes, nihil esse in re tantâ nimium, nihil dictum aut inculcatum satis existimabant.

§ 2. Quod, si quantum veteres illi in sanctissimis legibus institutisque condendis studii atque operae adhibuerunt, tantum deinde posteri in his retinendis diligentiae posuissent, pulcherrimis profecto moribus christiana res staret, eâque fortasse feliciore ac laetiore longe uteremur. Verum his dissolutis, et ad nimiam licentiam incumbentibus, divino prorsus consilio factum esse existimandum est, ut his coërcendis adstringendisque antiquissimum concilia celebrandi et episcopalis visitationis institutum sacrosancta Tridentina Synodus revocaret, quod illud cum per se utilissimum, tum vero Christi ipsius et apostolorum exemplis in omni pene vetustate usurpatum esse intelligeret.

§ 3. Et sane, si pro lege habendum est, ac totis viribus et imitatione, quod quidem eniti possumus, contendendum eo est, quo Christus Dominus suis factis praeivit, ipsemet in Apostolorum Principe Ecclesiam collocaturus, summamque ei potestatem collaturus, nonnullam huius consuetudinis significationem dedit, ac veluti formam quamdam et modum adumbravit. Cum etenim primum suos singillatim discipulos sententiam, quaeque esset de se hominum opinio rogasset, tum Petro hanc Sedem, et celsissimam hanc, quam immeriti tenemus, dignitatem, par sane tantae voci et confessioni praemium, detulit. Ab illo eruditi deinde apostoli maximis saepe de rebus negotiisque nonnisi secundum plurium sententiam consiliumque decreverunt.

§ 4. Iidem vero, ut successores sui muneris ac praecipue visitationis admonerent, frequentes legationes peregrinationesque susceperunt, quae procul dubio et eo pertinent, ut hoc episcopis antiquissimum debere esse demonstrarent, quod unum prae ceteris eorum nomini officioque conveniret. Gentium autem magister ac doctor non satis habuit, qua per epistolas, qua suos per discipulos, quos Christo lucrifecerat, identidem adhortari; verum, ut aliquando inanes inter ipsos coortas discordias dissensionesque componeret, et gravissimum scelus admissum corriperet, mox atque iterum ad eos se venturum esse affirmavit.

§ 5. Ne quid vero remisse aut aliquâ cum tepiditate ab ipsis quandoque fieret, qualem se in tot laboribus atque itineribus praebuerit, suo palam exemplo do-

cuit; nam et se ab omnium sanguine mundum testatus est, non enim subterfugisse, quominus annunciaret omne consilium Dei, non aurum, non argentum, noo ullius vestem concupiisse, suas vero sibi manus quae tolerandae vitae opus erant suppeditasse.

Commendat episcopis animarum curam.

§ 6. His itaque auctoribus ac praeceptis admoniti, quod quidem a vobis, venerabiles fratres, egregie atque accurate fieri certum est, ecclesiarum creditarumque ovium curam totis viribus omnique animorum contentione suscipite, eas diligenter perlustrate, tum singuli, tum unà cum aliis simul, earum saluti atque incolumitati prospicite, sollicite hanc unam quaerite, hanc unam spectate, pro quâ supremus ille Paterfamilias Filio suo non pepercit, et cuius a nobis omnibus severissime rationes exposcet.

§ 7. Quod si tempus aliquando fuit, quo omnia intentioribus curis vigiliisque ab iis agi debeant qui speculatores constituti sunt domus Israel, hoc profecto est, cum tot malis concussa christiana respublica nonnisi a placato reconciliatoque Dei numine tantarum calamitatum finem aliquem sperare ac medelam potest. Nos sane, qui ex earum cogitatione conspectuque maiorem in dies animo dolorem capimus, ad eas sollicitudioes, quibus assidue detinemur, huius quoque Urbis visitationem adiecimus, ut quoniam hanc unam Christus Dominus tot amoris significationibus dilexisse visus est ex omnibus, plurimum aliis etiam, quod quidem in nobis esset, morum sanctitate ceteroque Dei cultu anteiret.

§ 8. Sed, quae est pietas ac virtus vestra, neque exemplis, neque hortationibus nostris locum relinquetis; hoc enim persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione synodorumque celebratione populorum saluti ac veteri disciplinae constituendae, nihil catholicorum principum paci a Deo impetrandae accomodatius esse; quo intermisso, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem ac peccandi licentiam facta est immutatio. Hoc, quod a vobis munere ipso officioque in primis exigitur, quod miserae afflictaeque christianae reipublicae rationes et discrimina quotidie magis efflagitant, per Christi nos misericordiam, in cuius ille visceribus plebem suam visitavit, ardenter petimus, et apostolicam benedictionem peramaoter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 maii 1656, pontif. anno II.

CVIII.

Confirmatio assignationis redditus sex millium florenorum per archiepiscopum Salisburgensem factae capitulo dictae ecclesiae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro commissâ nobis, supernâ dispositione consilii[2], omnium ecclesiarum sollicitudine, illis, quae pro maiori earumdem ecclesiarum praesertim metropolitanarum decore cultusque divini in eis augmento provide facta sunt, libenter, cum a nobis petitur, confirmationis apostolicae patrocinium adiungimus, prout rerum, locorum et personarum qualitate pensatâ coospicimus in Domino salubriter expedire.

Expositio fratris Guidobaldi archiepiscopi Salisburgensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Guidobaldus, archiepiscopus Salisburgensis, quod ipse (magno canonicorum ecclesiae Salisburgensis numero et natalium ipsorum canonicorum claritate, ac nonnullarum facultatum men-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *concilii* (R. T.).

sae capitularis dictae ecclesiae seminario Salisburgensi applicatarum defectu, necnon gravaminibus, in quibus iidem canonici pro defensione iurium archiepiscopalium ecclesiae huiusmodi concurrere solent, mature consideratis, ac inhaerendo destinatis ab eius praedecessore archiepiscopo etiam Salisburgensi quae ille morte praeventus executioni demandare non potuit) unum redditum annuum sex millium florenorum monetae illarum partium, ad mensas[1] seu cameram archiepiscopalem memoratae ecclesiae spectantem, praefatis canonicis et capitulo, seu mensae capitulari ecclesiae praedictae perpetuo assignavit, eo consilio ut tenuitati redditaum praebendarum dictae ecclesiae consulatur et numerus residentium apud eamdem ecclesiam canonicorum cum divini cultus incremento augeatur.

Confirmat assignationem sex millium florenorum factam capitulo ecclesiae Salisburgensis per archiepiscopum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Guidobaldus archiepiscopus, tametsi credat assignationem huiusmodi etiam in praeiudicium eius in praedictâ ecclesiâ successorum subsistere, illam nihilominus pro firmiori illius validitate apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, pium eiusdem Guidobaldi archiepiscopi pro divini cultus augmento affectum, quem in praemissis laudabiliter ostendit, plurimum in Domino commendantes, ipsumque Guidobaldum archiepiscopum necnon capitulum et canonicos praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Guidobaldi archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, assignationem praefatorum sex millium florenorum ad favorem canonicorum et capituli seu mensae capitularis huiusmodi factam, ut praefertur, eâ tamen lege, ut quidquid, ut praemittitur, assignatum est, in augmentum distributionum quotidianarum per canonicos ecclesiae praedictae lucrifieri solitarum[1] cedat, nec ulli canonici eiusdem ecclesiae, nisi qui divinis officiis in illâ interferunt, exinde quidquam percipiant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus ecclesiarum non alienandis, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de applicationum perpetuarum confirmationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo in illis vero valore, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon supradictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apo-

1 Videtur legendum *mensam* (R. T.).

1 Absurde edit. Main. legit *sollicitatum* pro *solitarum* (R. T.).

stolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 maii 1656, pontif. anno II.

CIX.

Confirmatio consuetudinis circa electionem officialium generalium Ordinis S. Basilii ad sexennium [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, ad ea libenter intendimus, per quae religiosorum ordinum in Ecclesiâ militante pie sancteque institutorum felici directioni opportune consuli arbitramur.

Confirmat consuetudinem circa electionem officialium generalium Ordinis sancti Basilii ad sexennium. § 1. Nuper siquidem dilectus filius procurator generalis monachorum Ordinis S. Benedicti nobis exponi fecit, quod, cum aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras de anno MDCXX emanatas, sub certis modo et formâ tunc expressis, statuerit, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus abbas generalis dicti Ordinis ad sexennium eligi deberet, universus ordo praedictus etiam alios illius officiales generales ad id sexennii tempus, iuxta consuetudinem a trigintaquinque annis citra semper in eodem Ordine observatam, eligi posse summopere desiderat. Idcirco nos, eiusdem Ordinis monachos, ipsiusque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, consuetudinem praedictam circa electionem officialium generalium Ordinis huiusmodi, per spatium trigintaquinque annorum observatam ut praefertur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 2. Decernentes praesentes litteras, firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ robo- Contraria reiicit.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

ratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus et monachis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 maii 1656, pontif. anno II.

CX.

Facultas Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi in Gallia condendi in suis capitulis generalibus statuta, etc.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. In his pastoralis officii nostri partes propensis studiis interponimus, per quae congregationum personarum ecclesiasticarum in militante Ecclesiâ, cui auctore Domino praesidemus, provide institutarum prospero statui et felici directioni opportune consuli arbitramur.

Facultas Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi condendi in suis capitulis generalibus statuta. § 2. Cum itaque, sicut dilecti filii Franciscus Bourgoing, praepositus generalis, ceterique presbyteri et clerici Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi nobis nuper exponi fecerunt, Congregatio praedicta, benedicente Domino, in regno Franciae, si alibi, latissime diffusa sit, experientia vero doceat nedum utile, verum etiam necessarium esse in omni congregatione et statu, ut, incommutatis semper manentibus legibus[1] fundamentalibus, nova interdum statuta condantur, mutentur, ac resumantur, prout rerum et temporum necessitas exigit, et propterea exponentes praedicti sibi per nos, ut infra, indulgeri summopere desiderent: hinc est quod nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium praepositorum negociis et consultationibus episcoporum et regularium consilio, attentis narratis, ut, illibatis permanentibus statutis dictae Congregationis iam a Sede Apostolicâ confirmatis, utpote eidem Congregationi essentialibus et fundamentalibus, ipsis Francisco moderno et pro tempore existentibus[2] praeposito generali ceterisque presbyteris et clericis dictae Congregationis liceat in suis capitulis generalibus pro bono et felici regimine ac directione ipsius Congregationis alia statuta, ordinationes et capitula edere, illaque cum opus fuerit revocare, resumere, immutare, corrigere, aliaque de novo condere, prout rerum et temporum qualitas exiget, quae tamen ad nullum peccatum obstringant[3], ac dummodo sacris canonibus, Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis a felicis recordationis Innocentio X praedecessore nostro in eiusdem Congre-

1 Edit. Main. legit *legis* pro *legibus* (R. T.).
2 Forsan aptius *existenti* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *obstringat* (R. T.).

gationis favorem et gratiam confirmatis, ac iurisdictioni episcoporum in ecclesias et personas eiusdem Congregationis minime adversentur, libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 iunii 1656, pontif. anno II.

CXI.

De numero monachorum professorum, qui existere debent in monasteriis congregationis reformatae del Tardon, *Ordinis sancti Basilii Magni.*

Venerabili fratri Camillo patriarchae Hierosolymitano, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniorum nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio.

Nomine[1] dilectorum filiorum monachorum provinciae reformatae in regnis Hispaniarum consistentis Ordinis S. Basilii nobis pro parte dilectorum pariter filiorum Matthaei a S. Didaco presbyteri, et Francisci a Iesu laici monasterii eremi del Tardon dictae provinciae monachorum[2], eiusdemque provinciae definitorum et procuratorum generalium in Romanâ Curiâ, nuper expositum fuit, quod in quadam concordiâ, aliâs inter duos procuratores, presbyterum unum et laicum alterum, eiusdemque[3] provinciae, cuius monachorum una pars presbyteri et duae laici existunt, Romae initâ, quam felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, inserto eisdem litteris toto et integro illius tenore, de anno MDCXLVI, ut dicti exponentes asserunt, confirmavit, inter alia stabilitum reperitur, quod praedictum *del Tordon* usque ad nonaginta, *de Galleguillos* vero nuncupata dictarum provinciarum monasteria usque ad octoginta monachos respective dumtaxat habere valeant; ac praeterea, quod adiutor seu coadiutor magistri novitiorum laicus existat; quodque in regulâ dictarum provinciarum a recolendae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore pariter nostro confirmatâ, cap. III, *de oratione et choro*, prohibetur ne novae devotiones in praeiudicium laboris manuum assumantur, et quadam constitutione a piae memoriae Paulo Papa V etiam praedecessore

1 Hanc desumimus ex tom. seq. ed. Main. (R. T.).
2 De huiusm. monasterio vide Const. CCCXXVIII Clementis VIII in tom. XI, pag. 39 (R. T.).
3 Videtur legendum *eiusdem* (R. T.).

nostro confirmatâ, cap. XXII, n. 1, mandatur, ut duo clavarii in quolibet monasterio eligantur; ac insuper in praedictâ concordiâ statuitur, quod definitor antiquior convocet quater in anno definitorium ad effectum audiendi causas recursum[1] contra abbatem provincialem et alios quoscumque; demum eiusdem Ordinis constitutione prohibetur, ne monachi retinere possint alia animalia, quam oves et capras.

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, subinde variae difficultates et incommoda exorta fuerint, ob quae praemissa reformari seu declarari expediat, et propterea exponentes praedicti, attento augmento redditnum et capacitate conventuum, ut in praedicto del Tardon usque ad nonaginta novem, in illo vero de Galleguillos monasteriis huiusmodi usque ad nonaginta monachos respective, servatâ in reliquis quoad sacerdotes et laicos formâ constitutionis dicti Ordinis et concordiae supradictae, habere possint, a nobis indulgeri; ac quod, infirmo vel impedito dicto magistro novitiorum, licitum sit abbati provinciali unâ cum definitorio circa concernentia spiritualitatem et iurisdictionem alium sacerdotem eligere et subrogare, firmo tamen semper coadiutore laico, qui eodem modo adiuvare et coadiuvare habeat, ac si verus magister esset praesens, declarari; utque qualibet die in choro litanias B. M. V. recitare valeant, concedi; necnon quod ex duobus clavariis huiusmodi unus sacerdos et alter laicus esse debeat etiam declarari; insuper dicto abbati provinciali ac superioribus, ne audeant quocumque praetextu impedire quominus statutâ die dictum definitorium convocetur, interdici; ac postremo ut ipsi monachi tot sues et scrofas, quot pro usu cuiuslibet monasterii necessarii fuerint et non ultra alere possint, indulgeri summopere desiderent:

§ 2. Nos, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, quibus preces suprascriptas examinandas remisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi servatis servandis de veritate expositorum, et quod huiusmodi petitio fiat a capitulo provinciali praedictae provinciae capitulariter et per vota secreta, iisdem monachis exponentibus, quod in praedicto conventu del Tardon habere possint monachos usque ad numerum nonagintanovem et in illo de Galleguillos usque ad numerum nonaginta, servatâ in reliquis formâ praedictarum litterarum eiusdem Innocentii praedecessoris, et praecipue quoad sacerdotes et laicos; ac praeterea, quod, si contingat[1] magistrum novitiorum aliquo gravi morbo vel alio canonico impedimento detineri quominus novitiis praeesse possit, tunc et tali casu deputetur per definitorium sacerdos necessariis praeditus requisitis qui suppleat vices magistri novitiorum, firmo tamen semper remanente coadiutore laico; quodque possint quotidie recitare in choro litanias B. M. Virginis, pulsatâ tamen salutatione angelicâ vespertinâ; ad haec, quod ex duobus clavariis in quolibet conventu iuxta constitutionem eligendis unus debeat esse sacerdos et alter laicus; insuper, quod definitori antiquiori, ad quem spectat con-

Exponentes a censuris absolvuntur.

1 Male edit. Main. legit *recursum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *contigat* (R. T.).

vocare quater in anno definitorium pro recursibus, licitum sit illud convocare congruis temporibus, nec provincialis id impedire valeat quovis praetextu sub poenâ privationis officii eo ipso incurrendâ; demum, quod ad usum mensae ipsorum monachorum, ipsisque inservientium, hospitum et eleemosynae dumtaxat, et non aliàs, et in locis omnino separatis a pascuis ovium et caprarum a constitutione permissarum, emere et alere possint tot sues et scrofas, quot iuxta eorum indigentiam, ac praedictorum mensae, inservientium, hospitum et eleemosynae usibus tantum noverint posse consumi, eâ lege adiectâ, ut nullo praetextu seu quaesito colore animalia aut carnes huiusmodi vendere, permutare, aut de eis et super eis quoslibet alios contractus inire possint, auctoritate nostrâ apostolicâ concedas, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, eiusque monasteriorum quorumcumque, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, etc., ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 2 iunii 1656, pontif. anno II.

CXII.

Prohibitio extrahendi extra conventum libros, quinterna et folia tam impressa quam manuscripta e bibliothecis conventuum fratrum Cappuccinorum, et aliò deferendi, exceptis praedicatoribus tempore quadragesimae [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Conservationi et manutentioni librorum bibliothecarum omnium et singulorum conventuum fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in quacumque mundi parte existentium, quantum cum Domino possumus, benigno consulere, ac dilectum filium modernum dicti Ordinis ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus dicti ministri generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet extractionem librorum e bibliothecis conventuum fratrum Cappuccinorum.

§ 1. Ne de cetero quisquam, quavis auctoritate, superioritate, seu officio fungens, libros, quinterna, folia, aut scripturas, tam impressa, quam manuscripta, tam hactenus per quoscumque christifideles dictis bibliothecis respective donata et assignata, quam in posterum forsan donanda et assignanda, quibusvis personis (practerquam fratribus dicti Ordinis, qui quidem libros a bibliothecis huiusmodi respective de superioris seu bibliothecarii pro tempore existentis licentiâ extrahere, et eis pro communi conventuum et particulari fratrum dicti Ordinis usu in suis cellulis, fratribus quoque eiusdem Ordinis verbum Dei praedicanti-

[1] Consimilem Constitutionem edidit pro his fratribus Urbanus VIII, Const. CXCVII (al. 170) tom. XIII, pag. 448, cum facultate superioribus commutandi libros inutiles per eorum syndicos.

bus, qui etiam extra suos conventus uti possint, sed finito usu huiusmodi, subito ad dictas bibliothecas respective sub infrascriptis poenis reportare omnino debeant) commodare, aut sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione aut occasione a dictis bibliothecis extrahere et asportare, seu ut commodentur, aut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et conventuum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 3. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis omnium et singularum bibliothecarum conventuum dicti Ordinis, seu alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat, quodque[1] praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 iunii 1656, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *quoque* (R. T.).

CXIII.

Commissio archiepiscopo Toletano, ut cathedras iuris civilis in universitate Complutensi instituat[1].

Venerabili fratri episcopo Toletano, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater[2], salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius rector collegii S. Ildephonsi universitatis studii generalis oppidi Compluti Toletanae dioecesis, quod dudum bonae memoriae Franciscus dum vixit S. R. E. cardinalis Ximenez nuncupatus, ecclesiae Toletanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, qui dictam universitatem apostolicâ auctoritate canonice erexit, inter alia quae edidit ipsius universitatis statuta, prohibuit, ne unquam in eâdem universitate cathedra iuris civilis institui possit, neque aliquo modo in eodem collegio ipsum ius civile legatur. Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in praedictâ universitate quadraginta sese[3] cathedrae ceterarum omnium scientiarum reperiantur, ipsaque universitas propter defectus cathedrarum iuris civilis huiusmodi completa non videatur; et propterea dictus rector cathedras eiusdem iuris civilis in dictâ universitate, non quidem ex facultatibus memorati Francisci cardinalis, sed aliorum particularium benefactorum, qui, ut idem rector asserit, id enixe desiderant, expensis institui summopere desideret; nobis propterea ipse rector humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem rectorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a Committit archiepiscopo Toletano, ut cathedras iuris civilis in universitate Complutensi instituat.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *fratri* (R. T.).
3 Forsan *sex* legendum pro *sese* (R. T.).

quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi de narratis, ex particularium benefactorum praedictorum, non autem eiusdem Francisci cardinalis, facultatibus, in praedictâ universitate Complutensi tot cathedras iuris civilis, quot expedire in Domino cognoveris, pro tot lectoribus seu professoribus eiusdem iuris civilis, qui omnibus et singulis privilegiis et indultis, etiam speciali notâ et expressione dignis, quibus aliarum scientiarum seu disciplinarum in dictâ universitate cathedratici professores de iure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolicâ, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libero et licite possint et valeant, sine cuiusquam praeiudicio, auctoritate nostrâ apostolicâ, erigas et instituas, utque de cetero ius civile in collegio supradicto legi libere pariter et licite valeat, eâdem auctoritate concedas et indulgeas.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum universitatis et collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 iunii 1656, pontif. anno II.

CXIV.

Committit nuncio Venetiarum, ut novem picturas Titiani opera, necnon organum unum ac tabernaculum pro sanctâ Eucharistiâ, aliaque supellectilia sacra ecclesiae Congregationis suppressae Canonicorum Regularium S. Spiritus Venetiarum ecclesiae S. Mariae Sanitatis Venetiarum, eius ornamento et decori deservitura, perpetuo applicet [1].

Venerabili fratri Carolo episcopo Aversano, nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliàs Congregationem canonicorum regularium S. Spiritus Venetiarum perpetuo extinximus et suppressimus, eiusque bona mobilia et immobilia tam sacra quam profana, et iura quaecumque nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni, in usus et opera pia per eos, quibus id a nobis et eâdem Sede commissum foret, convertenda, reservavimus; et subinde omnia et singula eiusdem Congregationis suppressae bona, in Statu Reipublicae Venetorum (exceptis sacris) existentia, in subsidium regni Cretae et expeditionis contra Turcas perpetuo applicavimus, ac tibi inter alia dedimus in mandatis, ut per te ipsum vel per commissarios a te specialiter depu-

Recensentur prout in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tandos bona huiusmodi quamprimum venderes, detractis tamen detrahendis tunc expressis, et pretium inde redactum deponi faceres penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam, ita ut exinde extrahi minime posset nisi cum mandatis propriâ tuâ manu subscriptis cum expressione causae et usus in quem pecunia foret eroganda, qui quidem usus non esset alius quam pro subsidio et expeditione antedictis; ac postmodum tibi commisimus, ut quatuor picturas Titiani nobilis dum vixit pictoris opera, necnon quaecumque suppellectilia aurea et argentea ecclesiae et monasterii Congregationis suppressae huiusmodi, ecclesiae S. Mariae Sanitatis nuncupatae Venetiarum, eius ornamento et decori deservitura, perpetuo applicares et appropriares; et aliàs, prout in ternis nostris in simili formâ Brevis die XXVIII et XXIX aprilis proxime praeteriti, ac primâ currentis mensis desuper respective expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

Committit nuncio Venetorum, ut picturas et alia suppellectilia Congregationis suppressae canonicorum regularium S. Spiritus ecclesiae S. Mariae Sanitatis applicet.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum eiusdem Reipublicae Venetorum nobis nuper expositum fuit, ultra praemissa in ecclesiâ Congregationis suppressae praedictae una alia similis, necnon octo minores per lucanar eiusdem ecclesiae dispersae picturae memorati Titiani pariter opera, ac insuper organum unum ac tabernaculum custodiendo sacrosancto Eucharistiae sacramento, aliaque suppellectilia sacra reperta fuerint, quae omnia inde removeri debebunt; cumque ipsi exponentes propterea illa dictae ecclesiae S. Mariae Sanitatis pro maiori illius ornamento et decore a nobis etiam applicari summopere desiderent: nos, eorumdem exponentium votis, quantum cum Domino possumus, in praemissis favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus novem picturas, necnon organum ac tabernaculum, aliaque suppellectilia sacra huiusmodi eidem ecclesiae S. Mariae Sanitatis, eius ornamento et decori deservitura, auctoritate nostrâ apostolicâ, perpetuo similiter applices et appropries.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus quomodolibet adversantur, praefatis nostris litteris, necnon omnibus et singulis quae in eis respective voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 iunii[1] 1656, pontif. anno II.

CXV.

Confirmatio erectionis quorumdam conventuum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ in Sclavoniâ constitutorum in novam custodiam[2].

**Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini meritis licet imparibus ineffabili divinae sapientiae consilio praepositi, illa, quae pro religiosorum virorum, sub suavi religionis iugo

[1] Duas priores vide supra pag. 149 et 154; tertia vero deest (R. T.).

[1] Edit. Main. ad marg. legit *maii* (R. T.).
[2] Ex Regest. in Secret. Brev.

vota sua Domino reddere satagentium, felici directione provide facta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis munimine roboramus, prout in eodem Domino conspicimus salubriter expedire.

Recenset erectionem quorumdam conventuum sancti Francisci de Observantia in Sclavonia in novam custodiam

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Lucius a S. Iusto, commissarius generalis curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliàs, postquam congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, Zagabriensem, Varasdiensem, Ormusdiensem, Crisiensem, Remeticensem, Iuariensem et Craprinensem conventus Ordinis praedicti in Sclavoniâ constitutos, necnon monasterium Sanctissimae Trinitatis Zagabriensis monialium Ordinis subiectum, in novam custodiam ad praescriptum constitutionum Ordinis huiusmodi, cum praerogativis, titulis et praecedentiis consuetis, erigi mandaverat[1], dilectus pariter filius Paulus de Tauris, frater expresse professus provinciae Austriae dicti Ordinis, vigore mandati sibi super hoc a dilecto etiam filio Sebastiano a Caieta, cismontanae familiae Ordinis praedicti commissario generali, dati, septem conventus ac monasterium huiusmodi, praeviâ illorum separatione a provinciâ Hungariae eiusdem Ordinis, in novam custodiam saepedicti Ordinis iuxta dispositionem decreti dictae congregationis super praemissis emanati erexit.

Confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Lucius erectionem huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, eumdem Lucium commissarium generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter inclinati, erectionem supradictam septem conventuum ac monasterii[1] in novam custodiam Ordinis praedicti, a memorato Paulo, ut praefertur, factam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum[2] et provinciae, ac conventuum et monasterii[3] huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice

1 Edit. Main. legit *mandaverant* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *monasteriis* (R. T.).
2 Videtur legendum *Ordinis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *monasteriis* (R. T.).

dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 iunii 1656, pontif. anno II.

CXVI.

Declaratio quod ob praetermissam a Republicâ Venetâ nominationem personarum iuxta concessionem Iulii III in coadiutoriâ et provisione ecclesiae Aquileiensis, et non factam a Suâ Sanctitate in litteris de concessione huiusmodi mentionem, nullum eidem Reipublicae praeiudicium in praescriptâ concessione generatum sit, nec in posterum generetur[1].

Dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum,

Alexander Papa VII.

Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Nullum Venetae Reipublicae detrimentum illatum ob praetermissam personarum nominationem declarat.

§ 1. Cum nos nuper dilectum filium Ioannem Delphinum electum Tagastensem nobilem Venetum, singulari pietate, doctrinâ et prudentiâ praeditum, venerabili fratri Hieronymo patriarchae Aquileiensi, quoad viveret et ecclesiae patriarchali Aquileiensi praeesset, in coadiutorem perpetuum et irrevocabilem cum futurâ successione in regimine et administratione dictae ecclesiae Aquileiensis deputaverimus, dictoque Hieronymo patriarchâ cedente vel decedente, et ipsâ ecclesiâ quovis modo vacante, de personâ ipsius Ioannis ecclesiae Aquileiensi praedictae apostolicâ auctoritate providerimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris plenius continetur; vosque, sicut nobis exponi fecistis, dubitetis (cum vos ante dictam deputationem et provisionem per nos, ut praefertur, factam, iuxta felicis recordationis Iulii Papae III praedecessoris nostri concessionem de certâ personarum nominatione, dum ecclesia Aquileiensis pro tempore vacat, Romano Pontifici faciendâ vobis dudum factam, certas personas non nominaveritis, nec nos etiam de huiusmodi concessione aliquam in eâdem deputatione et provisione mentionem fecerimus) propterea vobis quoad facultatem faciendi dictam nominationem aliquod praeiudicium illatum esse, aut inferri posse: nos, vestris hac in parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus ob nominationem huiusmodi personarum a vobis praetermissam, et ob non factam a nobis in praedictis sub die XXIII praesentis[1] mensis iunii expeditis litteris nostris coadiutoriae et provisionis praedictarum de praedictâ concessione mentionem, nullum vobis praeiudicium in praefatâ concessione generatum hactenus fuisse, nec in posterum generari debere.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; praemissis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 iunii 1656, pontif. anno II.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Edit. Main. legit *praetensis* pro *praesentis* (R. T.).

CXVII.

Confirmatio decreti sacrae congregationis rituum super deductione cadaverum ad ecclesias regularium a parochis secularibus faciendâ[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hyacinthus Ibaigez, ecclesiarum Hispaniarum in Romanâ curiâ agens, quod a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum editum fuit ad favorem cleri Hispaniarum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Expositio.

§ 2. « Emanavit a sacrâ rituum congregatione decretum die XX iunii MDCLIV, quo declaratum extitit a regularibus nullatenus prohiberi potuisse parochis secularibus, cadavera deducentibus ad ecclesias eorumdem regularium, ingressum cum stolâ et cruce ad ecclesias praedictas; novissime autem insteterant parochi seculares declarari, num[2] decretum huiusmodi intelligendum de eorum ingressu usque ad locum, in quo defuncti cadaver collocatur. Et sacra congregatio affirmative respondit, dummodo tamen parochi statim discedant e loco praedicto, et ad propria revertantur, liberum absolutionis caeremoniae a regularibus peragendae locum illico dimittentes. Ac ita sacra rituum congregatio servari mandavit, die X iunii MDCLVI.

Cardinalis SACCHETTUS, episcopus Sabinensis.

FRANCISCUS MARIA PHEBEUS, sacrae congregationis secretarius ».

Confirmat decretum sacrae congregationis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Hiacynthus decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, eumdem Hiacynthum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ semper in praemissis auctoritate dictae congregationis.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 5. Quocirca dilecto filio, nunc et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte cleri praedicti eiosque personarum quarumvis in praemissis interesse habentium fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in iisdem praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ eumdem clerum eiusque personas huius- Contradictores puniti.

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

[2] Male edit. Main. legit *cum* pro *num* (R. T.).

modi praemissorum omnium et singulorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, illaque ab omnibus, ad quos spectabit, inconcusse observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, instituti, provinciae, monasterii, conventus, collegii, seu loci regularis, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fidei. § 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticà dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 iulii 1656, pontif. anno II.

CXVIII.

Mandat servari Breve Urbani VIII confirmatorium divisionis provinciae Franciae S. Ivonis congregationis Galliae Tertii Ordinis sancti Francisci de poenitentià *nuncupati in duas nempe S. Francisci et S. Ivonis provincias, ac fratribus Parisinis eiusdem provinciae aliisque omnibus provinciae S. Francisci perpetuum silentium imponit etc.*[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Recensentur ut in rubrica. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hiacynthus Novicastrensis, procurator provinciae S. Ivonis congregationis Galliae Tertii Ordinis sancti Francisci *de poenitentià* nuncupati, quod dudum (postquam dilectus pariter filius Ioannes de la Haye, Ordinis fratrum Minorum eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantià nuncupatorum professor, a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro per suas in simili formà Brevis die XI aprilis MDCXL expeditas litteras in commissarium apostolicum ad praesidendum capitulo generali congregationis praedictae, necnon provinciam Franciae eiusdem congregationis in duas, praefixis utrique finibus et terminis, absque ullà domorum secularium confusione dividendum, aliaque in praedictis litteris expressa praestandam deputatus, in earumdem litterarum executionem, ac de consensu omnium dictae congregationis superiorum maiorum, dictam provinciam Franciae in duas unam S. Francisci et alteram provincias S. Ivonis respective nuncupandas diviserat, ac utrique earumdem provinciarum suos fines et terminos praefixerat, necnon ex viginti quinque fratrum et duobus monialium conventibus, quibus dicta

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

provincia Franciae priusquam divideretur constabat, provinciae praedictae S. Francisci tredecim fratrum, duos quidem extra muros Parisienses et reliquos in diversis Franciae et Lotharingiae partibus existentes conventus, cum monasterio monialium S. Elisabethae oppidi Nancaei; provinciae vero S. Ivonis huiusmodi duodecim etiam fratrum conventus, nempe decem in Normandiae partibus, alterum in oppido de Movii territorii Bellovacensis, et alterum Parisiis S. Mariae de Nazareth dictum consistentes, unà cum vicino monasterio S. Elisabethae etiam nuncupato monialium congregationis huiusmodi respective assignaverat, aliaque praestiterat et ordinaverat, prout in eius decreto die XXI iunii MDCXL confecto uberius dicitur contineri), appellatione per dilectos filios, patres provinciarum S. Francisci ac Ss. Ludovici et Eleazari congregationis praedictae, ad Sedem Apostolicam interpositâ, idem Urbanus praedecessor divisionem memoratae provinciae Franciae, sive S. Francisci, in duas provincias, ut praefertur, factam per alias suas in simili etiam formâ Brevis die XXII ianuarii MDCXLI expeditas litteras sub certis modo et formâ tunc expressis confirmavit et approbavit.

Mandat servari litteras praedecessoris sui emanatas super confirmatione divisionis provinciarum S. Francisci, etc.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, appellantes praedicti quasi continuis litigiis dilectos pariter filios fratres dictae provinciae S. Ivonis ad effectum distrahendi ab eâdem provinciâ S. Ivonis dictos duos conventus de Movii et de Nazareth illi assignatos hactenus turbaverint, et novissime apud Sedem praefatam pro revisione secundodictarum litterarum Urbani praedecessoris institerint, praetendentes quod dicti conventus contra fundatorum intentionem provinciae S. Ivonis huiusmodi adscripti essent, et divisio praedicta ab eodem Ioanne commissario contra terminos commissionis suae cum confusione conventuum facta fuisset, quodque de eâ sic faciendâ superiores dictae congregationis vi et metu ante concordassent, et eaedem litterae Urbani praedecessoris confirmatoriae divisionis huiusmodi, ipsis minime auditis et ab almâ Urbe repulsis, sub falsi et non veri procuratoris generalis dictae congregationis nomine emanassent; cumque dictus Hiacynthus propterea opportune a nobis in praemissis provideri[1] summopere desideret: nos, ipsum Hyacinthum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui in negotio ipsorum fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci provinciae Franciae super confirmatione divisionis provinciarum partes audiverunt, omniaque viderunt et mature discusserunt atque considerarunt, consilio, praedictas Urbani praedecessoris litteras die XXII ianuarii MDCXLI emanatas super confirmatione divisionis provinciarum S. Francisci et S. Ivonis provinciae Franciae et Normandiae servari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, mandamus, et perpetuum silentium fratribus Parisinis dictae provinciae Franciae aliisque omnibus provinciae S. Francisci omni meliori modo imponimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras sem-

[1] Edit. Main. legit *providere* (R. T.).

per firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, etc.

Transumptorum fides. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, congregationis, provinciarum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis, etc. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etc.; ceterisque, etc.

§ 5. Volumus autem, etc., manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo, etc., eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. 10 iulii 1656, pontif. anno II.

CXIX.

Pro concordiâ fratrum regularis Observantiae sancti Francisci provinciae Ioannis S. Evangelistae insularum de Azzorres.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In sublimi Sedis Apostolicae speculâ universi gregis dominici curae nostrae divinitus commissi commodis iugiter invigilantes, illis, quae pro tollendis dissidiis inter religiosos viros, sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatos, non sine regularis observantiae detrimento et piorum offensione exortis provide concordata ac decreta et ordinata sunt, nonnunquam apostolicae confirmationis nostrae patrocinium adiungimus, prout, rerum, personarum, locorum et temporum qualitate mature pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ad componendas controversias in provinciâ S. Ioannis Evangelistae in insulis de Azzorres nuncupatis consistente Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, a quinque annis vel circiter suscitatas, concordia inter partes interesse habentes inita fuerit, ac eamdem concordiam venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis cardinalis Barberinus nuncupatus, S. R. E. vicecancellarius, necnon dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, tam officii protectoris huiusmodi, quam delegatâ sibi per congregationem venerabilium pariter fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam, auctoritate, confirmaverit et approbaverit, variaque pro illius observatione decreta et ordinationes ediderit, prout plenius continetur in litteris ipsius Francisci cardinalis desuper confectis tenoris qui sequitur, videlicet: Motiva huius Constitutionis.

§ 2. « Franciscus, miseratione divinâ episcopus Portuensis, cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius, ac Ordinis sancti Francisci protector, corrector et gubernator, etc. omnibus et singulis fratribus et monialibus tam subditis quam praelatis cuiuscumque qualitatis et conditionis, omnibusque aliis quibus praesentes nostrae litterae ostensae fuerint, provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum de Az- Tenor constitutionum emanatarum super controversiis fratrum, etc.

zorres regni Portugalliae praedicti nostri Ordinis de Observantiâ salutem in Domino sempiternam.

Noveritis pro parte et ad instantiam dilecti in Christo patris fratris Antonii a Gratia, praedicatoris et ministri provinciatis electi ipsiusmet provinciae, praesentatum fuisse memoriale quoddam sanctissimo domino nostro Alexandro VII tenoris sequentis, videlicet:

Memoriale fratris Antonii a Gratia praedicatoris et ministri provincialis ipsiusmet provinciae.

§ 3. « Beatissime[1] Pater. Frater Antonius a Gratia, praedicator et electus provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum de Azzorres regularis Observantiae sancti Francisci, deosculando pedes Sanctitati Vestrae exponit, quod frater Simon a S. Catharina, antecessor suus, tempore opportuno petierit visitatorem, et ipsum obtinuit a patre generali fratre Petro Menero. Qui visitator ex variis impedimentis non accessit ad dictam provinciam antequam triennium eiusdem provincialis excurreret. Hanc moram cum notaret dictus provincialis ante sex mensium decursum (ultra tres annos) diffinitorium convocavit, ut in futurum provideret. Cum hic casus esset expirationis et non vacaturae, unanimiter resolutum fuit a definitorio praedictum provincialem continuari debere usque ad accessum visitatoris, et de omnibus rebus gestis informare Curiam Romanam. Qui ita fecit, per suum procuratorem exquirendo remedia opportuna, continuando interea in regimine provinciae pacifice per septem menses. His elapsis aliqui religiosi opponentes se regimini praedicto, atque provocantes quemdam patrem Didacum a Plagis, qui olim fuerat vicarius provincialis, sub titulo patris dignioris, coëgerunt illum, ut convocaret diffinitorium (tamquam in casu vacaturae) ad eligendum vicarium provincialem, in quo tamen ipsi definitores non obedierunt, praeter unum postmodum in vicarium provincialem electum, et hoc a diffinitoribus ab ipso convocante illegitime subrogatis, reclamante legitimo provinciali ac definitoribus actualibus tunc propter violentiam in conventu S. Augustini commorantibus. Ipse vicarius provincialis intrusus vi armorum ac metu omnia sibi subigendum[1], provinciam in suâ potestate continuit, atque, extracto e carcere fratre Ferdinando a Conceptione, misit uti procuratorem ad istam curiam sub sigillo provinciae noviter a se aperto: non obstantibus appellationibus et censuris provincialis legitimi et definitorum actualium. Provisum interea fuit de provinciali legitimo a sacrâ congregatione die III octobris MDCLIII, ab eminentissimo protectore die XIV novembris, a sanctissimo domino Innocentio X die XXVI eiusdem novembris ipsius anni pro continuatione sui officii et aliorum praelatorum respective per integrum annum, confirmando etiam dictum visitatorem ad visitandam provinciam et celebrandum capitulum. His decretis nolentes obedire intrusi, neque audire illa, male tractarunt notarios, atque alios ministros intimantes, et non obstante clausulâ Brevis expressâ *(postpositâ appellatione)* ab illâ appellarunt, suspectionemque ipsi visitatori fecerunt intimare, qui respondit se non posse recusari tamquam suspectum quoad visitationem generalem, sed solum quoad particularem (si coram arbitris probassent), et contra ipsos fulminavit censuras usque ad declarationem per sententiam. Et, cum iam visitare coepisset provinciam in conventibus obedientibus decretis supradictis ac legitimo praelato, accidit quod die XIV iulii anni MDCLIV ei fuit intimatum decretum sacrae congregationis, datum die XIX martii eiusdem anni, derogans Breve

1 Male ut puto edit. Main. legit *Beatissimus* (R. T.).

1 Legerem *subigendo* vel *subigens* (R. T.).

et decreta prorogationis dicti provincialis legitimi, assecutum a dicto Ferdinando procuratore intrusi, qui in supplicâ allegavit procuratorem provincialis legitimi non fecisse mentionem electionis dicti vicarii provincialis intrusi (cum tamen hoc ei fuisset impossibile, nam a curiâ Ulyssiponensi profectus est Romam die X iunii anni MDCLIII, et in die XIII eiusdem iunii facta fuit talis electio in insulâ tertiâ, quae distat ab ipsâ Ulyssipone per trecentas leucas maris), narravitque verum in supplicâ, virtute cuius expedita fuere decreta et Breve prorogationis provincialis et confirmationis ipsius visitatoris. Qui respondit tale decretum nihil locutum fuisse circa visitatorem removendum, et ad totius respondendum petiit videre ipsum decretum; quod tamen a iudicibus exequutoribus ei fuit denegatum, idque contigit provinciali prorogato intimato die XV iulii, qui simul cum visitatore appellavit ante omnia et post omnia ad sanctam Sedem Apostolicam. Tunc visitator fecit citare omnes vocales capituli (modo quo potuit), et brevi temporis spatio fama pervolavit per totam provinciam celebrationis capituli; et cum iam ipse visitator exerceret officium praesidentis capituli in mensâ diffinitionis, illud primum decretum et aliud de novo adveniens derogans visitatorem fuerunt simul intimata illi die XII augusti, narrabatque iudex executor Oduardus in litteris suis tale decretum fuisse datum a sacrâ congregatione sub die XIV novembris anni MDCLIII, dies quidem in qua ipsa sacra congregatio per suum decretum confirmavit ipsum visitatorem, et in qua dictus Ferdinandus procurator intrusi erat captivus in Argel; cui intimationi respondit ipse visitator quod notarius cum testibus adhiberet fidem intimationis decretorum factae in mensâ capitulari, ubi ut praesidens et non uti visitator exercebat suum munus, et quod nullum duorum decretorum habebat clausulam derogatoriam officii praesidentis capituli, quod est valde distinctum ab officio visitatoris, praeterquamquod utrumque decretum esset obreptitium multis de causis, quapropter ab ipsis appellavit ad Sanctam Sedem. Postea die assignatâ, quae erat XV augusti anni MDCLIV, celebravit capitulum cum decem suffragiis quae solum congregare potuit, elegitque ipsum oratorem fratrem Antonium a Gratia in ministrum provincialem, fecitque omnes guardianos et omnia acta capitularia, destititque a visitatione propter redimendam vexationem, appellavitque contra omnes nominationes provincialis et diffinitorum si forte Romae fierent ab aliquo superiore; quod etiam fecit dictus orator provincialis noviter electus, qui misit procuratorem in istam curiam ad confirmandum capitulum. Qui cum pervenisset ad Ulyssiponem invenit ibi nominationes factas provincialis et diffinitorum per eminentissimum protectorem, virtute cuiusdam decreti sacrae congregationis dati die XXVII augusti MDCLIV nescientis accessum visitatoris ad illam provinciam et celebrationem capituli die XV eiusdem augusti; invenit etiam litteras patentes dicti eminentissimi protectoris confirmantes electionem vicarii provincialis intrusi; omnia assequuta a domino Ferdinando; et etiam confirmationem ipsius nominationis in formâ speciali a sanctissimo domino Innocentio factam. Et cum non potuisset venire Romam oppressus vi decreti regii, obedivit ipsi provinciali nominato, fecitque cessionem obedientiae; et similiter fecit coactus ipse orator, tradiditque sigilla et libros provinciae secretario ipsius nominati Romae, non tamen destitit ab appellationibus. Interim provincialis nominatus repente decessit, et statim dictus Didacus a Plagis, usurpando sibi dignitatem dignioris patris provinciae, (excluden-

do ipsum Simonem a S. Catharina digniorem patrem provinciae tamquam excommunicatum, convocavit diffinitores nominatos Romae, elegitque vicarium provincialem fratrem Simonem a Plagis, fecitque solemne capitulum absque praesidente, absque digniore patre provinciae et absque auctoritate, deditque omnia officia suis sequacibus, non admittendo ad illa aliquem ex tabulâ capituli dicti oratoris, imo incarcerando, vapulando et exulando omnes, ipse vicarius provincialis intrusus causat maximum scandalum in totâ provinciâ, insulis et regno. Cum vero ad aures ipsius oratoris fratris Antonii a Gratia pervenisset notitia illius intrusi vicarii provincialis et sui nulli capituli, ratificavit appellationes suas coram probo viro et venit in hanc curiam. Supplicat proinde Sanctitati Vestrae quatenus dignetur committere hoc negotium eminentissimo protectori, vel alteri cui magis placuerit, ut, auctoritate apostolicâ, attentis narratis et auditis partibus, confirmet suum capitulum canonice factum, declarando nullam primam electionem dicti vicarii provincialis intrusi fratris Christophori a Conceptione, et etiam secundam dicti Simonis a Plagis et ipsius nulli capituli, vel provideat ex aliquo alio remedio opportuno illam provinciam in miserrimo statu positam, ad stabiliendam pacem et fraternitatem inter religiosos illius, ut digne et laudabiliter Deo serviant et pro Sanctitate vestrâ continuenter orent. Quam Deus, etc.

Fr. Antonius a Gratia, minister provincialis ».

Remittitur ad sacram congregationem. Quod quidem memoriale fuit remissum ad sacram congregationem, ipsaque sacra congregatio per decretum suum datum die xxviii aprilis mdclvi iussit exhiberi acta capitulorum; cui cum satisfactum fuisset, per aliud decretum expeditum die v maii nobis commisit negotium, ut videremus et referremus. Nos igitur, convocatis[1] partibus, scilicet patre Francisco ab Assisio procuratore patris Simonis a Plagis et definitorii sui et omnium fratrum suae partis cum plenitudine potestatis, prout aliàs latius continetur in publico mandato procurae per nos viso, ad quam, etc.; dictoque procuratore, ut supra constituto, unâ cum dicto patre Antonio a Gratia pluries super omnibus et singulis in dicto memoriali contentis convenientibus; dicti procuratores et respective dictus pater Antonius a Gratia nominibus praedictis, pro bono pacis, dictae provinciae unitate et tranquillitate illius, et ad omnem alium meliorem finem et effectum magis utilem et proficuum, fecerunt concordiam coram dicto patre procuratore generali, ab ipso et ipsis subscriptam die xx maii, tenoris sequentis, videlicet:

Concordia inita. « Concordia inter patrem fratrem Antonium a Gratiâ, praedicatorem et ministrum provincialem electum provinciae S. Ioannis Evangelistae insularum de Azzorres regni Portugalliae, et patrem fratrem Franciscum de Assisio, praedicatorem et procuratorem cum plenitudine potestatis patris Christophori a Conceptione, patris Simonis a Plagis et omnium diffinitorum et fratrum suae partis, in praesentiâ admodum reverendi patris procuratoris generalis die xx maii ad stabiliendam pacem perpetuam et compositionem illius provinciae. In primis, quia provincia est divisa in duas partes, et unaquaeque illarum habet pro se litteras patentes eminentissimi domini protectoris, decreta sacrae congregationis et Brevia confirmationis illorum, ad compositionem et pacem perpetuam illius provinciae unusquisque renunciat ius, quod habet et habere potest, et quod habent et habere

[1] Forsan deest coram *procuratore generali*, ut patet ex seqq. (R. T.).

possunt sui constituentes, ad talia Brevia, decreta et litteras patentes, et ex communi consensu petunt quod ponatur in dictis Brevibus, decretis et patentibus litteris perpetuum silentium, incipiendo a die completionis triennii patris Simonis a S. Catharina usque ad praesentem diem, sive Brevia, decreta et litterae patentes pertineant ad electiones, nominationes, prorogationes et confirmationes praelatorum illius provinciae, sive ad quascumque privationes, sententias, suspensiones et exemptiones omnium fratrum illius, tam in communi, quam in particulari. Et quia virtute supradictorum decretorum factae fuerunt ex utrâque parte aliquae electiones et nominationes praelatorum, ad evitanda scandala et stabiliendam pacem, petunt quod annullentur omnes illae tres electiones factae in illâ provinciâ a die primae convocationis patris Didaci a Plagis usque adhuc, et etiam ut annullentur nominationes factae provincialis defuncti fratris Hieronymi de Sardoal custodis et definitorum; revalidando tamen omnia acta spiritualia facta ab ipsis electis, et ab ipso nominato, nempe ab ipso Christophoro a Conceptione, ab ipso Antonio a Gratia, ab ipso Simone a Plagis, et ab ipso Hieronymo de Sardoal nominato et defuncto; annullando tamen omnes sententias et processus ab ipsis vel a quolibet ipsorum datas seu fulminatas vel processatas, dandas seu fulminandas vel processandas, contra quoscumque fratres et moniales illius provinciae, qualiscumque qualitatis et conditionis, a die completionis triennii patris Simonis a S. Catharina usque ad accessum istius concordiae ad dictam provinciam; et ponendo perpetuum silentium in excessibus transactis circa obedientiam dictorum praelatorum et patris visitatoris fratris Antonii a Trinitate. Petunt ex consequenti novam nominationem provincialis et definitorum, dimidiando mensam capitularem, nominando in provincialem ipsum patrem Antonium a Gratia praedicatorem cum duobus definitoribus ex suâ parte, nempe fratrem Antonium a Salvatore et patrem Antonium de Padua praedicatores; et ex aliâ parte in custodem patrem Ferdinandum a Conceptione, lectorem theologiae, cum duobus definitoribus, scilicet patrem Franciscum a Plagis praedicatorem, et patrem Petrum ab Annunciatione confessorem pro Recollectis; supplendo in omnibus quoscumque defectus tam iuris quam facti seu personae, et absolvendo illos a quacumque sententiâ, censurâ vel poenâ, et habilitando ad talia officia obtinenda; et eodem modo debent esse dispensati, absoluti et habilitati ad omnia officia omnes fratres illius provinciae, tanquam si noviter fuisset erecta. Et mortuo seu deficiente aliquo definitore ex parte provincialis nominati, nominetur in eius locum pater frater Ioannes de Sousa confessor; et mortuo seu deficiente aliquo definitore ex aliâ parte, nominetur pater Didacus a Conceptione praedicator; mortuo custode seu deficiente, nominetur in eius locum pater Thomas a divo Bonaventura, praedicator; mortuo tandem provinciali nominato, pater dignior (iuxta Ordinis statuta) convocet definitorium, eligatque vicarium provincialem ex parte dicti provincialis, et illi concedatur tota auctoritas, quae per istam resolutionem conceditur provinciali. Et quia in illâ provinciâ non extat alius pater, qui fuisset provincialis, nisi solummodo pater Simon a S. Catharina, qui quidem est sententiatus et ab aliâ parte exulatus, petunt, quod dictus Simon a S. Catharina declaretur pater dignior et perpetuus illius provinciae (iuxta statuta generalia Ordinis). Et quia haec concordia habet prò ultimo fine pacem et fraternitatem perpetuam inter religiosos illius provinciae,

et in illâ fuit (tempore controversiae) vicarius provincialis per duos annos pater Christophorus a Conceptione, et nunc est in illâ alter vicarius provincialis, scilicet pater Simon a Plagis; petunt quod pro bono pacis concedatur illis privilegium patrum provinciae, et quod dictus Simon a Plagis, quamvis non habeat duos annos completos dicti officii, declaretur pater immediatus. Petunt etiam quod provincialis nominatus cum eisdem patribus et definitoribus ab ipso convocatis celebret capitulum, iuxta Ordinis statuta, in quo ipse provincialis praesideat, dimidiando omnia officia provinciae tam guardianorum quam vicariorum in capite et lectorum, reponatque praesidentes in conventibus, quibus primo accesserit. Petunt etiam quod concedatur provinciali nominato facultas celebrandi congregationem intermediam, et praesidendi in illâ, et quod triennium numeretur et computetur a die celebrationis capituli, quamvis provincialis habeat plenissimam auctoritatem super omnes fratres et moniales illius provinciae a die suae nominationis. Et ne provincia veniat ad statum, in quo iam fuit et nunc est, ad evitanda scandala, controversias et rebelliones, supplicant quod si ex aliquo infortunio et urgentissimâ causâ maris, mortis, seu Turcarum, etc., completo triennio et sex mensibus, commissarius visitator (a ministro generali vel ab eminentissimo protectore deputandus) ad illam provinciam non accesserit, minister provincialis et omnes alii praelati durent in suis officiis usque ad adventum ipsius visitatoris, vel alterius suo nomine, ad celebrandum capitulum et suffragandum in illo; declarando non dari casus vacaturae provincialis ad convocationem dignioris patris provinciae, nisi inter limites triennii et sex mensium, et quod hoc servetur in illâ in perpetuum; petuntque quod, pro bono pacis illius provinciae, nunc non accedat ad illam visitator. Et quia aliquae abbatissae fuerunt electae a dictis superioribus suppositis, petunt quod mandetur dicto provinciali, ut illas in suis officiis confirmet, quas viderit esse idoneas. Haec superscripta concordia, ut iacet, coram me procuratore generali totius Ordinis facta est a reverendis patribus praedictis fratre Antonio a Gratia et fratre Francisco ab Assisio insimul mecum in unum convenientibus, qui illam et omnes eius articulos, tam seorsim quam collective, tenere et servare, ut sonant, absque interpretatione, et facere teneri et servari ab utriusque partis et totius provinciae patribus promiserunt atque affirmarunt tamquam veram et communem concordiam et amicam in omnibus pacem, consonam statutis regularibus, bono regimini et regulari disciplinae, in quorum fidem mecum proprio pugno hanc subscripserunt in hoc conventu Araecaeli die XX maii MDCLVI.

Frater Bartholomaeus de Villalva, procurator generalis Ordinis; frater Antonius a Gratia, minister provincialis electus; frater Franciscus ab Assisio, procurator partium ».

Protector confirmat praefatam concordiam.

Cuius tenorem cum retulissemus sacrae congregationi, fuit nobis remissa ex alio decreto dato XXIII iunii, ut praevideremus[1] arbitrio nostro. Nos ergo, cognoscentes quod per dictam concordiam conservetur quies illius provinciae, et compositio iurgiorum per tot annos[2] non sine scandalo regularium et secularium doloreque cordis nostri, inhaerendo facultatibus nobis competentibus, tam uti protectori, correctori et gubernatori dictae religionis et provinciae, quam vigore rescripti dictae sacrae congregationis, discussâ prius dictâ concor-

1 Forsan legendum *provideremus* (R. T.).
2 Videtur deesse *vigentium* (R. T.).

diâ, pensatisque omnibus et singulis illius partibus, et aliàs omni alio meliori modo, quibus[1] melius et validius possumus et valemus, tenore praesentium supplendo omnes et singulos defectus, si qui, etc., et adiiciendo ei omnem firmitatis vim et robur necessarium et opportunum, dictamque[2] concordiam tamquam talem ab omnibus et singulis supradictis fratribus, monialibus, etc. omnino servari volumus et mandamus generaliter quoad omnes sui partes et specialiter, ita ut specialitas generalitati non deroget, nec e contra; [3] in omnibus et per omnia, nihilo penitus excluso, prout iacent[4], tamquam bonam, iustam et perutilem approbamus et confirmamus, etiam respectu renunciationis quam ibi fecerunt dicti patres de decretis sacrae congregationis et nostris, et in[5] confirmationibus illorum a bonae memoriae sanctissimo domino Innocentio X datis pro utrâque parte a die completionis triennii patris Simonis a S. Catharina usque ad praesentem diem; et, quatenus opus sit, illa et illas annullando et invalidando et cassando, tamquam si non fuissent concessa; iubemusque in illis perpetuum silentium imponere, sive Brevia confirmationis, decreta et litterae patentes pertineant ad electiones, nominationes, prorogationes et confirmationes praelatorum ipsius provinciae, sive ad quascumque privationes, sententias, suspensiones et exemptiones omnium fratrum illius, tam in communi quam in particulari; et ex consequenti annullamus omnes tres electiones factas in illâ a die primae convocationis patris Didaci a Plagis usque adhuc, et omnes alias, si postea factae fuissent; et etiam invalidamus nominationes a nobis factas provincialis defuncti fratris Hieronymi de Sardoal custodis et definitorum, et confirmationem illorum; revalidamus tamen omnia acta spiritualia facta ab ipsis electis, et ab ipso nominato et defuncto; annullamusque omnes sententias et processus ab ipsis vel a quolibet illorum datas seu fulminatas vel processatas, dandas vel fulminandas seu processandas (usque ad publicationem harum litterarum in dictâ provinciâ) contra quoscumque fratres et moniales illius, qualiscumque qualitatis et conditionis; et mandamus ponere perpetuum silentium in excessibus transactis circa obedientiam dictorum praelatorum et patris visitatoris fratris Antonii a Trinitate; et eisdem, quibus supra, auctoritatibus nobis commissis (dimidiando mensam capitularem ad compositionem provinciae) nominamus, eligimus, instituimus et declaramus in ministrum provincialem ipsiusmet provinciae ipsum oratorem patrem fratrem Antonium a Gratiâ praedicatorem, cum omnibus et singulis potestatibus, auctoritatibus et privilegiis, quibus gaudent et gaudere solent veri et legitimi provinciales dictae nostrae religionis, et ex suâ parte in definitores patrem fratrem Antonium a Salvatore et patrem fratrem Antonium de Paduâ praedicatores; et ex aliâ parte in custodem patrem fratrem Ferdinandum a Conceptione, lectorem iubilatum, et in diffinitores patrem fratrem Franciscum a Plagis praedicatorem, et patrem fratrem Petrum ab Annunciatione confessorem pro Recollectis; supplemusque in omnibus et singulis praemissis quoscumque defectus, tam iuris quam facti seu personae, si qui sunt, etc.; illosque absolvimus a quacumque sententiâ, censurâ vel poenâ quavis occasione et causâ latâ seu fulminatâ contra ipsos, illosque habilitamus ad talia officia obtinenda, et eodem modo dispensamus, absolvimus et habilitamus ad omnia officia

1 Videtur legendum *quo* pro *quibus* (R. T.).
2 Legerem *dictam* (R. T.).
3 Heic adderem *eamque* (R. T.).
4 Aptius forsan legeretur *iacet* (R. T.).
5 Cohaerenter legerem *de* pro *in* (R. T.).

omnes fratres ipsius provinciae, tamquam si noviter fuisset erecta; et mortuo seu deficiente aliquo diffinitore ex parte dicti provincialis nominati, in eius locum nominamus et eligimus patrem fratrem Ioannem de Sousa confessorem; et mortuo seu deficiente aliquo diffinitore ex aliâ parte, nominamus et eligimus patrem fratrem Didacum a Conceptione praedicatorem; et mortuo custode seu deficiente, nominamus et eligimus in eius locum et officium patrem fratrem Thomam a divo Bonaventura praedicatorem; mortuo tandem provinciali nominato, pater dignior (iuxta Ordinis statuta) convocet diffinitorium, eligatque vicarium provincialem ex parte dicti provincialis, cui concedimus totam auctoritatem, quam per istas litteras patentes provinciali nominato damus. Declaramusque patrem digniorem et perpetuum ipsius provinciae esse patrem fratrem Simonem a S. Catharinâ, sacrae theologiae lectorem (iuxta Ordinis statuta), quia in illâ fuit minister provincialis; cui subsequuntur illi, qui antea vel postea fuerunt seu fuerint vicarii provinciales; et pro bono pacis et tranquillitatis ipsiusmet provinciae concedimus privilegia patris provinciae patri fratri Christophoro a Conceptione, et priori fratri Simoni a Plagis, tamquam si vere et realiter fuissent vicarii provinciales legitimi; declaramusque ipsum Simonem a Plagis patrem immediatum pro celebratione istius proximi capituli, quamvis non habeat duos annos completos dicti officii; ministerque provincialis iam a nobis nominatus convocabit eosdem patres et definitores in coenobio ubi voluerit ad celebrandum capitulum provinciale et electiones minores, praesidebitque in illo, dimidiando omnia officia provinciae, tam guardianorum quam vicariorum in capite et lectorum; cui etiam concedimus in omnibus et singulis electionibus, determinationibus et consultationibus votum decisivum in aequalitate suffragiorum; et ut pro interim reponat praesidentes in conventibus, ad quos primo accesserit antequam celebret capitulum. Concedimus insuper dicto ministro provinciali facultatem celebrandi congregationem intermediam et praesidendi in illâ, et licet habeat, sicut habet, plenissimam auctoritatem super omnes fratres et moniales ipsius provinciae a die istius nostrae nominationis et electionis; tamen volumus, quod tempus sui triennii et aliorum praelatorum computetur et numeretur a die celebrationis capituli usque ad tres annos continuos et sex menses; et ne provincia ipsa patiatur similes controversias et rebelliones, ordinamus et declaramus quod, si ex aliquo infortunio et urgentissimâ causâ maris, mortis, Turcarum, vel ex aliquâ aliâ hic non expressâ et fortasse exprimendâ causâ, etc., cogitatâ et incogitatâ, etc., a maioritate et paritate rationis, etc., completo triennio et sex mensibus, commissarius visitator (a ministro generali vel a nobis deputandus) ad illam provinciam non accesserit, minister provincialis et omnes alii praelati durent in suis officiis usque ad adventum ipsius visitatoris, vel alterius suo nomine, ad celebrandum capitulum et suffragandum in illo; et quatenus ista declaratio et determinatio sit contra aliquas Bullas apostolicas ad compositionem et remedium perpetuum ipsius provinciae ultramarinae, in illis, auctoritate eiusdem sacrae congregationis, pro hac vice dispensamus, declaramusque non dari casus vacaturae ministri provincialis ad convocationem dignioris patris provinciae, nisi vacatio contigerit inter limites triennii et sex mensium; volumusque quod haec resolutio circa continuationem provincialis et convocationem dignioris patris provinciae observetur in ipsâ in perpetuum; ad

quam pro nunc (compositionis causâ) nolumus ut accedat visitator; et quia in dictâ provinciâ aliquae abbatissae fuerunt electae a dictis superioribus suppositis, iubemus ministro provinciali ut solemni ritu illas confirmet quas viderit esse idoneas, dispensando cum illis in nullitate suarum electionum; ipsique dicto ministro provinciali patri fratri Antonio a Gratiâ a nobis electo et nominato ordinamus et mandamus, in virtute Spiritus Sancti, per sanctam obedientiam, ut acceptet suum officium, et ad dictam provinciam S. Ioannis Evangelistae quamprimo se conferat, dictumque suum officium adimpleat, et omnia faciat et discernat[1] prout in istis nostris litteris patentibus illi concedimus et impertimur, procedendo auctoritate propriâ et nostrâ sacraeque congregationis contra rebelles et inobedientes (si qui fuerint) usque ad interdictum, carcerem et exilium perpetuum a dictâ provinciâ, invocando ad hoc (si opus fuerit) auxilium brachii saecularis, in virtute eiusdem sanctae obedientiae, et sub poenâ excommunicationis maioris ipso facto incurrendâ nobis reservatâ, et[2] omnium officiorum et inhabilitationis ad alia per decem annos, carceris, exiliique a dictâ provinciâ in perpetuum. Praecipientes vobis omnibus et singulis dictae provinciae religiosis et monialibus tam superioribus quam subditis ipsiusmet provinciae, ut dictum ministrum provincialem pro vero et legitimo superiore recognoscatis; et obediatis in omnibus et per omnia decretis nostris, ac ordinibus et determinationibus sacrae congregationis obtemperetis; et specialiter, sub eisdem poenis et privatione actorum legitimorum per decem annos, et omnium privilegiorum, praecipimus et mandamus dicto patri Simoni a Plagis, qui nunc est in actuali gubernio ipsius provinciae, ut, ubi primum dictus provincialis ad illam accesserit, illi statim conferat sigilla et libros provinciae absque ullâ morâ, illi obediendo tamquam vero et legitimo superiori, in omnibus et per omnia observando et observari faciendo istas litteras nostras patentes compositionis, concordiae, electionis, nominationis et ultimae determinationis; non obstantibus quibuscumque decretis, resolutionibus et statutis dictae religionis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis in eis appositis, etiam derogatoriis et derogatoriarum derogatoriis, et aliis amplissimis, et quibuscumque aliis cuiusvis generis et speciei in contrarium facientibus, etiamsi specialem et specialissimam expressionem et mentionem requirerent, quorum tenores, etc. In quorum fidem, etc. Datum Romae in cancellariâ apostolicâ die v iulii MDCLVI.

F. cardinalis BARBERINUS, protector ».

Confirmatio apostolica.

§ 3. Hinc est quod nos praemissorum robori et inviolabili observationi opportune providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, praedictam concordiam eisdem litteris dicti Francisci cardinalis insertam, ac illius confirmationem et approbationem, necnon decreta et ordinationes, aliaque pro eiusdem concordiae observatione, seu aliàs quomodolibet a memorato Francisco cardinali, ut praemittitur, facta, ac desuper emanatas litteras praeinsertas, cum omnibus et singulis quomodolibet contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissimo suffragari,

1 Forsan legendum *decernat* (R. T.).
2 Deest vox *privationis* (R. T.).

et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis ac provinciae huiusmodi, ipsiusque provinciae conventuum quorumcumque, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordini, provinciae et conventibus, eorumque superioribus et fratribus, ac personis quibusvis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 iulii 1656, pontif. anno II.

CXX.

Iubilaeum universale ad implorandam opem divinam in praesentibus Ecclesiae necessitatibus[1].

1 Pro tunc Ecclesiae necessitatibus imminentibus iubilaeum indixere Paulus V Const. CCXCII (al. 273) *Ecce*, tom. XII, pag. 392; et idem Paulus V Constit. CCCXII (al. 292), ibid. pag. 434; et Urbanus VIII Constit. CXXXII (al. 120) *Divinae misericordiae*, tom. XIII, pag. 315.

Alexander Papa VII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae iubilaei.

E supremâ militantis Ecclesiae speculâ mentis nostrae aciem quaquaversum intendentes, et assidue gregis nobis ex alto crediti calamitates attente contemplantes, crebra ex imo corde suspiria et uberes ex oculis lacrymas fundere cogimur. Cuius enim vel ferreum pectus non commoveant[1] hodiernae orbis christiani miseriae? Urget ut cum maxime pertinax inter principes catholicos bellum, cui componendo frustra hactenus visa sunt esse humanae prudentiae consilia. Ad Orientem piissimae Reipublicae ditiones decennali bello a Turcarum tyranno infestantur. Exutus ad septentrionem regni sui parte haereticorum armis rex orthodoxus, neque tuti ab eorum odio et potentiâ aliorum fines. Saevit ad meridiem dira epidimiae lues, quae et vicinos depopulatur, et huic Urbi verae religionis capiti imminere videtur. Ubique terror, ubique malorum impendentium formido, itaut, si unquam, certe nunc gravem Domini manum sentiamus, flagitiis hominum eius iram iugiter provocantibus. Cui placandae licet privata nostra et aliorum sacrificia et preces sine intermissione adhibere non desistamus, promptius tamen id a divinâ misericordiâ nos consequuturos arbitramur, si nostris omnium christifidelium orationes, purgatis per salutarem verae poenitentiae medicinam a colluvie peccatorum animis, iungantur. Clemens est enim et misericors Deus noster, et propitiatur cunctis invocantibus eum in veritate. Hoc autem ut fructuosius fiat, et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae the-

1 Edit. Main. legit *commoneat* (n. r.).

sauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et erogare decrevimus.

Ad orandum pro necessitatibus praesentibus hortatur.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in eâdem almâ Urbe nostrâ quam extra ubilibet locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere, ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram tranquillitatem donare, populos epidemiae lue infectos liberare, et ceteros ab eâ praeservare, aliisque praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur.

Preces et opera Romae degentibus iniungit.

§ 2. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui spatio unius mensis a die datae praesentium computandi feriâ sextâ unius hebdomadae intra dictum mensem decurrendae ieiunaverint et peccata sua confessi[1] sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et, ex ne congressu populi, si aliquae ecclesiae, ut moris est, eâ de causâ visitarentur, contagionis augeatur periculum, domi privatim rosarium Beatae Mariae Virginis, vel septem psalmos poenitentiales cum litaniis et orationibus adiunctis, devote semel recitaverint, ac ut supra oraverint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret charitas, erogaverint;

Extra urbem degentibus opera iniungit.

§ 3. Ceteris vero extra Urbem praedictam ubique degentibus, qui in locis ubi nulla omnino epidemiae luis suspicio adest (quod prudentiae Ordinariorum locorum diiudicandum relinquimus) ecclesias ab iisdem Ordinariis, vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio similiter unius mensis, a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendae, computandi, saltem semel visitaverint, aut ubi, lues grassatur vel eius adest suspicio seu contagionis periculum, rosarium aut psalmos praefatos cum litaniis et orationibus ut supra recitaverint, et ut praemittitur oraverint, eleemosynam ut supra erogaverint, ac feriâ sextâ unius hebdomadae intra eumdem mensem decurrendae similiter ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiore aut parochiali loci eorum domicilii, si inibi ecclesiae visitandae prius designatae fuerint, alioquin, recitatis rosario vel psalmis cum litaniis et orationibus praefatis, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant.

Regularibus et impeditis confessarius opera commutet.

§ 4. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis

[1] Male edit. Main. legit *confessis* (R. T.).

infirmitate, seu aliquo quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis ab Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Confessarium eligendi facultas.

§ 5. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praedictâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum in confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis sive nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum (non tamen a crimine haeresis) absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Ordinat litterarum transumpta publicari.

§ 6. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas ubi, ut praemittitur, id faciendum iudicaverint, designent.

Non intendit per praesentes dispensare excommunicatos, etc.

§ 7. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dicti mensis satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque

Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudininus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 9. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 iulii 1656, pontif. anno II.

CXXI.

Deputatio episcopi Tullensis in suffraganeum et vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem domini cardinalis de Retz archiepiscopi Parisiensis[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Andreae du Saussais, episcopo Tullensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Deputat episcopum Tullensem in suffraganeum et vicarium in spiritualibus et temporalibus, etc.

§ 1. Pro commissâ nobis a Domino omnium ecclesiarum sollicitudine providere volentes ne ecclesia Parisiensis, propter dilecti filii nostri Ioannis Francisci Pauli Gondi S. R. E. presbyteri cardinalis de Retz nuncupati eiusdem ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis ab illâ absentiam, aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum patiatur, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cuius fide, prudentiâ, integritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, eiusdem Ioannis Francisci Pauli cardinalis praesulis in praedictâ ecclesiâ Parisiensi suffraganeum et vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem, eum plenâ et liberâ facultate et auctoritate pontificalia et alia quae ad huiusmodi suffraganeatus et vicarii generalis officia spectant et pertinent in ecclesiâ, civitate et dioecesi Parisiensi gerendi et faciendi et exercendi, sine ullo tamen quorumcumque iurium ipsius Ioannis Francisci Pauli cardinalis praesulis praeiudicio, tenore praesentium, ad nostrum beneplacitum, constituimus et deputamus.

§ 2. Volentes ut, statim atque tu in possessione seu quasi possessione officiorum suffraganeatus et vicariatus huiusmodi constitutus fueris, quaecumque auctoritas et iurisdictio, ministris tribunalis ecclesiae Parisiensis praedictae quomodolibet concessa, cesset et expiret eo ipso.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Parisiensis praedi-

ctae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac viec dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 iulii 1656, pontif. anno II.

CXXII.

Praeviâ annullatione revocationis et amotionis Andreae de Saussay episcopi Tullensis a vicariatu generali ecclesiae Parisiensis, et subsecutae aliorum vicariorum quorumcumque deputationis, o domino cardinali de Retz factarum, substituit alium in locum eiusdem Andreae episcopi quoad vicariatum generalem in spiritualibus et temporalibus dictae ecclesiae Parisiensis [1].

Alexander Papa VII.

Motivum huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius noster Ioannes Franciscus Paulus Gondus S. R. E. presbyter cardinalis de Retz nuncupatus, ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, constitutionem et deputationem venerabilis fratris Andreae du Saussay, nunc episcopi Tullensis, in ipsius Ioannis Francisci Pauli cardinalis praesulis vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem in praedictâ ecclesiâ Parisiensi ab eodem Ioanne Francisco Paulo cardinale praesule cum participatione nostrâ aliàs factam, nedum nobis inconsultis, verum etiam praeter mentem, intentionem et voluntatem nostram ipsi Ioanni Francisco Paulo cardinali praesuli oretenus significatam, revocaverit, et quosdam alios suos in ecclesiâ praedictâ Parisiensi vicarios constituerit et deputaverit:

Revocat Andream de Saussay a vicariatu generali ecclesiae Parisiensis.

§ 2. Nos, quibus omnium orbis ecclesiarum sollicitudo incumbit, considerantes non esse rationi consentaneum, ut ea, quae pro bono ecclesiarum praedictarum regimine per earum praesules, etiam eiusdem S. R. E. cardinales, cum nostrâ approbatione facta fuerunt, postmodum nobis inconsultis scienter immutentur, ac quieti et tranquillitati praedictae Parisiensis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, revocationem dicti Andreae episcopi, et eius amotionem a munere vicarii generalis huiusmodi, ac subsecutam deputationem quorumcumque aliorum vicariorum (quorum nomina et cognomina ac qualitates hic pro expressis haberi volumus) per praedictum Ioannem Franciscum Paulum cardinalem praesulem ut praemittitur factas, tenore praesentium revocamus.

Substituit ac subrogat quaelibet facta circa praedictam deputatum.

§ 3. Ac pro eâ, quam de tuâ fide, prudentiâ, doctrinâ et integritate habemus in Domino fiduciâ, sperantes te munus vicarii generalis eiusdem Ioannis Francisci Pauli cardinalis praesulis in ecclesiâ Parisiensi praedictâ ad Dei gloriam et eiusdem ecclesiae utilitatem recte et fideliter administraturum, te in locum praedicti Andreae episcopi (quoad munus vicarii generalis in spiritualibus et temporalibus eiusdem ecclesiae Parisiensis, liberumque illius exercitium, cum eâ plenitudine iuris

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

et facultatis, ac in omnibus et per omnia prout et quemadmodum idem Andreas episcopus munus vicarii huiusmodi, vigore constitutionis et deputationis de eius personâ per eumdem Ioannem Franciscum Paulum cardinalem praesulem ut praefertur factae[1] exercuit, seu exercere potuit, etiamsi talia essent, quae magis specialem et individuam requirerent mentionem, et perinde ac si constitutio et deputatio huiusmodi ab ipso Ioanne Francisco Paulo cardinale praesule ab initio de tuâ personâ facta fuisset), motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore paribus, substituimus et subrogamus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, tibique plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac nostros et Sedis Apostolicae nuncios, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quoscumque alios quavis auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reiicit. § 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac praedictae ecclesiae Parisiensis, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictae ecclesiae, illiusque praesuli, et quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 iulii 1656, pontif. an. II.

1 Male edit. Main. legit *facta* (R. T.).

CXXIII.

Indultum ut clerus etiam regularis Hispaniarum festum Patrocinii B. M. V. quotannis celebrare possit[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Praeclara christianissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici in Deum pietas, ac erga Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam devotio singularis in nos et Apostolicam Sedem fidei coniuncta, promeretur, ut eius votis ad augendam ipsius Beatissimae Virginis venerationem tendentibus, quantum nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuamus. Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut idem Philippus rex nobis exponi fecit, ipse ad gratias eidem Virgini Dei Genitrici Mariae pro plurimis beneficiis, quae ab illâ accepisse pro affectu profitetur, agendas unum festum particulare Patrocinii Beatae Mariae Virginis nuncupandum in omnibus Hispaniae regnis aliquâ die dominicâ mensis novembris annis singulis celebrari summopere desideret: Supplicatio.

§ 2. Nos, piam eiusdem Philippi regis Indultum concedit, et clerus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Hispaniae festum Patrocinii B. M. quotannis celebrari possit.

intentionem plurimum in Domino commendantes, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filiis clero etiam regulari praedictorum regnorum Hispaniae, ut aliquâ die dominicâ mensis novembris per Ordinarium loci designandâ annis singulis festum Patrocinii eiusdem Beatae Mariae Virginis cum officio duplici, quod recitatur die v augusti in festo Dedicationis S. Mariae ad Nives (exceptis lectionibus secundi nocturni, quae sumantur ex sermone sancti Ioannis Chrysostomi *Dei Filius*, etc., quaeque habentur die XII septembris, quintâ infra octavam Nativitatis ipsius Beatae Mariae Virginis), necnon cum missâ quae celebratur dictâ die Dedicationis cum *Gloria* et *Credo*, celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Plenariam peccatorum remissionem missam solemnem audientibus impartitur.

§ 3. Praeterea ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui missae solemni in die praedictâ interfuerint et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et conciliaribus, generalibus vel specialibus, necnon, quatenus opus sit, ecclesiarum et ordinum, congregationum, institutorum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, aliorumque locorum regularium quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 iulii 1656, pontif. anno II.

CXXIV.

Hortatorium archiepiscopo Neapolitano, ut regulares alliciat ad subveniendum et inserviendum peste infectis[1].

Dilecto filio nostro Ascanio tituli S. Mariae de Aracoeli S. R. E. presbytero cardinali Philomarino nuncupato, ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Cum primum nobis innotuit magnam presbyterorum, qui poenitentiae et eucharistiae sacramenta peste infectis in istis civitate et dioecesi Neapolitanis administrent, adesse penuriam, plurimosque regulares, qui sponte eâ in re operam praestiterunt, obiisse, praecepimus superioribus generalibus eorumdem regularium, ut sibi subditos in civitate et dioecesi praedictis superstites serio hortentur, ne tantum christianae charitatis opus detractent, sed peste infectis praesto sint in spiritualibus eorum necessitatibus, uberem eapropterea[2] nobis gratiam et a Deo aeternae vitae praemium consecuturi.

Hortatur archiepiscopum ut regulares alliciat ad subveniendum peste infectis.

§ 1. Et quamvis sciamus nihil a te, quod ad boni pastoris officium pertinet, pro subventione gregis curae tuae commissi praetermitti, facere tamen non possumus, quin, pro eâ quae pro[3] defunctorum[4]

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Vel *eapropter* vel *propterea* lege (R. T.).
3 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T.).
4 Forsan *defuncturorum* (R. T.).

christifidelium salute nos continenter urget sollicitudine, pietatem et vigilantiam tuam pastoralem nostris cohortationibus magis incitemus; teque sedulo moneamus, ut praefatos regulares omni benevolentiae et munificentiae genere ad assistendum et inserviendum peste infectis huiusmodi invites, certo nobis persuadentes illos tuâ benignitate et liberalitate illectos eum laborem prompte et alacriter (neglecto vitae periculo) pro salute animarum subituros; et circumspectionem tuam iterum benedictione nostrâ peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 augusti 1656, pontif. anno II.

CXXV.

Confirmatio emphyteusis bonorum prioratus et ecclesiae S. Sollicili terrae Matelicae Camerinensis dioecesis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis. Cum, sicut accepimus, annis superioribus, vim[1] decreti commissorialis venerabili fratri Æmilio episcopo Camerinensi directi et a venerabilibus etiam fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanati, per dilectos filios fratres suppressi nunc auctoritate apostolicâ Ordinis Cruciferorum conventus et prioratus S. Mariae ad Fontem Trivii nuncupatae de Urbe, mediante dicti Ordinis procuratore generali, omnia et singula bona prioratus et ecclesiae S. Sollicili terrae nostrae Matelicae Camerinensis dioecesis, primodictis conventui et prioratui etiam apostolicâ auctoritate perpetuo unitorum, dilectis filiis Succurso et Antonio fratribus de Cimarellis e dictâ terrâ in emphyteusim ad eorum tertiam generationem masculinam et femininam sub annuâ responsione scutorum quadraginta monetae romanae, ac cum onere celebrari faciendi in dictâ ecclesiâ S. Sollicili tres missas hebdomadatim, aliisque tunc expressis pactis et conditionibus, concessa fuerint, subsecutâ etiam concessionis huiusmodi ratificatione, et aliâs, prout in diversis publicis superinde confectis instrumentis, plenius dicitur contineri; firmiora vero sint ea, quae Sedis Apostolicae munimine roborantur:

Confirmat emphyteusim bonorum prioratus, etc. § 1. Hinc est quod nos, inviolabili praemissorum observationi, quantum cum Domino possumus, consultum esse cupientes, ipsosque Succursum et Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum Succursi et Antonii aut alterius eorum desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ, concessionem bonorum huiusmodi prioratus et ecclesiae S. Sollicili dictis Succurso et Antonio in emphyteusim ad eorum tertiam generationem, ut praefertur, factam, ac, prout illam concernunt, confecta desuper instrumenta praedicta, cum omnibus et singulis in eis contentis ac[1] licitis et honestis eisdem prioratui et ecclesiae utilibus et proficuis, eâdem auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

1 Potius lege vi (R. T.).

1 Coniunct. ac nos addimus (R. T.).

Decretum irritans. § 2. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ipsisque Succurso et Antonio, et aliis in praedictâ concessione comprehensis, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; non obstantibus felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod finitâ vel deficiente tertiâ generatione huiusmodi omnia et singula bona praedicta cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis universis, necnon melioramentis desuper pro tempore quomodolibet factis, ad eosdem prioratum et ecclesiam S. Solliciti pleno iure et omnino libere revertantur, illique cedant, absque eo quod renovatio concessionis huiusmodi a quoquam, quovis praetextu vel causâ, peti vel praetendi possit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v augusti MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 augusti 1656, pontif. anno II.

CXXVI.

Facultas abbati S. Mariae Montis Regalis deputandi sex iudices synodales in civitate et dioecesi Mechliniensi [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Hieronymo, abbati S. Mariae Montis Regalis,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecisti quod antehac in quolibet ex oppidis Bruxellarum et Lovanii Mechliniensis dioecesis tres vel quatuor iudices in synodo provinciali seu dioecesanâ Mechliniensi pro causarum commissione deputati insimul residere respective soliti fuerunt; sed nunc ex iudicibus in synodo huiusmodi deputatis nonnisi dilecti filii S. Gudulae Bruxellis et S. Iacobi ecclesiarum collegiatarum decani Lovanii respective reperiuntur, illique ambo in variis functionibus occupantur; unde, ratione evocationis causarum ex dictis oppidis ad alia loca litigantes maiori cum eorum dispendio litigare coguntur. Supplicatio

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, attento quod sedes archiepiscopalis Mechliniensis ad praesens vacat, spes non sit alios in civitate et dioecesi Mechliniensi iudices synodales brevi deputatum iri, tuque propterea a nobis opportune in praemissis provideri summopere desideres: Motiva

§ 3. Nos, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut quinque vel sex dumtaxat personas idoneas, et requisita a sacris canonibus et Concilio Tridentino habentes, in civitate et dioecesi Facultatem abbati S. Mariae Montis Regalis sex iudices deputandi impertimur.

praedictis pro causarum commissione, auctoritate nostrâ apostolicâ deputandi, ita quod eaedem personae perinde sint et haberi debeant, ac si in synodo provinciali seu dioecesanâ Mechliniensi ad munus huiusmodi deputatae fuissent, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria reiicit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 augusti 1656, pontif. anno II.

CXXVII.

Facultas nuncio Poloniae dispensandi cum presbyteris secularibus et regularibus ad exercitium ordinum super irregularitate per eos contractâ ex homicidio etiam voluntario haereticorum inimicorum, qui nuper regnum Poloniae invaserunt[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Leudensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, occasione nuperae invasionis regni Poloniae haereticorum inimicorum armis factae, multi presbyteri etiam regulares nonnullos eorumdem haereticorum interfecerint[2], irregularitatem propterea contrahendo; cumque eorum aliqui huiusmodi irregularitate notati sacrosanctum missae sacrificium celebraverint, seu aliâs divinis se immiscuerint:

Facultatem nuncio Poloniae impartitur dispensandi presbyteros ab irregularitate contracta.

§ 2. Nos, illorum statui in praemissis opportune providere volentes, fraternitati tuae cum omnibus et singulis presbyteris secularibus, ac cuiusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti regularibus, qui hoc a te humiliter respective petierint, impositâ eorum singulis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, super irregularitate per eos ex homicidio etiam voluntario haereticorum inimicorum praefatorum, et forsan aliàs propter praemissa quomodolibet respective contractâ (ita quod illâ et iisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, qua aliàs rite insigniti fuerint, illiusque privilegiis uti, ac in susceptis per eos pariter aliàs rite quatuor minoribus, necnon sacris subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare libere et licite possint et valeant), auctoritate nostrâ apostolicâ dispensandi quamcumque necessariam et opportunam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 augusti 1656, pontif. anno II.

CXXXVIII.

Privilegia, exemptiones et indulta concessa dapiferis qui in conclavi suae assumptionis S. R. E. cardinalibus inservierunt.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[2] Edit. Main. legit *interfecerunt* (R. T.).

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.
Motu proprio, etc.

Proœmium.

Nos, volentes dilectos filios nostros dum cardinalatus honore fungebamur et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo divinâ favente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique eâ de causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis, pro cuiuscumque meritis exornare, ac[1] eosdem dapiferos et eorum singulos,

Dapiferos commensales suos declarat aliisque honoribus elargitur.

§ 1. Motu proprio, non ad ipsorum dapiferorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate certâque scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, in veros, indubitatos et non fictos familiares continuos commensales nostros, et eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praefatis cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate indicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, et tam illos, quam alios dapiferos singulos, qui singillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos, quam alios omnes quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis, vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros, originarios et antiquissimos et nobiles participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque eorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et assignamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarium continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico servientium et in illius tinello comedentium et bibentium, nostrorum et Sedis Apostolicae notariorum, palatiique et aulae praefatae comitum, militum et nobilium, et civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, indubitatis et non fictis familiaribus continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque, ac civibus deinceps haberi et reputari volumus et mandamus.

A pluribus liberat inhabilitatibus.

§ 2. Eisque, ut in quibuscumque impetrationibus ac concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam separatim seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos commensales nostros, et comites, milites, nobiles, ac cives et originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps et in perpetuum omnibus et quibuscumque et prorsus similibus antelationibus, antelationum praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii

1 Coniunct. ac delenda (R. T.).

eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantes existentes, etiamsi habitum et rochettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictae comites et milites ac nobiles originarii et antiquissimi cives eiusdem Urbis, vel civitatis quam, ut praefertur, elegerint, quicumque[1] ex utroque parente vere nobili ac cive civili et originario antiquissimo procreati de iure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum, in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, realiter et integre, in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vero nobili genere ex utroque parente originario et antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem dapiferis in specie emanassent seu emanarent, et eisdem naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, vigore praesentium indulgemus. Ac singulos dapiferos praefatos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum, ubique locorum et ex quacumque, quantumvis urgentissimâ et inexcogitabili causâ et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum, rerumpublicarum, etiam Venetorum, et quorumcumque aliorum principum impositarum et imponendarum, pro tempore liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus. Ipsis dapiferis eorumque singulis quoscumque fructus et proventus ecclesiasticos, tam occasione pensionum annuarum ipsis vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus, condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, ut, illâ et eisdem praemissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs tamen rite, promoveri, et in illis etiam susceptis, aliàs rite, per eos ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus. Ac eosdem dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus ac vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus; ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque (non tamen feudalibus et emphyteuticis aut ecclesiasticis, vel ab Ecclesiâ acquisitis), ac sine praeiudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispositione, succedere, et illa donationis seu alio[1] quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia

[1] Infra loc. parall. pag. 212 *b* legitur *quique* (R. T.).

[1] Male edit. Main. legit *alios* pro *alio* (R. T.).

iura legitima et successiones ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo et reintegrando realiter et cum effectu; necnon ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia, publica vel privata etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac[1] clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, et ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, et postmodum charactere et ordinibus huiusmodi illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus administrationes et officia, etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae (non tamen in cathedralibus) ac dignitates (non tamen in eisdem cathedralibus post pontificalem maiores, nec principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi) fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in illis, recipere, et (dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur) quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae, ac etiam in formâ Brevis, pro illis expediendae, gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, quam in favorem litterarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari potuerunt[1], prout nostris familiaribus et continuis commensalibus etiam gratis dentur, ac concedantur, ac dari et concedi debeant, praecipimus et mandamus. Ac dapiferis praefatis et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam ad id per eos et eorum singulos eligendi aut eligendae, quascumque pensiones annuas eis eorumque singulis super quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ, secularium aut quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum, reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi aliàs semel vel pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, ac postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos et eorum singulos nominandis, quotcumque, quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs[2] tamen pensionum huiusmodi capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ quibus eisdem dapiferis reservatae seu reservandae fuerint, etiam absque beneficia huiusmodi obtinentium consensu, integre persolvendas seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, le-

1 Potius lege *ut* pro *ac*, ut infr. pag. 214 *a* (R. T.).

1 Legend. *poterunt* ut infr. pag. 224 *b* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *aliis* pro *aliàs* (R. T.).

vandos reservare, constituere et assignare valeant, ipsiusque[1] translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus; etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit,[2] illius effectu cumulative cos gaudere et potiri volumus; decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, redditiuum et proventuum huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore. Ac eisdem dapiferis, ut, ratione quarumcumque pensionum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de camerâ pro quolibet, tunc et pro tempore reservatarum ac reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis seu cassationis ipsarum pensionum[3] ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unicâ tantum[1] et virgine, recipere et retinere; postremo quod bona quaecumque ad dictos dapiferos et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore, vel ingenio, seu eorum industriâ, legitime tamen et licite, acquisita et acquirenda, etiam in Urbe eiusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minime subiaceant; sed ipsi dapiferi, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, testari, et aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

Executores huius Constitutionis designat.

§ 3. Praecipientes et mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae apostolicae et quibuscumque aliis spoliorum huiusmodi collectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus aut procuratoribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes dictorum dapiferorum desuper molestare audeant seu praesumant; ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis huiusmodi, servatis de iure servandis, faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore, nec eosdem da-

1 Videtur legend. *ipsique* pro *ipsiusque* (R.T.).

2 Supple ex loco parall. infra pag. 215 *b tam vigore aliorum privilegiorum, quam ex quocumque alio indulto et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam et concessionem impediri nolumus, sed*, etc. (R. T.).

3 Lectio defectiva ex loc. parall. infra pagina 216 *a* sic adimpletur *pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam*, etc. (R. T.).

1 Aptius infra legitur *tamen* pro *tantum* (R.T.).

piferos, eorumque aliquem, ad litteras super praesentibus conficiendas in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere;

Clausulae praeservativae.

§ 4. Easdemque praesentes, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent aut moderarent, quae a nobis et dictâ Sede pro tempore et de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas et reintegratas esse et censeri; sicque per quoscumque iudices etiam commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Litterae huiusmodi gratis expediantur.

§ 5. Et insuper dilectis filiis rescribendario et computatori collegii scriptorum litterarum apostolicarum, et aliis ad quos earumdem litterarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae et sub poenâ indignationis nostrae, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, mandamus, ut easdem praesentes et forsan alias litteras super praemissis omnibus, tam coniunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique in omnibus officiis, etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum plumbi et registri, absque aliquâ pecuniarum exactione etiam per viam compositionis faciendâ, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent, expediant et expediri faciant.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus eisdem praemissis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus aliàs per praesentes non intendimus derogare, ac regulâ nostrâ de praestando consensu in pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis ac registrandis, ac recolendae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri contra illegitimos, ac Pictaviensis concilii et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus provincialibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et monasteriorum, ecclesiarum, Ordinum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, aut camerae praedictae, ac quarumvis universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stabilimentis, usibus et naturis, decretis ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam pontificiis, quam imperialibus, regiis et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, superioribus ac personis et locis quibuscumque, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs forsan in contrarium

quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, inter alia disponentibus, quod beneficia Urbis nonnisi personis certis modo et formâ qualificatis et oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum militarium expresse professis, conferri et commendari soleant; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque: cum clausulis opportunis,

A censuris absolut. § 7. Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc.,[1] et in casibus regulae de insordescentibus, cum opportunâ illius, necnon alterius regulae de non tollendo iure quaesito, aliisque necessariis et opportunis derogationibus, quatenus opus sit, et quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium et singulorum maior et verior specificatio et expositio fieri possit in litteris, in quibus singulorum dapiferorum nomina et cognomina, ordines, qualitates, gradus, dioeceses, patriae et alia requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint, iuxta notulam per ipsos seu eorum deputatos confectam simul vel ad partem, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis, prout videbitur expedire, expediendis, etc.

1 Quae desunt supple ex pag. 218 *a* (R. T.).

Transumptorum fides. § 8. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, et sigillo et manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Et cum decreto, quod sola praesentis motusproprii nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra illud, regulâ quacumque contrariâ non obstante.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XIV kalendas septembris MDCLVI, anno II.

Dat. die 19 augusti 1656, pontif. anno II.

Nomina autem ipsorum dapiferorum sunt haec, quae sequuntur:

Ioannes Franciscus Christaldus Neritonensis, abbas S. Mariae de Veterana, noster dum cardinalatus honore fungebamur; comes Philippus Bentivolus, laicus Bononiensis, Caroli Ostiensis Medices; Gaspar Morellus clericus Romanus, Francisci Portuensis Barberini; Caelius Saracenus Senensis, Bernardini Sabinensis Spadae; Paulus Lucidus, laicus Spoletanus, Iulii Tusculanensis Sacchetti; Raphaël Florinus, clericus Bononiensis, iuris utriusque doctor, ac ipsorum dapiferorum deputatus, Marci Albanensis Ginetti, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; comes Franciscus Maria Ramazzottus, laicus Bononiensis, Aloysii S. Laurentii in Luciná Capponii; Antonius Theatinus, laicus Bononiensis, Ernesti Aldalberti S. Praxedis Harrach; Sylvius Antonius, clericus de Monte Bodio, Senogalliensis dioecesis, Antonii Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio Barberini; Ascanius de Alexandris, presbyter Romanus, iuris utriusque doctor, ac abbas S. Antonii, Hieronymi S. Mariae Transtyberim Columnae; Ste-

phanus Torretta, clericus de Caldarola, Camerinensis dioecesis, Ioannis Baptistae S. Petri ad Vincula Pallotti; Michaël Burius, canonicus cathedralis Viterbiensis, Francisci Mariae Ss. XII Apostolorum Brancaccii; Dominicus Vicus laicus Æxinus, Alexandri S. Sabinae Bichii; Benedictus Marinuccius, laicus Urbinatensis, Ulderici S. Anastasiae Carpinei; Alexander Faustus, clericus de Monte Ulmi, Firmanensis dioecesis, Marci Antonii S. Mariae de Pace Franciotti; Benedictus de Benedictis, laicus Urbinatensis, Stephani S. Laurentii in Pane et Perna Durazzi; Bernardus de Rubeis, Mediolanensis, Ascanii S. Mariae de Aracaeli Filomarini; Hieronymus Roverellus, clericus Romanus, Marci Antonii S. Marci Bragadini; Vincentius Constantinus, clericus Nucerinus, Petri Donati S. Marcelli Caesii; Franciscus Maria Bovettus, presbyter de Barbara, Senogalliensis dioecesis, iuris utriusque doctor et protonotarius apostolicus, fratris Vincentii S. Clementis Maculàni; Germanus Germanus, clericus Fulginatensis, Francisci S. Hieronymi Illyricorum Montalti; Exuperantius Raphaëlius de Cingulo, Auximanensis dioecesis, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Fachenetti; Ioannes Paulus Palatius de Serra comitum Senogalliensis dioecesis, presbyter ac rector S. Mariae de Monte Bodio, iuris utriusque doctor, Hieronymi S. Eusebii Grimaldi; Lattantius Vaianus, presbyter Faventinae dioecesis, Caroli S. Sylvestri in Capite Rossetti; Petrus Ciminus, laicus Romanus, Francisci Angeli S. Caeciliae Rappaccioli; abbas Ioseph Absalon, iuris utriusque doctor, Veliternus, Francisci Adriani S. Prisciae Caevac; Vincentius Corradinus, laicus de Camerino, Angeli Ss. Quirici et Iulitae Giorii; Petrus Cecarellus, presbyter Forosempronensis, Ioannis S. Balbinae de Lugo; Bernardinus Attolanus, laicus Romanus, Dominici S. Sixti Cecchini; Franciscus Iulius, presbyter de Fabriano Camerinensis dioecesis, Nicolai S. Mariae Angelorum Ludovisii; Ioseph Honuphrius, clericus de Murro Senogalliensis dioecesis, iuris utriusque doctor, Petri Aloysii S. Martini in Montibus Caraffae; Philippus Ricciardellus, laicus Ariminensis, Alderani S. Pudentianae Cybo; Nicolaus Messinus, presbyter Urbevetanus, Fabritii S. Augustini Sabelli; Ioannes Franciscus Callimacus, laicus Romanus, Francisci S. Ioannis ante Portam Latinam Cherubini; Bernardinus Tubiolus, clericus Tudertinus, Camilli S. Petri in Monte Aureo Astallii; Franciscus Cusmet de Bois Roger, Parisiensis dioecesis, Ioannis Francisci Pauli de Retz; Iacobus Ambrosinus, laicus Ravennatensis, Ioannis Hieronymi S. Honuphrii Lomellini; Carolus Vismar, laicus Mediolanensis, Aloysii S. Alexii Homodei; Philippus Zampettus de Giannettis, clericus Forosempronensis, Petri S. Salvatoris in Lauro Ottonis, Ioannes Philippillus Philippellus, clericus Romanus, Iacobi S. Mariae Transpontinae Corradi; Octavianus Auttoy, laicus Perusinus, Laurentii S. Chrysogoni Imperialis; Aurelius Massuccius, laicus Recanatensis, Giberti Ss. Ioannis et Pauli Borromaei; Iulius Guascus, clericus Romanus, Marcelli Stephani in Monte Caelio Sanctacrucii; comes Odoardus Macchirellus, clericus Imolensis, Baccii S. Agnetis Aldobrandini; Ioannes Rechius clericus Lucensis, Ioannis Baptistae S. Susannae Spadae; Franciscus Sylvius, presbyter, iuris utriusque doctor, Aquilanus, Prosperi S. Calixti Caffarelli; Dominicus Bartholus, laicus Lucensis, Francisci S. Mariae in Viâ Albitii; Claudius Bazzanus, clericus Mutinensis, Octavii sancti Bartholomaei in Insula Aquavivae, presbyterorum S. R. E. nuncupatorum; Antonius Gallus, laicus Auximanus, Theodori S. Mariae in Viâlatâ Trivultii; Ioseph Claudius, clericus Auximanus, Iulii S. Agathae

Gabriellii; Nicolaus Baldescus, laicus Perusinus, Virginii S. Eustachii Ursini; Iulius Florinus, laicus Regiensis, Raynaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Estensis; Ioannes Baptista Cagnolus, laicus Romanus, Vincentii S. Mariae in Cosmedin Costaguti; Romulus Ianuarius Caesenatensis, Stephani S. Gregorii Donghi; Augustinus de Augustinis, canonicus Assisiensis, Petri Æmilii S. Mariae in Acquiro Rondanini; Leonardus Martellinus, laicus Florentinus, Ioannis Caroli S. Mariae Novae Medices; Antonius Nerius, laicus Ariminensis, iuris utriusque doctor, Federici Ss. Viti et Modesti Sfortiae; Felix Bonafides, clericus Firmanus, Benedicti Ss. Cosmae et Damiani Odescalchi; Petrus Vivianus, presbyter Romanus, iuris utriusque doctor, Christophori Ss. Nerei et Achillei Vidman; Ioseph Ferrantes, clericus Tudertinus, Laurentii S. Angeli in Foro Piscium Raggii; Andreas Malacarius, laicus Anconitanus, Francisci S. Mariae in Porticu Maldachini; capitaneus Nicolaus Darcurt, laicus Levonburgensis, Tarvisinae dioecesis, Friderici de Hassia; Caesar Carbonus, clericus Veliternensis, Caroli S. Caesarei Barberini; Antonius Pellegrinus, clericus Romanus, Caroli S. Mariae in Domnica Pii; Franciscus Gentiluccius, presbyter de Monte Cassiano, Recanatensis dioecesis, Caroli S. Pancratii Gualterii; Ioseph Valentes, presbyter a Monte de Rovo, Montis Alti dioecesis, Decii S. Adriani Azzolini, diaconorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum.

CXXXIX.

Gratiae et privilegia conclavistis postremi conclavis concessa.

Alexander Papa VII,
motu proprio, etc.

Prooemium. Nos, volentes dilectos filios conclavistas, qui conclavi, in quo divinâ favente clementiâ ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus uti familiares et continui commensales inservientes interfuerunt, quique eâdem causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiusque meritis exornare, ipsosque[1] conclavistas (quibus hodie ac aliis participantibus descriptis in rolo seu divisione subscriptâ, per dilectum filium Iacobum S. Mariae Transpontinae, sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Corradum nuncupatum, prodatarium nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot locorum montium seu officiorum vacabilium ad nos spectantium gratiose donavimus) in veros, indubitatos et non fictos familiares et continuos commensales nostros;

Conclavistarum privilegia. § 1. Ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitale iudicaverint, in nostros et Sedis Apostolicae notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum de numero participantium notariorum, recipimus; et tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites et tam illos, quam omnes et quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis, vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti petierint, ve-

1 Aptius lege *ipsos* (R. T).

ros cives ad instar et nullà prorsus differentià inter eos et singulos alios veros, originarios et antiquissimos, etiam nobiles, et participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et assignamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarium et continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum et Sedis praedictae notariorum, palatii et aulae praedictorum comitum, militum et nobilium, ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris et indubitatis et non fictis familiaribus continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibus, nobilibus, militibus et civibus deinceps haberi volumus, ac reputari mandamus.

§ 2. Eisque ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam separatim seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos commensales, nostrosque[1] comites, milites, nobiles et cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae huiusmodi subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque ac prorsus similibus antelationum antelationibus, praerogativis[2], privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rochettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictorum comites, milites, nobiles etiam originarii, ac antiquissimi cives eiusdem Urbis, vel civitatis quam, ut praefertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere, libere et licite valeant realiter et integre in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere, et ex utroque parente nobili originario ac antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, auctoritate et tenore similibus indulgemus.

Ab onerum quorumcumque solutione liberat.

§ 3. Nosque conclavistas praedictos a solutione et exactione decimarum et cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae et cuiuscumque oneris, tam ordinarii, quam extraordinarii, ubique locorum, et ex qua-

1 Supra in loc. parall. pag. 204 *b* legebatur *commensales nostros et* (R. T.).

2 Supra, ibid., legebatur *antelationibus, antelationum praerogativis* (R. T.).

cumque quantumvis urgentissimà et inexcogitabili causà et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, et aliorum quorumcumque principum impositarum et imponendarum pro tempore, ex nunc prout ex tunc et e contra, et postquam casus huiusmodi impositionis et solutionis evenerit, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus; districtius inhibentes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis, ac quibuscumque aliis officialibus camerae praedictae, et exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum et honerum huiusmodi, ac aliis personis, cuiuscumque ecclesiasticae vel secularis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, seu super praemissis, eorumve usu, possessione, vel quasi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio molestare, vel aliàs quomodolibet impedire quoquo modo praesumant.

A censuris absolvit.

§ 4. Necnon omnes eosdem conclavistas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in constitutionibus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis vel aliàs quomodolibet incurrerunt, in foro conscientiae tantum absolvimus et liberamus.

Defectus supplet.

§ 5. Ac omnes et quoscumque defectus, si qui forte sint, omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum ac permutationum eorumdem conclavistarum, tam ex multiplicitate titulorum ac ob incursionem quarumcumque censurarum et irregularitatis, quam aliàs ex quavis causà provenientes, sanamus, ac huiusmodi provisiones vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiae tantum, periude ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, et, quatenus opus sit, omnibus et singulis dignitatibus, et aliis cum curà et sine curà beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis et nuncupatis, etiam cuiusvis Ordinis regularibus, per eos respective obtentis, de novo etiam respective providemus, et omnes et singulas pensiones, eis et eorum singulis super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum et[1] nuncupatorum, etiam alicuius Ordinis regularium, fructibus, etc., respective reservatas[2] similiter de novo reservamus.

Fructus male percepto condonat.

§ 6. Ipsisque conclavistis, eorumque singulis, quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatuum et praebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque et quarumcumque pensionum annuarum, ipsis vel eorum cuilibet collatorum et reservatorum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus et occasionibus, etiam ratione ommissionis recitationis horarum canonicarum, indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus.

Alia privilegia concedit.

§ 7. Ac cum eis super inhabilitate ac irregularitate per eos propterea quomodolibet contractà, vel etiam ex eo quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, quodque illà et aliis praemissis non obstantibus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs rite, et dummodo nullum aliud alicui eorum obsit canonicum impedimentum, promoveri, et in illis, et in susceptis per eos aliàs rite ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare,

1 Ed. Main. legit *etiam* pro *et* (R. T.).
2 Erron. ed. Main. legit *reservatis* (R. T.).

etiam libere et licite valeant, dispensamus. Ac eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi aliàs legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus; et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispensatione[1], et praeterquam in bonis ecclesiasticis et ab Ecclesiâ provenientibus, succedere, et illâ donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, et ad aequales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia iura, legitimas successiones[2], ex testamento vel ab intestato, haereditates, legata, libertates restituendo, realiter et cum effectu, ac ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia publica vel privata etiam assumi, illaque gerere et exercere in omnibus et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut clericali charactere, qui illo nondum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere et ordinibus huiusmodi illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae ac[1] dignitates (non tamen maiores post pontificalem in cathedralibus, aut principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi) fuerint, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illas[2], et instituantur in eisdem, recipere, et (dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur), quoad vixerint, retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, et quaevis aliae litterae apostolicae provisionum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum huiusmodi, prout nostris familiaribus continuis commensalibus, gratis dentur, concedantur et expediantur, ac etiam litterae ipsae in formâ Brevis, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, quam aliàs, uti[3] illis super provisionibus quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur et expediantur, ac dari, concedi et expediri omnino debeant, praecipimus et mandamus. Ac conclavistis praedictis, qui S. Ioannis Hierosolymitani seu cuiusvis alterius militiae regularis etiam expresse professi sunt, ut, etiamsi ab eorum conventu absentes existant, dum tamen quinquennalem seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint et consueta servitia praestiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, et quarumvis pensionum ac commendarum eorum militiae seu religionis capaces existant, perinde ac si in eâdem militiâ seu religione antianitatem de institiâ consequuti fuissent, similiter indul-

1 Supra pag. 205 *b* legitur *dispositione* (R. T.).
2 Supra loc. parall. pag. 206 *a* legitur *iura legitima et successiones* (R. T.).

1 Coniunct. *ac* nos addimus (R. T.).
2 Aptius pag. 206 *a* legitur *illa* (R. T.).
3 Supra pag. 206 *a* legit *ubi* pro *uti* (R. T.).

gemus. Eisdemque conclavistis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum vel cathedralium, seu duarum insignium Urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personae aliae quaecumque ecclesiasticae constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas, eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per S. R. E. cardinales obtentorum, et in posterum obtinendorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum, reservatos seu reservandos[1], etiamsi semel vel pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ similium, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare[2] et extinguere, et postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere tunc temporis nondum insignitis, cum clausulâ tamen *ex tunc prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint*, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs tamen pensionibus capacibus[3], similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ quibus eisdem conclavistis reservatae seu reservati fuerint, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas[1], ac per eos propriâ auctoritate percipiendas, exigendas et levandas[2] reservare, constituere, concedere et assignare valeant, praefatique translatarii in quasi possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus pariter et indulgemus; etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam et concessionem impediri nolumus, sed cumulative concessam vel concessas esse volumus, itaut quilibet eorum cumulative et ampliative praedictis facultatibus praesentibus et praeteritis privilegiis hac in re concessis uti, frui et potiri possint; decernentes ipsas translationes et novas reservationes et assignationes pensionum, seu fructuum, redditũum et proventuum huiusmodi, ut praefertur, faciendas, ex nunc prout postquam factae fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore. Ac cum[3] eisdem conclavistis, quod, ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, etiam in cathedralibus et aliis ecclesiis seu monasteriis, etiam a praedictis S. R. E. cardinalibus, et ut praefertur, obtinendis, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra

1 Plenius legitur supra loc. parall. pag. 206 *b reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos* (R. T.).

2 Ed. Main. legit *cessare* pro *cassare* (R. T.).

3 Lege potius *aliàs tamen pensionum huiusmodi capacibus* (R. T.).

1 Sup. p. 206 *b* additur *seu persolvendos* (R. T.).

2 Ibid. additur *ac percipiendos, exigendos, levandos* (R. T.).

2 Particula *cum* delenda (R. T.).

summam ducatorum ducentorum parium pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras ac etiam privationis seu cessationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium iam contraxerint, vel postbac contrahere voluerint, cum unicâ tamen et virgine, recipere et libere retinere; postremo quod bona quaecumque ad dictos conclavistas et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet et quovis quaesito colore vel ingenio seu eorum industriâ, legitime tamen ac aliàs licite, acquisita ac acquirenda, etiam in Urbe eiusque districtu ac ubique existentia, spoliis minime subiaceant, sed conclavistae praedicti, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum et cuiuslibet ipsorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari et aliàs disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus. Praecipientes et mandantes eisdem S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis camerae nostrae praedictae, et quibusvis aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus aut prioribus, et quibusvis aliis personis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque gradus, status, ordinis et praeeminentiae, etiamsi speciali notâ digni existant, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praefatorum conclavistarum desuper molestare audeant seu praesumant; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti et codicillorum, per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore; nec eosdem conclavistas, eorumve aliquem, ad litteras super praesentibus conficiendas[1] in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi illae intra tempus legitimum insinuatae, admissae seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere;

§ 7. Ac easdem litteras, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent seu moderarentur, quae a nobis et dictâ Sede et pro tempore et de quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus vel in posterum emanaverint, minime comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt, toties easdem in pristinum statum restitutas, repositas et reintegratas esse et[2] censeri; Clausulae praeservativae.

§ 8. (Et insuper, cum dilectus filius Augustinus Taurellus, clericus Lunensis, Sarzanensis, ac dilecti filii nostri Hieronymi S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbyteri Augustinum Taurellum conclavistarum privilegiis gaudere decernit.

1 Male ed. Main. legit *conficiendum* (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

cardinalis Columnae nuncupati, et protectoriae Germanicae et Aragoniae auditor, tamquam dictorum conclavistarum procurator, in praemissis sedulam pro ipsis operam navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum et obsequiorum nobis et Sedi Apostolicae impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi, eidem Augustino, licet, in conclavi praedicto non intervenerit, nihilominus, ut omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, praerogativis, praeeminentiis, indultis, exemptionibus, ceterisque praemissis, non tamen quoad participationem decem millium scutorum auri huiusmodi per nos, ut supra, dictis conclavistis donatorum, et inter eos, ut praefertur, distributorum seu distribuendorum, tamquam conclavista frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si conclavi huiusmodi vere et realiter interfuisset, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque supradictis et aliis contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientiâ et auctoritate similibus de speciali gratiâ indulgemus);

Clausula sublata.

§ 9. Sicque per quoscumque iudices etiam commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causâ, sublatâ aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque, etc., attentari.

Expeditionem litterarum gratis concedi mandat.

§ 10. Et insuper venerabili fratri nostro Francisco episcopo Portuensi et S. Ruffinae cardinali Barberino nuncupato, S. R. E. vicecancellario, et litterarum apostolicarum summatori, necnon dilectis filiis secretariis apostolicis, praesidenti plumbi, aliisque officialibus, ad quos litterarum earumdem desuper conficiendarum expeditio per eamdem viam secretam spectat et pertinet, et sub poenâ indignationis nostrae, motu simili et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine paribus, etiam mandamus, ut etiam easdem litteras super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam separatim, pro singulis, quibus concessa fuerunt, ac seorsim et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis etiam quoad compositionem in datariâ nostrâ et per viam secretam absque alio mandato expediant et expediri faciant.

Conclavistarum privilegia confirmat.

§ 11. Insuper omnia et singula privilegia, gratias et concessiones eisdem conclavistis, et eorum cuilibet, a diversis summis Pontificibus praedecessoribus nostris hucusque concessa, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus confirmamus et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus.

Derogat contrariis.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de praestando consensu in praesentibus, et felicis recordationis Pii Papae IV de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Pii V, Romanorum Pontificum nostrorum, contra illegitimos, necnon Pictaviensis concilii, ac nostris et cancellariae praedictae regulis, etiam in crastinum assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in praedictâ cancellariâ publicatis, etiam in universalibus vel provincialibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, etiam urbis Romae, ac aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, camerae praedictae, et quarumvis universitatum, etiam iuramento, confirmatione, etc., roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis et novis reformationibus, etiam legibus, tam pontificiis quam im-

perialibus, regiis et ducalibus, ac sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis et locis quibuscumque, in genere vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium concessis, confirmatis, approbatis et innovatis iuribus omnibus; quibus omnibus, etc., etiamsi de illis, etc., eorum tenores, etc., hac vice dumtaxat, specialiter et expresse motu pari derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis, et cum absolutione a censuris ad effectum, etc.

Sequitur derogatio contrariorum. § 13. Quod obstantiae etiam beneficiales conclavistarum, ac ab eis subrogat. et dispensat., ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint in litteris et in casibus regulae de insordescentibus, cum opportunâ illius, necnon alterius regulae de non tollendo iure quaesito, derogatione, et quarumcumque aliarum constitutionum apostolicarum et conciliorum etiam generalium et statutorum, stabilimentorum, usuum, naturarum, constitutionum synodalium, statutorum ac privilegiorum populi Romani, et Cluniacensis, Cisterciensis, S. Benedicti, S. Augustini, et aliorum Ordinum et militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, et ecclesiis, monasteriis, civitatibus, et locis, et personis, et dominis temporalibus, sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et decretis, etiam consistorialibus, etiam contra alienigenas et alias personas certis modis non qualificatas, aut aliàs quomodolibet concessis, quorum tenores, etc., latissime, ac de verbo ad verbum, prout ipsis conclavistis magis placuerit, exprimi possint, et cum suspensione quarumcumque gratiarum indultorum quibusvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia ecclesiastica etiam reservata ad eorum collationem, etc., pertinentia, et in omnibus aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissime extenden., ita ut omnia tollantur, et quod sola praesentis motua[1] proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, regulâ contrariâ non obstante, et quod praemissorum omnium et singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, in quibus singulorum conclavistarum nomina et cognomina, qualitates, ordines et gradus, dioecesis, patriae, et cetera requisita exprimi et describi, seu pro expressis et descriptis haberi possint; inter eos, sacrista et magistri caeremoniarum cappellae nostrae, necnon secretarius collegii eorumdem cardinalium, et ceteri alii in notulâ per ipsos magistros caeremoniarum factâ et descriptâ annotati et descripti comprehendantur et adnotentur simul vel ad partem, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis, prout videbitur expedire.

Transumptorum fides. § 14. Volumus autem quod litterarum super praesentibus conficiendarum transumptis, impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, XIV kalendas septembris anno II.

Dat. die 19 augusti, pontif. anno II.

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec quae sequuntur:

Reverendissimus dominus Thaddaeus

[1] Ed. Main. legit *motu* (R. T.).

Altinus Camers, episcopus Castellanus et Hortanus, sacrista noster; Franciscus Maria Phoebeus, canonicus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, presbyter Urbevetanus; Carolus Vincentius Carcarasius, presbyter Romanus et perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum; Fulvius Servantius, presbyter de S. Severino, canonicus collegiatae ecclesiae Ss. Celsi et Iuliani de Urbe; Petrus Antonius della Pedacchia, presbyter Romanus, perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe; Christophorus Faccialieta, presbyter Romanus, magistri caeremoniarum; comes Federicus Ubaldinus, Civitatis Castelli, perpetuus beneficiatus basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sacri collegii secretarius; Michaëlangelus Boncius, presbyter civitatis Clusii; Flaminius Valla, clericus Regiensis, noster, dum cardinalatus honore fungebamur[1]; marchio Carolus Gerinus clericus coniugatus Florentinus, comes Carolus Bentivolus laicus Florentinus, Vincentius Gianninus laicus Florentinus, Caroli Ostiensis Medices; Franciscus Cerrus Romanus clericus coniugatus, Angelus Parracianus presbyter Clusinae dioecesis, basilicae Lateracensis canonicus, Francisci Portuensis Barberini; Franciscus Beriolus de Nostris clericus Tifernas, Carolus Cinaglia clericus Perusinus, Ioannes Maria Baldus Camerinensis, Bernardini Sabinensis Spadae; Carolus Vannus presbyter Urbinatensis, Vitus Vennierius presbyter Recanatensis, Iulii Tusculanensis Sacchetti; Iulius Caesar Porrus clericus Neapolitanus, Dominicus Salvius de Plobio Caliensis dioecesis, Martii Albanensis Ginetti, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; Castracanus de Castracanis presbyter Caliensis, Sebastianus Casinus clericus Florentinus, Carolus Durantus laicus Aretinus, Aloysii S. Laurentii in Lucina Capponii; Ioannes Baptista Barsottus Lucensis praepositus, Ioannes Georgius burghemaister de Wainfrestoin laicus Pragensis, Crescentius Bindus laicus a Grosseto, Ernesti Aldelberti S. Praxedis Harrach; Melchisedech Thevenst clericus Parisiensis, Ioannes Antonius Costa abbas et presbyter Genuensis, Franciscus Bulus Romanus presbyter, Antonii Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio Barberini; Robertus Capizuchius presbyter Romanus, Dominicus de Sanctis presbyter Anagninae dioecesis, Ioseph Picus clericus coniugatus Civitatis Ducalis, Petrus Franciscus Cagnolus presbyter Praenestinae dioecesis, Hieronymi S. Mariae Transtyberim Columnae; Franciscus Turcus presbyter S. Severini, Ioannes Baptista Paulonius de Caldarola presbyter Camerinensis dioecesis, Dominicus Picca presbyter de Calderola Camerinensis dioecesis, Ioannis Baptistae S. Petri ad Vincula Palleotti; Marcus Antonius Perronus abbas et presbyter Rossanensis, Archangelus de Paulis laicus Eugubinus, Valerius Aleronus presbyter Romanus, Francisci Mariae Ss. XII Apostolorum Brancaccii; Caelius Piccolomineus clericus Senensis, Alexander Scarlattus presbyter Florentinus, Hieronymus Gaius laicus Cavallicensis, Alexandri S. Sabinae Bichii; Hieronymus Fabrius clericus Ariminensis dioecesis, Ioannes Baptista Riccchelinus presbyter Niciensis, Ulderici S. Anastasiae Carpinei; Iacobus Cinamius clericus Lucensis, Marcus Antonius Romagnolus clericus Foroliviensis, Marci Antonii S. Mariae de Pace Franciotti; Iacobus Gamba clericus Ravennatensis, Petrus Paulus Rosciolus clericus a Bassanello Hortanae dioecesis, Flaminius Antichus laicus Urbaniensis, Stephani S. Laurentii in Pane et Perna Duratii; Carolus Leolus Ariminensis, Ioannes Petrus Previtalis

[1] Subintellige hic et in seqq. *familiaris* vel aliquid simile (R. T.).

presbyter Romanus, Franciscus de Benedictis Senogalliensis dioecesis, Ascanii S. Mariae de Aracaeli Filomarini; Iacobus Cinus Politianus presbyter Vicentinus, Amadeus Ferrianus clericus Vicentinus, Marci Antonii S. Marci Bragadini; Hiacynthus Dardolus clericus Narniensis, Claudius Carcarasius laicus Romanus, Petrus Bizzanus presbyter Mediolanensis, Petri Donati S. Marcelli Cacsii; Hieronymus Prophyrius abbas et presbyter Camerinensis, Franciscus Cataneus clericus Mediolanensis, Francisci Vincentii S. Clementis Maculani; comes Hercules Oddus eques Ordinis Calatravae, Perusinus clericus coniugatus, Iacobus Puccius clericus Romanus, Philippus Baldescus clericus Nucerinus, Francisci S. Hieronymi Illyricorum Montalti; Ioannes Baptista Petramellara presbyter Bononiensis, Ioannes Coriolanus Osius laicus Florentinus, Flaminius Iustus clericus Tiburtinus, Caesaris Ss. Quatuor Coronatorum Fachenetti; Philippus Gouzzeus presbyter Parisiensis, Petrus Franciscus Palatius de Serra comitum Senogalliensis dioecesis, Hieronymi S. Eusebii Grimaldi; Gerardus Rosellus presbyter Mutinensis, Terentius Duranus clericus de Monte S. Martini Firmanae dioecesis, Caroli S. Silvestri in Capite Rossetti; Sebastianus Baldinus clericus Romanus, Bernardinus Zanardus Romanus clericus coniugatus, Franciscus Valentinus Urbevetanus clericus, Francisci Angeli S. Cacciliae Rapacioli; Honuphrius Gualfreduccius clericus Pistoriensis, Ioannes Baptista Biscus presbyter dioecesis Urbaniae, Paulus Panzirolus Romanus coniugatus, Francisci Adriani S. Priscae Cevae; Franciscus Pollinus presbyter Camerinensis, Ioannes Baptista de comitibus ab Arpino Soranensis dioecesis, Angeli Ss. Quirici et Iulittae Georgii; Paulus Bonafaccia presbyter Romanus, Ioannes Baptista Sartinara presbyter Mediolanensis, Octavius Ægidius a Tolentino, Ioannis S. Balbinae de Lugo; Nestor Rita clericus de Leonissa Reatinae dioecesis, Nicolaus Bassius presbyter de terra Pedemontis Aliphanae dioecesis, Gabriel a Portà de Villafranca Sarzanensis dioecesis clericus, Dominici S. Sixti Cecchini; Carolus Sanclarellus abbas et clericus a Saxoferrato, Ioannes Claudius Marinus Pedemontanus laicus, Nicolai S. Mariae Angelorum Ludovisii; Philippus Caesarinus presbyter Nolanus, Christophorus Blancus clericus Ariminensis, Hieronymus Lancia laicus Firmanus, Petri Aloysii S. Martini in Montibus Caraffae; Franciscus Ravizza clericus Urbevetanus, Iacobus Girod a Burgundia Mignovillars laicus, Alderani S. Pudentianae Cybo; Petrus Paulus Grappolinus clericus Romanus, Ioannes Simon Siranus clericus Perusinus, Fabritii S. Augustini Sabelli; Ioannes Angelus Elisius de Montebodio Senogalliensis dioecesis, Ioannes Baptista Ferruttus de Montebodio Senogalliensis dioecesis, Francisci S. Ioannis ante Portam Latinam Cherubini; comes frater Gaddus de Elcis Pannocescus eques Hierosolymitanus, Senensis, Ioannes Baptista Verzellius a Sambuco Tiburtinae dioecesis, Camilli S. Petri in Monte Aureo Astallii; Guglielmus Carrier clericus Gallus Lugdunensis dioecesis, Guido Gioli Parisiensis clericus, Claudius Imbert coniugatus Parisiensis, Simon Cinettus laicus Parisiensis, Ioannis Francisci Pauli de Retz; Ioannes Baptista Ursus clericus Foroliviensis, Franciscus Maletta clericus Ferrariensis dioecesis, Ioannis Hieronymi S. Honuphrii Lomellini; Octavius Spada abbas et presbyter Interamnensis, Andreas Thomassinus a Monte Sancto Vito Senogalliensis dioecesis, Aloysii S. Alexii Homodei; Ioannes Carolus Valentinus presbyter Reatinus, Petrus Paulus Pontinus clericus Terrae Setiae Terracinensis dioecesis, Petri S. Salvatoris in Lauro Otto-

boni; Rodulphus Dulcinus clericus Bononiensis, Ioannes Gregorius Ardizzonus presbyter a Tabio Albiganensis dioecesis, abbas, Iacobi S. Mariae Transpontinae Corradi; Bernardus Capuccius Romanus clericus coniugatus, Franciscus Papadorus a Francovillâ Oritanae dioecesis, Laurentii S. Chrysogoni Imperialis; Iulius Caesar Beagnius clericus Mediolanensis dioecesis, Franciscus Scitta Ferrariensis dioecesis, Giberti Ss. Ioannis et Pauli Borromaei; Æmilius Vincius presbyter Firmanus, Carolus Guallius Romanus coniugatus, Marcelli S. Stephani in Monte Caelio Santacrucii; Ludovicus de Sanctis clericus Ripanus, Vincentius Barteus de S. Angelo in Vado, Baccii S. Agnetis Aldobrandini; Iacobus Leo clericus Romanus, Carolus Donatus Veter clericus Romanus, Mediolanensis, Ioannis Baptistae S. Susannae Spadae; Guarnerius de Guarneriis clericus Auximanus, Franciscus Caesarinus a civitate Theatinâ laicus, Prosperi S. Calixti Caffarelli; Carolus de Marchis presbyter Asculanus, Andreas Littus a Castro Plebis Lucerinensis dioecesis, Francisci S. Mariae in Via Albitii; Hieronymus Silenlius a Castro Fidardo Lauretanae dioecesis, Carolus Gendardinus clericus Lauretanus, Octavii S. Bartholomaei in Insulâ Aquavivae, presbyterorum S. R. E. nuncupatorum; frater Marcus Antonius Muggianus eques Hierosolymitanus, Mediolanensis, Albertus ab Indruch clericus Coloniensis, Matthaeus Bacconus clericus Anglus, Theodori S. Mariae in Viâ Latâ Trivultii; Iulius Papettus ab Ortezano presbyter Firmanae dioecesis, Matthias de Riccis clericus Pisanus, Iulii S. Agathae Gabriellii; marchio Franciscus Ursinus clericus coniugatus Romanus, Livius canonicus de Scandolia Sabinensis dioecesis, Ioannes Baptista Ghilionus laicus Lanuensis, Virginii S. Eustachii Ursini; comes Hieronymus Gratianus clericus de Pergola Eugubinae dioecesis, comes Hector Molza presbyter Mutinensis, Alexander Mazzinius clericus Regiensis, Raynaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Estensis; Carolus Mussus Rutilianensis clericus Conversanensis dioecesis, Ioannes de Rubeis presbyter a Paliano Praenestinae dioecesis, Vincentii S. Mariae in Cosmedin Costaguti; Ludovicus Tingolus coniugatus Ariminensis, Dominicus Savettus abbas clericus Gualdensis Nucerinae dioecesis, Stephani S. Georgii Donghi; Michaëlangelus de Brunamontibus a Canaria Assisiensis dioecesis, Ioannes Antonius Strachicius coniugatus a Canaria Assisiensis dioecesis, Petri Æmilii Mariae in Aquiro Rondanini; comes Franciscus de Monteacuto eques S. Stephani Florentinus, Verus de Castiglione eques sancti Stephani Florentinus, Franciscus Cicogninus presbyter Pratensis, Ioannis Caroli S. Mariae Novae Medices; Iacobus Antonius Serperius presbyter Romanus, Ioseph Lonus clericus coniugatus ab Alviano Amerinae dioecesis, Sebastianus Brusiatus Casalensis dioecesis, Federici Ss. Viti et Modesti Sfortiae; Franciscus Gherius de Sociis presbyter Perusinus, Marcus Antonius Odescalcus presbyter Comensis, Benedicti Ss. Cosmae et Damiani Odescalchi; Camillus del Corno clericus Tarvisinus, Petrus Iacobus Pinellus Romanus laicus, Christophori Ss. Nerei et Achillei Vidman; Hieronymus Lupus presbyter a Rovigo Adriensis dioecesis, Franciscus Camerata a Vernaza Sarzanensis dioecesis, Laurentii S. Angeli in Foro Piscium Raggii; Carolus Eustachius clericus coniugatus Romanus, Medardus Spera a Rocca Contrada clericus, Ioannes Angelettus presbyter Amerinus, Francisci S. Mariae in Porticu Maldalchini; Carolus Pancoly civitatis Castri Veteris, Ilieracensis dioecesis, frater Hiacynthus Carduccius eques Hierosolymitanus, Ro-

manus, Stephanus Vacherot civitatis Divionis[1] in Burgundia laicus coniugatus, Friderici de Hassia; Ioannes Baptista Verus presbyter Venetus, Ludovicus Pictri laicus Urbinas, Caroli S. Caesarii Barberini; Æmilius Sibonius presbyter Romanus, Hieronymus Brasavola Ferrariensis, Caroli S. Mariae in Domnica Pii; Ioannes Baptista Phoebeus Urbevetanus, Antonius Sorreca a Monte Georgio presbyter Firmanae dioecesis, Caroli S. Pancratii Gualterii; Victorius Montanus presbyter Tudertinus, Dominicus Simoncellus laicus Cornetanus, Decii S. Adriani Azzolini, diaconorum S. R. E. cardinalium nuncupatorum; frater Carolus Bonettus, Ordinis sancti Augustini, cum dicto sacristâ; Nicolaus Zucchius e Societate Iesu, Parmensis, confessarius; Matthaeus Parisius de Benandis Materanensis dioecesis, Antonius Maria de Rubeis Ravennatensis, medici physici; Ioannes Trullius Verulanus, chirurgus; Ioannes Baptista Paulutius Pisaurensis, aromatarius; Franciscus Maria Servitius de Monte Baroccio Pisaurensis, Nicolaus Martinus de Tolentino, eius auxiliatores; abbas Ioseph Palmerius clericus Romanus, custos fontis et aquarum conclavis; Antonius Rosellus Firmanus, Dominicus Altimanus de Vignola Mutinensis dioecesis, barbitonsores; Fabritius Angelinus Ariminensis, Petrus Galluppus Faventinus, eorum auxiliatores; Franciscus Gualdus, faber lignarius; Ioannes Maria Surisius, faber caementarius; Ioannes Baptista Celsius Romanus seu Tiburtinus, familiaris magistrorum caeremoniarum; Laurentius Biranellus de Montebodio Senogalliensis dioecesis, famulus secretarii collegii; Georgius de Angelis Anagninus, Petrus Paulus Guinettus, Bartholomaeus Tognettus, Carolus Antonius Guinettus, Ioannes Baptista Guinettus, Antonius Salla, Ioannes Paulus Gratiolus, Paulus Barozzus, Antonius Cambropus, Gaspar Smit, Ioannes Morellus, Fulvius Girottus, Petrus Brancus, Dominicus Bencia Spetta, Franciscus Menichinus, Antonius Selvaggius, Dominicus Leo Angelus, Franciscbinus Rugerius, Bartholomaeus Curtus, Franciscus Campagna, Eusebius Gillus, Petrus Zucconus, Antonius Piscis, Paulus Antonius Brunus, Bernardus Gualaginus, scopatores conclavis.

[1] Edit. Maie. legit *Dyun*. (R. T.).

CXXX.

***Revocatio exemptionum a vectigalibus et aliis publicis oneribus*[1].**

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In sublimi Sedis Apostolicae fastigio[2] aequi bonique supremi assertores in terris a Domino constituti, officii nostri debitum reputamus, ut illa, quae publicae utilitati obesse, ac nostrorum et Romanae Ecclesiae in temporalibus subditorum, praesertim minus opulentorum, grave dispendium cedere compertum est, opportunae provisionis ministerio, ad iustitiae et aequitatis fines, quantum nobis ex alto conceditur, revocare studeamus.

Causa Constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, diversarum immunitatum et exemptionum a dohanarum, gabellarum, impositionum et vectigalium camerae nostrae apostolicae debitorum solutione, aliorumque publicorum onerum supportatione, per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem praedictam, et forsitan eius de latere legatos, et alios earumdem Sedis et camerae officiales et ministros, seu aliàs quomodolibet concessarum occasione, dicta camera, in gravissimis qui-

[1] Constitutiones in hac Bullâ allegatas invenies in rubricâ ad Constit. XLVI Innocentii X, tom. XV, pag. 416.

[2] Elegantissime edit. Maie. habet *fastidio* pro *fastigio* (R. T.).

bus ad praesens premitur[1] rerum et pecuniarum angustiis, maximam reddituum et proventuum suorum diminutionem patiatur, et plurimi subditi nostri, ac praecipue pauperiores (in quos eius, quod ceteris, iisque ut plurimum locupletioribus, per immunitates et exemptiones huiusmodi remittitur, onus derivari necesse est) ingenti damno propterea afficiantur:

Omnes et quascumque exemptiones concessas irritat.

§ 2. Hinc est quod nos, cameram et subditos nostros praedictos, quantum cum Domino possumus, sublevare, eorumque indemnitati consulere, ac unicuique iustitiam aequo libramine tribui volentes, ac felicis recordationis Sixti V, Pauli etiam V, Urbani VIII, ac Innocentii X, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui constitutiones similium exemptionum et immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum et exemptionum huiusmodi, litterarumque apostolicarum sub plumbo ac in simili formâ Brevis, cedularum motus proprii et chirographorum cuiusvis Romani Pontificis praedecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum litterarum et subscripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores etiam veriores et datas ac occasiones, et alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis respective habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, omnes et quascumque exemptiones et immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quarti illi adiuncti, quatrini carnis, taxarum equorum, talliarum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, taxae portus Anconae, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, collectarum, exactionum et quorumlibet onerum et munerum personalium, realium et mixtorum, ordinariorum, solitorum et insolitorum cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quae per communitates et universitates directe vel indirecte pro eorumdem onerum cameralium solutione, ac pro viis et pontibus construendis, muniendis et manutenendis, seu aliàs, indicta et imposita ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi et hospitandi milites et Sedis praedictae officiales, barigellos, executores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac eamdem Sedem Apostolicam, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros, quacumque auctoritate et potestate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et camerarios, ceterosque etiam speciali notâ et expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis communitatibus, universitatibus, civitatibus, terris, oppidis et locis ditionis temporalis sanctae Romanae Ecclesiae praedictae, ac etiam quibuscumque feudatariis, censuariis, dominis locorum, familiis, nobilibus, baronibus, comitibus, marchionibus, ducibus, principibus, et aliis cuiusvis gradus et conditionis, et quavis dignitate et auctoritate, etiam cardinalatus honore fulgentibus, qui castra et iurisdictiones intra limites dictae ditionis temporalis sanctae Romanae Ecclesiae possident, etiam qui nihil ratione castrorum et iurisdictionum huiusmodi Sedi praedictae annuatim seu aliàs persolvunt, et tam incolis quam extraneis et forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel semoventia ha-

1 Pessime eadem edit. legit *praemittitur* pro *premitur* (R. T.).

bentibus et tenentibus seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis et laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum vel meritorum, seu illorum intuitu et contemplatione, ac ex aliâ quacumque quantumvis urgentissimâ et de necessitate specialiter exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, etiamsi in appaltuum et locationum cameralium instrumentis promissum et cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodocumque et qualitercumque in genere vel in specie, ad vitam vel ad tempus, sive in perpetuum concessas et datas, ac pluries iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas et innovatas, et inde, etiam indicis auctoritate, secuta quaecumque, necnon quasvis litteras etiam apostolicas sub plumbo vel in simili formâ Brevis, motusproprii cedulas, chirographa et scripturas huiusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus et annullamus, viribusque et effectu penitus evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, irritata, abolita et annullata, viribusque et effectu penitus vacua esse, nec ulli in petitorio aut possessorio etiam summariissimo contra praesentium litterarum tenorem et dispositionem suffragari posse, sed praedictos omnes et singulos exemptos ad omnium onerum praedictorum solutionem et supportationem pro ratâ eos tangente in posterum realiter et cum effectu teneri in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae exemptiones et immunitates eis concessae non fuissent, nec litterae, ac cedulae motusproprii, chirographa et scripturae huiusmodi emanassent, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis decernimus, statuimus et declaramus.

Ecclesiasticorum privilegia ad iuris formam reducit.

§ 3. Praeterea omnia et quaecumque privilegia et indulta personis ecclesiasticis, et tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, ac Societatis etiam Iesu, regularibus, super similibus immunitatibus et exemptionibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, ad limites iuris communis, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis, reducimus. Illa vero, quae nonnullis collegiis in almâ Urbe nostrâ existentibus, per dilectos filios clericos regulares dictae Societatis Iesu sive alios quoscumque administrari consuetis, similiter a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, quoad victum et vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a *fondaco* et *magazzeno*, prout hactenus observatum fuit, suffragari volumus et decernimus.

Indulta consanguineorum Pontificum revocat.

§ 4. Ac demum similia privilegia et indulta nepotibus et aliis consanguineis vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro tempore viventium ab illis respective concessa itidem revocamus, ac revocata esse et censeri debere volumus; declarantes illa nemini eorumdem nepotum, sive consanguineorum, vel affinium a die nostrae ad summi apostolatus apicem asumptionis suffragari debere, seu debuisse.

Exemptiones de iure excipit.

§ 5. Per praemissa autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, de iure competentes, neque thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium dictae camerae nostrae, ab ipsâ camerâ, seu aliis illius nomine, in appaltuum et locationum instrumentis et illorum ratione concessas.

Ac insuper a revocationibus et aliis supradictis excipimus ac exceptas esse volumus et declaramus immunitates et exemptiones quibusvis communitatibus, universitatibus et personis datas et concessas in vim contractus ex causâ vere onerosâ, videlicet congruae et effectualis pecuniarum solutionis eidem camerae apostolicae vel ipsis communitatibus legitime[1] factae, vel ex aliis rationabilibus causis per nos cognoscendis et approbandis, ac etiam declarandis, quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas, ac licitas et honestas, prout de iure, approbare intendimus: et propterea, quicumque illas obtinent, eas in dictâ camerâ citato dilecto filio ipsius camerae commissario generali verificare[2], et in ipsâ camerâ examinari et admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earumdem immunitatum et exemptionum, ac litterae, cedulae, motusproprii, chirographa et aliae scripturae desuper emanatae et emanata aliàs in camerâ praedictâ admissae et admissa, ae in illâ eiusque libris registratae et registrata fuerint et sint; quatenus tamen causae onerosae huiusmodi pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem camerâ verificatae et approbatae ac iudicatae non sint; quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus; interim vero, et donec non fuerint verificatae, minime suffragari, et praesentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Praeterea nostrae intentionis non est sub revocationibus et aliis supradictis comprehendere immunitates et exemptiones eiusdem S. R. E. cardinalibus ratione dignitatis cardinalatus, necnon camerae praedietae clericis praesidentibus, aliisque cameralibus, qui in eâdem camerâ sederunt et sedent, concedi seu admitti solitas, nec illas quibus praelati et officiales Romanae curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti, ac secretarii et alii familiares, et continui commensales nostri et Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudent et gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum a praedecessoribus nostris et aliis supra expressis concessas; quas tamen ad terminos constitutionis recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri, et aliarum constitutionum apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro eo tempore et personis, ac eo modo et formâ, quibus de iure communi illis competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis ac supradictarum et aliarum constitutionum apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quam ut praefertur, sive in possessorio, sive in petitorio, suffragari volumus et decernimus.

Inhibet appaltatoribus, etc., ne admittant immunitates praeter exceptas in praesentibus, etc.

§ 6. Ceterum appaltatoribus, thesaurariis, depositariis, commissariis, exactoribus, et ceteris agentibus et ministris dictae camerae earumdem serie praesentium districtius inhibemus, ne, contra ipsarum praesentium dispositionem, immunitates et exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas, quas ex causâ onerosâ concessas in camerâ praedictâ, ut praemittitur, admitti contigerit, ullatenus admittant; et, si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eamdem cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites quascumque supprimit et extinguit.

§ 7. Postremo lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, necnon immunitatum et exemptionum huiusmodi quomodolibet suscitatas, et in quibusvis tribunalibus pendentes (illarum omnium et singularum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigan-

1 Male edit. Main. legit *legitimae* (R. T.).

2 Aptius *a citato .... verificari* (R. T.).

tium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, et alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes) a quibuscumque tribunalibus huiusmodi ad nos earumdem serie presentium avocamus, illasque penitus et omnino perpetuo supprimimus et extinguimus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in praemissis sive eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quavis quantumlibet legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu, occasione et capite etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aul impetrato seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium constitutionum ac revocationum et ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter observari,

§ 9. Sicque in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis Sedis et camerae praedictarum officiales et ministros, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praedictam Constitutionem observari mandat.

§ 10. Quocirca dilectis filiis nostris, ac S. R. E. praedictae camerario, seu procamerario, necnon vicecamerario, thesaurario, aut clericis praesidentibus, commissario, et aliis camerae praedictae officialibus, ad quos spectat, praecipimus et mandamus, ut praesentem nostram constitutionem, et in eâ contenta quaecumque, firmiter et inviolabiliter observent, et faciant ab aliis observari.

Contraria refellit.

§ 11. Non obstantibus supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus et singulis praemissis, necnon nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac, quatenus opus sit, praedicti Pii praedecessoris de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes in eâ praesentari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec-

non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuumpropriorum, et aliis scripturis et litteris etiam apostolicis, praedictis et quibusvis aliis, etiam, ut praefertur, qualificatis, ac speciali notâ et mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendae, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam contractus iurati cum camerâ nostrâ apostolicâ initi et camerali obligatione vallati et quovis alio robore et cautelâ firmatis [1], editis, seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum et immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus et constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita et reintegrata, ac etiam sub posteriori datâ per quascumque personas eligendâ de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et de de verbo ad verbum expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis insertis ac servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

[1] Ed. Main. legit *firmitatis* pro *firmatis* (R. T.).

§ 12. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et auctoritate apostolicâ decernimus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum et cancellariae apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quae sic publicatae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 augusti 1656, pontif. an. II.

CXXXI.

Confirmatio privilegiorum collegii protonotariorum de numero participantium, cum indulto ut etiam die sancti Petri et Pauli monetae aureae et argenteae eisdem dentur [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Ex Romani Pontificis supremi gratiarum dispensatoris in terris a Deo consti- Procemium.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

tuti[1] provenire convenit, ut personarum, quas eximiae erga ipsum et Sedem Apostolicam fidei gratorumque obsequiorum merita plurimum commendant, commodis et honore opportune consulatur.

Privilegia confirmat collegii protonotariorum.

§ 2. Volentes itaque collegium dilectorum filiorum nostrorum et dictae Sedis notariorum de numero participantium (a diversis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et praecipue felicis recordationis Sixto V, per suas sub plumbo nonis februarii anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, et Urbano VIII, per suas in simili formâ Brevis die v septembris MDCXXIX respective expeditas litteras variis privilegiis, honoribus et gratiis, praeeminentiis et praerogativis decoratum) specialis favore gratiae prosequi, et eorumdem notariorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon quorumcumque privilegiorum et indultorum, eidem collegio hactenus sub quibusvis verborum expressionibus et formis concessorum, praefatarumque litterarum tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, omnia et singula privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, favores, facultates, concessiones, emolumenta, praeeminentias, antelationes, praerogativas, decreta, declarationes et indulta quaecumque, tam a Sixto et Urbano praedictis, quam ab aliis quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, dicto collegio ac illius notariis huiusmodi tam antiquis quam novis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ut praemittitur, concessa (dummodo tamen sint in usu, ac revocata et sacri Concilii Tridentini decretis contraria non existant), earumdem tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus.

Numismata aurea et argentea notariis collegii dari praecipit ac mandat.

§ 3. Praeterea aurea argentaque numismata, non tantum die coronationis cuiuslibet Romani Pontificis, sed etiam quotannis die festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, prout dilectis pariter filiis camerae nostrae apostolicae clericis praesidentibus distribui et dari solet[1], duodecim memorati collegii notariis, et illorum singulis, in signum honoris similiter distribui et dari praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac praedicto collegio, eiusque personis pro tempore quandocumque existentibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus et singulis quae in supradictis Sixti et Urbani praedecessorum litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV septembris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 septembris 1656, pontif. anno II.

1 Aliquid deest ex gr. *cura vel sollicitudine* vel *providentia* aut simile (R. T.).

1 Aptius lege *solent* (R. T.).

CXXXII.

De transferendis pensionibus ecclesiasticis et condendis testamentis aliisque ultimis dispositionibus in Urbe ac eius districtu tempore suspicionis pestis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In supremo iustitiae throno per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, rationi consentaneum reputamus, ut iuris communis, statutorumque rigorem moderemur, et particularium indultorum solemnitates relaxemus, prout, rerum et temporum conditione perpensâ, in Domino censemus expedire.

§ 1. Cum itaque in praesenti pestis suspicione nonnullis in hac almâ Urbe nostrâ eiusque districtu degentibus personis formam in indultis transferendi pensiones annuas, quas super fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, etiam distributionibus quotidianis, reservatas obtinent, eis a Sede Apostolicâ seu aliàs canonice concessis, pro translatione huiusmodi praescriptam necnon ordinatam de iure civili ac per statuta eiusdem Urbis, aliorumque locorum eiusdem districtus, eorumque reformationes et novas additiones, pro testamentis condendis solemnitatem servare difficile sit, seu in posterum forsan difficile sit futurum:

Motiva. § 2. Nos, illorum commodis pro paterno nostro in eos affectu consulere cupientes, ac omnium et singulorum indultorum, necnon statutorum et reformationum, novarumque additionum huiusmodi tenores etiam veriores et datas, ac alia etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertis habentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut quicumque in Urbe eiusque districtu praedictis degentes, indulta transferendi pensiones supradictas ut praemittitur obtinentes, easdem pensiones coram sacerdote etiam regulari, ac etiam familiari, loco notarii publici, et duobus testibus, etiam in favorem ipsius sacerdotis, dummodo eo casu tertius testis adhibeatur, vel scriptura translationis a transferente subscribatur, servatâ in ceteris eorumdem indultorum eis respective concessorum formâ et dispositione, transferre libere, licite et valide possint et valeant, eâ lege tamen, ut duplicatum scripturae translationis huiusmodi intra octo dies abinde proximos ad archivium urbanum deferatur, alioquin translatio nulla sit eo ipso, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Disponit prout in rubricâ.

§ 3. Praeterea, ut in testamentis et quibuscumque aliis ultimis voluntatibus et dispositionibus, quae deinceps in eisdem Urbe eiusque districtu etiam a caecis fient, formam constitutionis felicis recordationis Alexandri Papae III praedecessoris nostri, quae incipit *Cum esses*, servari sufficiat, ita quod, loco parochi seu proprii presbyteri, adhiberi testamentis aliarumque dispositionum ultimarum factioni possit ipsius testantis seu disponentis confessarius etiam regularis, etiam quem testans seu disponens nunquam nisi in infirmitate, qua tunc laborat, confessionis causâ accersiverit vel adierit, aut, loco parochi et presbyteri vel confessarii, duo alii testes; utque ipsa testamenta, aliaeque ultimae voluntates et dispositiones praedictae, cum omnibus et singulis in illis quomodolibet contentis, sic in posterum facta, firma, valida et efficacia existant, suosque plenarios et integros effectus perpetuo habere debeant in omnibus et per omnia perinde ac si in illis requisita seu praescripta a iure civili et memoratis statutis eorumque reformationibus et novis additionibus forma et solemni-

tas plene et integre, nihil penitus omisso, servata fuisset, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine et tenore praedictis, statuimus, decernimus et ordinamus.

Praesentes effectum obtinere decem ab aperitione tribunalium dies decernit.

§ 4. Ceterum praesentes litteras, quoad translationes pensionum et testamenta aliasque ultimas voluntates et dispositiones, quae, donec Urbis praedictae tribunalia, quae nunc iussu nostro clausa reperiuntur, simili iussu plene et in totum aperta fuerint, ac per decem dies immediate sequentes, respective fient, dumtaxat effectum obtinere volumus et statuimus itidem et declaramus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes pariter easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque, etiam speciali notâ et expressione digni, etiam episcopali, archiepiscopali, cardinalitiâ, aut aliâ qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate praediti et fulgentes, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae nullatenus fuerint, aut ex aliâ quacumque, quantumvis iuridicâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, praetextu, colore et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, seu alio quolibet quantumvis magno, substantiali et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari,

Clausula sublata.

§ 6. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, necnon quoscumque dictae Urbis eiusque districtus ac camerae nostrae apostolicae iudices et officiales ac ministros et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reiicit.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, et quod cardinales non comprehendantur in constitutionibus faciendis, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac recolendae memoriae Pii Papae IV de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes inibi praesentari et registrari nunquam necesse sit, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, generalibus vel specialibus, necnon legibus etiam imperialibus et municipalibus, ac Urbis praedictae, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus

et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis insertis, et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 septembris 1656, pontif. anno II.

CXXXIII.

Confirmatio congregationis de Propaganda Fide super litibus inter clerum secularem Hollandiae et missionarios suscitatis emanatorum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Refertur Constitutio Urbani VIII. § 1. Dudum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, illam peculiari sollicitudine amplectimur, ut personae ecclesiasticae et praesertim sub suavi religionis iugo virtutum Domino famulantes, sublatis quibuslibet controversiis, in sanctitate et iustitiâ reddant Domino abundantes fructus suos; et haec, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut ab omnibus inviolabiliter observentur, validioreque firmitate subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communimus, prout, personarum, rerumque et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater Philippus archiepiscopus Philippensis, vicarius apostolicus in nonnullis Belgii provinciis, necnon dilecti filii clerus ibidem, ac presbyteri Societatis Iesu, et alii regulares in illis partibus missionarii, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, negotio propagandae in universum mundum fidei praepositis, emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Resolutio dubiorum et difficultatum, quae a vicario apostolico Hollandiae sacrae congregationi de Propaganda Fide proposita sunt.

I. Circa regulares et patres Societatis Iesu definitum est, eos, qui deinceps in illis partibus vice pastorum cum reli-

quis sacerdotibus secularibus voluerint laborare, quoad sacramentorum pastoralium nimirum Baptismi, Matrimonii et Extremae Unctionis administrationem, subesse debere vicario apostolico specialiter delegato Sedis Apostolicae; cuius ordinationi in functionibus pastoralibus se accomodabunt praesenti modo et formâ:

II. In primis vicarius illos regulares et patres Societatis Iesu, qui hoc tempore laborant in Hollandia et provinciis ipsi commissis, in eisdem locis relinquet, ita ut simul cum sacerdotibus secularibus sacramenta pastoralia administrare possint, sine aliquâ restrictione ad casus necessitatis, vel dependentiâ ab illis, sed aequaliter et cum solâ facultate ipsius vicarii, ita etiam ut vicarius illis, qui nondum habent talem facultatem, eam quamprimum impertiatur, et iis, qui soli sunt, permittat ad convenientiam status religiosi a superioribus adiungi socium, cui et praesentato concedat similem facultatem administrandi pastoralia, vel absolute et indeterminate, vel saltem casu, quo alter aegrotaret, vel legitime impeditur, et libere in pagis vicinis, ubi maior est necessitas. Quod si circa haec contingat oriri difficultatem, nuncius post habitam informationem statuet quidnam agendum, et omnes stabunt iudicio ipsius.

III. Annotantur autem pro explicatione huius articuli ipsa loca, in quibus iam sunt regulares et patres Societatis.

Ultraiecti[1], duo patres Societatis et unus Ordinis sancti Dominici, cui (si superiores volent) cum approbatione vicarii adiungi potest socius.

Leidae, duo Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, duo patres Societatis, et unus Ordinis sancti Dominici, cui similiter adiungi potest unus.

Delphis, duo patres Societatis.

Goudae, unus pater Societatis, cui quoque adiungi potest socius.

Hagaecomitis, unus pater Societatis, cui similiter adiungi potest socius.

Roterodami, unus pater Societatis, cui similiter adiungi potest socius.

Schiedami, unus pater Ordinis sancti Dominici, cui quoque adiungi potest socius.

Hanemi, unus sancti Dominici, unus sancti Francisci de Observantiâ, unus Societatis, quibus singulis possunt adiungi socii, ut superius dictum est.

Amsterdami, duo Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, unus Ordinis sancti Dominici, et unus Societatis, et utrique istorum potest adiungi socius.

Hornae, unus pater Societatis, cui potest adiungi socius.

Alcmariae, duo patres Societatis.

Middelburgi, unus pater Societatis, cui potest adiungi socius.

Firiczeae, unus Societatis, cui potest adiungi socius.

Leswardiae, unus Societatis, unus sancti Francisci de Observantiâ, quibus possunt adiungi socii.

Bolsverdiae, unus Societatis, cui dari potest socius.

Grovingae, unus pater Ordinis sancti Dominici, et unus pater Societatis, quibus dari possunt socii.

Insvorcum et locis vicinis, unus pater Ordinis sancti Francisci de Observantiâ, cui adiungi potest socius.

Campis, unus sancti Ordinis Dominici, etsi recesserit, cui adiungi potest socius.

Swollae, unus pater Societatis et unus sancti Dominici, quibus adiungi possunt socii.

Zutphaniae, unus pater Societatis cum socio, etsi recesserit propter persecutionem.

IV. Quandocumque superiores regularium vel patrum Societatis voluerint

1 Nomina propria damus iuxta edit. Main. (R.T.).

mutare aliquem suorum, tenebuntur id indicare vicario, et si voluerint submittere alium, illum quoque illi vel eius subdelegato praesentare, saltem per litteras, cum descriptione qualitatum, si minus commode se sistere possint; neque debent sine evidenti necessitate loca deserere, sed tum statim vicario cum causis significare, ut illis locis aliâ ratione providere possit.

v. Quod si vicarius expedire iudicaverit aliquem ex regularibus vel patribus mutari, significabit hoc illorum superioribus ut avocetur, cum causis, quae eum ad hoc movent. Et superiores in eo faciles se praebebunt. Quod si tamen inter eos conveniri non possit, penes nuncium erit determinatio, qui simul curae habebit et iustitiae administrationem et auctoritatem vicarii.

vi. Quod si plures regulares vel patres Societatis ab ipsorum superioribus in illas provincias destinentur, illi se vicario similiter vel eius subdelegato prius sistent, si commode fieri possit; sin minus saltem per litteras superioris vel provincialis praesentabunt vicario, cum sufficienti descriptione qualitatum, qui ita constitutos vel praesentatos admittet pro necessitate illarum partium, et destinabit loca, quae sibi in Domino videbuntur spirituali auxilio maxime indigere, in quibus tamen possint habere necessaria alimenta, idque sine ullo humano respectu vel partialitate. Quod si tamen contingat vel a vicario negari quod contendant patres Societatis vel regulares debere sibi concedi, vel e contra a vicario mandetur quo se regulares vel dicti patres Societatis gravatos putent, neque inter ipsos conveniri possit, recursum habebunt ad nuncium, qui determinabit et statuet quid cuique faciendum.

vii. Permittet etiam vicarius regularibus et patribus Societatis, si ipsorum superiores petant, ut bini in singulis civitatibus, pagis vel oppidis, ad quae ab ipso mittentur, vivere possint. Et, si vicario non videbitur expedire ut ambo habeant facultatem administrandi sacramenta pastoralia, saltem concedat alteri, casu quo prior sit legitime impeditus, neque impediet quominus ambo reliqua sacramenta administrare et alia consueta munia concionandi, confessiones audiendi, cathechizandi, et alia similia obire possint.

viii. Omnes regulares reverentiam et respectum debitum exhibeant vicario apostolico, qui illos e contra paterno amore complectatur.

ix. Si[1] vero pro necessitate locorum facilis vicarius in admittendis praedictis regularibus et patribus Societatis Iesu ad effectum excurrendi ad vicinos pagos; ideoque plures, uti in Domino videbitur, in illis civitatibus et oppidis admittat, ex quibus facile ad pagos excurrere possint, si in his commorandi non detur commoditas.

x. Tenebuntur regulares et patres Societatis singulis saltem annis docere vicarium per superiores suos vel per litteras proprias de statu et profectu religionis illorum locorum, in quibus laborant, ut vicario constet quid in provinciis sibi commissis agatur.

xi. Tenebuntur etiam regulares et patres Societatis vicario per se vel superiores suos singulis saltem annis mittere nomina baptizatorum et patrinorum, uti etiam nomina illorum quos matrimonio coniunxerint.

xii. Sit autem inter sacerdotes seculares et regulares vel patres Societatis, uti decet Dei ministros, mutua charitas, in aedificationem corporis Christi, ut non solum vitentur iurgia et scandala,

1 Videtur legendum *Sit* pro *Si* (R. T.).

sed caveantur etiam horum occasiones, uti esse solent mutui contemptus, publicae obiurgationes, oblocutiones, odiosae comparationes, et horum similia.

XIII. Nullus ex secularibus sacerdotibus aliquem regularium, neque aliquis regularium aliquem sacerdotum secularium in obeundis muniis ecclesiasticis vel administrandis sacramentis impediat, sed pariter mutuo amore concurrent in salutem animarum procurandam.

XIV. Non abs re erit ut regulares et patres Societatis cum sacerdotibus secularibus, et hi cum illis quandoque conferant de occurrentibus necessitatibus circa administrationem sacramentorum et[1] alia salutem animarum concernentia.

XV. Quod si nihilominus contingat inter sacerdotes seculares et regulares et patres Societatis oriri lites et dissidia quoad muniorum pastoralium administrationem, prima instantia erit penes vicarium; in reliquis, si regulares sint actores, similiter penes vicarium, si vero rei, penes nuncium; vicarius autem pro officio suo laborabit, quantum fieri poterit, ut lites et dissidia vitentur, vel omnia meliori modo componantur, idemque etiam suos admonere teneantur superiores regulares et patres Societatis.

XVI. Si superiores regularium vel patrum Societatis velint aliquando mittere suos solummodo ad conciones faciendas, confessiones audiendas, catechizandum, et similia munia obeunda, praecipue si a catholicis vocentur vel petantur qui propriis expensis alere velint, videtur hoc miseris illis catholicis consolationi dandum, cum scitu tamen vicarii, eoque magis, si a talibus peterentur, qui ruri in castellis vel oppidis morantur.

XVII. Quoad publicationem indulgentiarum, poterunt regulares et patres Societatis illas publicare quas Ordines et Societas habet et hactenus habuit[1] ubique terrarum, vel in partibus Germaniae et Belgii in universum, edocto semel vicario de facultatibus, neque vicarius impediet vel interdicet: non autem poterunt publicare indulgentias, quae suis Ordinibus specialiter non sunt concessae, nisi de expresso consensu vicarii; si tamen desuper oriatur difficultas, neque inter eos conveniri possit, nuncius illam definiet. In universalibus autem indulgentiis vel iubilaeis vicarius mandabit illarum publicationem aeque regularibus et patribus Societatis atque sacerdotibus secularibus.

XVIII. Quoad institutionem fraternitatum et sodalitatum, permittet vicarius regularibus et patribus Societatis illarum, quae a Sede Apostolicâ approbatae et ab Ordinibus et patribus Societatis assignatae sunt, ita tamen ut nemo adstringatur et teneatur ad particulares confessarios, vel ad sacramenta ab illo Ordine solum percipienda.

XIX. Quoad eleemosynas, ne catholici in illis partibus, aliàs per adversarios satis gravati, per illarum nimis frequentes collectas adhuc magis graventur, admonentur omnes, tam seculares quam regulares, ne lucro temporali (quod a ministris mysteriorum Dei quam longissime abesse debet) inhient, sed competenti substentatione contenti sint; ab exportatione etiam eleemosynarum, quantum fieri poterit, abstineant, nisi forte pro alendis seminariis, quae omnibus etiam regularibus et patribus Societatis pro charitate ipsorum et fructu, qui ex illis hactenus provenit, et adhuc maior speratur, maxime commendantur; sub his autem collectis eleemosynarum non intelliguntur legata defunctorum vel fundationes spontaneae.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

1 Aptius lege *habent*... *habuerunt* (R. T.).

xx. Quod si etiam contingat aliquando, ut in supradictis inter vicarium et regularium vel patrum Societatis superiores conveniri non possit, erit similiter penes nuncium iudicium.

xxi. Non licebit regularibus vel patribus Societatis exportare ornamenta, paramenta, indumenta, vasa, vel aliam quamcumque ecclesiasticam suppellectilem Deo dicatam, et multo minus sacras reliquias.

xxii. Quoad doctrinam, si quae diversae incidant opiniones, circa ea quae ab Ecclesiâ definita non sunt, iubet congregatio, ut, repositis altercationibus, definitio ab hac Sanctâ Sede quam primum petatur. Interim tamen omnes, tam seculares quam regulares et patres Societatis, accomodabunt se ordinationi vicarii apostolici.

xxiii. Per haec singularia et particularia quae nuncio committuntur, non limitetur neque restringatur potestas eiusdem nuncii quam habet per facultates suas in iisdem provinciis commissis vicario.

Haec autem omnia ex Sanctissimi Domini Nostri mandato ordinata sunt pro statu praesenti illarum partium, et quousque placuerit Altissimo catholicis liberum[1] exercitium religionis in illis partibus concedere, vel Sedi[2] Apostolicae desuper aliter ordinare; non obstantibus litteris felicis recordationis Pauli Papae V eidem vicario apostolico Hollandiae concessis, quatenus praesenti decreto adversantur, aliisque constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *maris magni* vel aliàs quomodolibet nuncupatis, quibuscumque personis regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu, et quarumcumque militiarum et hospitalium, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, et aliter quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et saepius innovatis. Datum Romae ex congregatione de Propaganda Fide, kalendis maii MDCXXIII.

Cum autem (sicut eadem expositio subiungebat), ortis postea, inter Philippum archiepiscopum et clerum ex unâ et presbyteros eiusdem Societatis et alios regulares missionarios praefatos ex alterâ partibus, ex praeinserto decreto nonnullis difficultatibus, Philippus et clerus praefati ac presbyteri dictae Societatis et alii regulares missionarii huiusmodi, auxilio atque operâ venerabilium fratrum Ioannis Francisci archiepiscopi Patracensis, nostri et Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus nuncii, necnon Iacobi archiepiscopi Mechliniensis, ac Iacobi Ruraemundensis, Ioannis Antuerpiensis et Antonii Iprensis, Nicolai Buscoducensis, Antonii Gandavensis et Dionysii Brugensis episcoporum ad maiorem Dei gloriam ad infrascriptam devenerunt[1] concordiam, videlicet: Concordia deinde inita.

Cum sacra congregatio de Propaganda Fide septimâ die mensis iulii huius anni concessisset, ut, super difficultatibus ex decreto eiusdem congregationis emanato kalendis maii anno MDCXXIII exortis inter reverendissimum dominum Philippum Rovenium archiepiscopum Philippensem, vicarium apostolicum in Hollandia et provinciis quae se foederatas nominant, clerumque ibidem ex unâ, et patres Societatis aliosque regulares missionarios ex alterâ partibus, [2] eaedem partes de suis iuribus illustrissimos et reverendissimos

1 Edit. Main. legit *liber* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *Sedis* (R. T.).

1 Videtur legendum *devenerint* (R. T.).
2 Coniunct. *et* hinc delemus (R. T.).

dominos archiepiscopum Mechliniensem atque episcopos suffraganeos instruere possent; qui deinde, consultatione inter se habitâ, sententias suas super praedictis difficultatibus ad sacram congregationem mittere possent; posteaquam[1] tam praefatus vicarius apostolicus, assistentibus sibi aliquibus ex dicto clero, quam reverendissimus pater Florentinus de Montmorancis, provincialis Societatis Iesu per Flandro Belgieam, eiusdem Societatis nomine, pluribus diebus coram praefatis archiepiscopo Mechliniensi et coëpiscopis super difficultatibus in hoc oppido Bruxellensi egissent; tandem eaedem partes, ad maiorem Dei gloriam, hortatu illustrissimi et reverendissimi domini nuncii apostolici per Belgium, et intercedentibus praefatis archiepiscopo Mechliniensi et suffraganeis, sub beneplacito Sanctissimae Sedis, concordarunt in articulos sequentes:

In primis, quoad initium, seu § I eiusdem decreti incipientem[2]: *Circa regulares*, etc., et § XIV, qui[3] incipit: *Quod si nihilominus contingat*, etc., patres Societatis, qui deinceps in partibus vicario apostolico commissis vice pastorum cum reliquis sacerdotibus saecularibus volent laborare, non tantum in administratione sacramentorum, sed etiam in reliquis, vicario apostolico, tamquam specialiter delegato Sedis Apostolicae, in primâ instantiâ suberunt, sive actores sint, sive rei in causâ appellationis nuncio apostolico.

Circa § II dicti decreti, qui incipit: *In primis vicarius illos*, etc. cautum est, quoad potestatem solemnizandi sacramentum matrimonii, quod pater provincialis curabit ut sui parcissime utantur istâ facultate, et efficiet ut[4] reverendus pater generalis idem praestet.

1 Aptius forsan legendum *posteaque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *incipiente* (R. T.).
3 Semper legitur *qui* pro *quae* (R. T.).
4 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

Conventum est etiam quod patres Societatis non administrabunt sacramenta pastoralia Harlemi, propter contrariam consuetudinem illius loci.

Declarat quoque pater provincialis, quod religiosi Societatis Iesu in hac missione existentes tenebuntur indifferenter subvenire aegrotis omnibus, etiam laborantibus morbis contagiosis, ad instar saecularium sacerdotum.

Quod attinet ad designationem locorum missionis factam in § III dicti decreti incipiente[1]: *Annotantur autem*, etc., pater provincialis Societatis Iesu declarat, quod non utetur facultate sibi concessâ per dictam congregationem cardinalium quoad missionem socii in oppidis Gouda, Rotterdamo, Alcmaria, Zutphania, Bolswerdia, neque in aliis locis non nominatis in decreto sacrae congregationis, nisi consultum iudicet reverendissimus vicarius, qui si non rationabiliter hoc recusaret, consuletur illustrissimus dominus nuncius, qui, sufficienti informatione praeviâ, statuet quod sibi videbitur in Domino.

Circa § IV dicti decreti, qui incipit: *Quandocumque superiores*, etc., licebit superiori missionis Societatis, sine recursu ad vicarium, in locis, ubi unicus e Societate residebit, eo aegrotante, vel ad tempus impedito, aut absente, ex unico[2] loco missionis alium substituere, donec aeger vel absens ad functionem redierit.

Ad § XI decreti, qui incipit: *Tenebuntur etiam*, etc., concordatum est, quod nomina eorum, quos patres[3] Societatis baptizabunt, unâ cum nominibus patrinorum ac parentum, quotannis, aut saepius si videbitur expedire, tradent ei, qui ordinariam pastoralem curam gerit; similiter

1 Male edit. Main. legit *incipientis* (R. T.).
2 Forsan *uno vel aliquo* pro *unico* legendum (R. T.).
3 Edit. Main. legit *pater* (R. T.).

nomina eorum, quos matrimonio iungent, et testium, qui praesentes fuerint.

Ad § XVI, qui incipit: *Si superiores regularium vel Societatis*, etc., concordatum est missiones, hoc paragrapho memoratas, ad loca, ubi aliquis sacerdos residet, non fieri, nisi de scitu et assensu eiusdem sacerdotis et vicarii.

Quoad eleemosynas attinet, de quibus agitur § XIX decreti, qui incipit: *Quoad eleemosynas*, etc., omnes tam regulares quam seculares contenti sint honestâ sustentatione; exportatione vero eleemosynarum abstinere tenebuntur absque licentiâ illustrissimi domini nuncii et vicarii apostolici, nisi pro alendis seminariis; sub his autem collectis eleemosynarum non intelliguntur legata defunctorum vel fundationes spontaneae.

Quae etiam ab Urbano VIII confirmatur.

Quidquid in his articulis non comprehenditur, remanebit in terminis decreti dictae sacrae congregationis. Actum Bruxellae, die XV octobris anni MDCXXIV.

Nobis propterea tam Philippus archiepiscopus et clerus quam presbyteri dictae Societatis et alii regulares missionarii praefati humiliter supplicari fecerunt, ut concordiam praedictam, pro inviolabili illius observatione, apostolicae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, Philippum archiepiscopum et clerum necnon presbyteros eiusdem Societatis et regulares missionarios huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, concordiam praedictam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus fratrum Praedicatorum magistro ac Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ministro necnon dictae Societatis praeposito generalibus, ut concordiam praedictam cum omnibus et singulis in eâ contentis a suis respective religiosis, quos in illis partibus habent et pro tempore habuerint missionarios, inviolabiliter observari curent et faciant. Ac decernentes praesentes litteras omniaque et singula in eis contenta valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca eidem Ioanni Francisco archiepiscopo moderno et pro tempore existenti in dictis ditionibus nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi archiepiscopi moderni et similiter pro tempore existentis in dictis partibus vicarii apostolici et cleri seu presbyterorum et aliorum regularium huiusmodi, vel alicuius eorum,

fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ concordiam praedictam, cum omnibus in eâ contentis, ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis[1] et Societatis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Omnia ad tollendas lites praeinsertas decreta approbat et confirmat Alexander VII.

§ 2. Cum autem, quae, ad tollendas dissensiones et lites inter clerum secularem Hollandiae ex unâ et religiosos missionarios eorumque superiores ex alterâ partibus exortas, a praefatâ Congregatione negocio Propagandae Fidei praepositâ, ut praemittitur, decreta, et ab eodem praedecessore approbata et confirmata ac mandata et ordinata respective fuerunt, conservandae inter easdem partes tranquillitati etiam posthac plurimum conducibilia fore in Domino speremus: hinc est quod nos, qui pro pastoralis officii nostri debito in id omni studio iugiter incumbimus, ut christifideles curae nostrae divinitus commissi, praesertim ecclesiasticis ministeriis mancipati, solliciti servent unionem in vinculo pacis, firmiori praemissorum robori et observationi consulere cupientes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnem meliorem finem et effectum, omnia et singula ad tollendas dissensiones et lites huiusmodi per eamdem congregationem negocio Propagandae Fidei praepositam decreta, ac a praedicto Urbano praedecessore confirmata et approbata ac mandata et ordinata respective, quae quidem in praeinsertis litteris continentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praedicta decreta observari mandat.

§ 3. Praeterea, ut illa in posterum absque ullâ exceptione et sine tergiversatione executioni omnimodae demandentur, ac uti apostolicae constitutiones ab omnibus et singulis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus punctualiter observentur, sub privationis officii ac excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, necnon privationis vocis activae et passivae, si transgrediens fuerit regularis vel religiosus cuiuscumque Ordinis et congregationis,

[1] Videtur legendum *Ordinum* (R. T.).

etiam Societatis Iesu, poenâ, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine praedictis, decernimus et statuimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque etiam episcopali aut archiepiscopali seu aliâ qualibet ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate praediti, aut aliàs speciali expressione digni, in praemissis interesse quomodolibet habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad praemissa vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae aut verificatae nullatenus fuerint, sive ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu interesse habentium consensus, aut alio etiam substantiali defectu impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel impetrato, aut etiam motu simili concesso, quempiam in iudicio seu extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritáte, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, ac omnibus et singulis, quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda atque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum formas, tenores et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter servatis, expressis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 septembris 1656, pontif. anno II.

CXXXIV.

Deputatio internuncii Belgii in executorem litterarum Innocentii X super definitione quinque propositionum in materiâ fidei occasione impressionis libri Cornelii Iansenii[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio Hieronymo, abbati S. Mariae Montis Regalis, Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Quamvis in litteris felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri sub datum pridie kalendas iunii anni Incarnationis Dominicae MDCLIII sub plumbo editis, per quas, occasione impressionis libri cui titulus *Augustinus* Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, quinque propositiones in materiâ fidei tamquam haereticas damnavit, deputati fuerint executores earumdem litterarum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii, necnon haereticae pravitatis inquisitores; attamen, quia ad aures nostras pervenit nonnullos ex praedictis praesulibus executoribus ut praefertur deputatis non parum esse negligentes in demandandis debitae executioni eisdem litteris, castigandoque illarum transgressores, idque praesertim in aliquibus provinciis intra fines istius nunciaturae apostolicae Belgii:

Amplam interniuncio facultatem elargitur.

§ 2. Idcirco, ne litterae praefatae et voluntas dicti Innocentii praedecessoris cum obsequii divini et catholicae religionis detrimento istic suo frustrentur effectu, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere[1] volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, tibi, quem ad exercendum contentiosam iurisdictionem eiusdem nunciaturae deputavimus, per praesentes committimus et mandamus, ut, nedum in defectu seu in eventu negligentiae praedictorum executorum aut alicuius eorum, sed aeque principaliter, et perinde ac si tu specistim in eisdem litteris unâ cum aliis illarum executor nominatus et deputatus fuisses, in id sedulo incumbas ut in quocumque loco sub iurisdictione dictae nunciaturae comprehenso litterae praefatae, cum omnibus et singulis contentis in illis, debitae executioni demandentur, et illarum transgressores poenis et censuris in eisdem litteris contentis puniantur, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii secularis. Super quibus nos tibi plenam et liberam ac amplam et necessariam quomodolibet et opportunam concedimus facultatem.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 octobris 1656, pontif. anno II.

1 Male edit. Maio. legit *provide* pro *providere* (R. T.).

CXXXV.

Confirmatio decreti, ut conversi in congregatione Camaldulensi non recipiantur[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Eremitarum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

congregationis Camaldulensium quod in ultima dietà eiusdem congregationis de mense iunii proxime praeteriti celebratae pro felici dictae congregationis regimine, maturo tractatu praevio, decretum fuit, ut de cetero conversi in praedictà congregatione non recipiantur, sed eorum partes oblati suppleant.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis decretum huiusmodi, pro firmiori eius subsistentià et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret:

Decretum supradictum confirmat. § 3. Nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis praedictae, eiusque monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicà, vel quavis firmitate alià roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 octobris 1656, pontif. anno II.

CXXXVI.

Confirmatio privilegiorum fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut, sacrarum religionum gratos Altissimo fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Apostolicà Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, nostrae confirmationis robore muniamus. Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaël de Alcantara, vicarius generalis Italiae et Siciliae ac procurator generalis fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam suo quam etiam dilectorum filiorum Ildephonsi ex Sotomayor magi- Supplicatio.

stri generalis et universorum totius praedicti Ordinis professorum nominibus, quod eidem Ordini, eiusque domibus, locis et personis, confratribus et benefactoribus, nunc et pro tempore existentibus, per eamdem Sedem Apostolicam concessa fuerunt variae gratiae et indulta.

§ 2. Cum autem maiorem obtineant roboris firmitatem ea quae apostolicâ auctoritate saepius muniuntur, et propterea idem Michaël praemissa per nos nominibus praedictis etiam confirmari et approbari plurimum desideret: idcirco nos, Ildephonsum et Michaëlem aliosque praedictos specialis gratiae favore prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nobis nomine super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmat privilegia fratrum Ordinis B. M. de Mercede captivorum.

§ 3. Omnia et singula indulta, privilegia, gratias, indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes eidem Ordini, illiusque domibus, locis et personis ac confratribus per eamdem Sedem et diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros hucusque concessa et confirmata, dummodo tamen privilegia, indulta et alia praedicta omnia in usu, nec revocata aut sub quibusvis revocationibus comprehensa sint, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictique Ordinis regularibus institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, omnesque et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis;

Obstantia tollit.

§ 4. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. 11 octobris 1656, pontif. anno II.

CXXXVII.

Confirmatio quorumdam statutorum, seu capitulorum, ut mandatarii curiae Capitolii Urbis appoltus citationum non faciant[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Refertur Constitutio Urbani VIII.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae in simili formâ Brevis, tenoris sequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Christifidelium quorumlibet[2] et praesertim almae Urbis nostrae votis, per quae communi eorum paci atque utilitati consulitur, libenter annuimns, eaque favoribus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *Christifidelium quorum* (R. T.).

prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii mandatarii curiae Capitolii almae Urbis praedictae, quod ipsi, pro totali litterarum felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri super reformatione tribunalium eiusdem Urbis emanatarum et dudum publicatarum executione, nonnulla capitula sive statuta fecerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Capitolo ed ordine da osservarsi inviolabilmente dalli mandatarii di Campidoglio in esecuzione della riforma di Nostro Signore Papa Paolo V ultimamente eretta.

Per ovviare li abusi che giornalmente sortiscono tra li mandatarii di Campidoglio con gli appalti che vengono fatti, non considerando alle parole espresse nella suddetta riforma; pertanto si ordina e comanda a qualsivoglia delli detti mandatarii, che niuno di loro ardischi nè presumi contravenire a detta riforma, nè fare appalto in qualsivoglia modo, ma dell'esazione che si farà da ciascheduno d'essi per l'avvenire delle citazioni, intimazioni, monitorii, sequestri, inibizioni ed altro spettante al loro esercizio, non trasgredendo però alla mercede constituitali in detta riforma, debbano mettere in massa mezzo baiocco per ciaschedana citazione ed intimazione, ed un baiocco per ciaschedun sequestro, monitorio, inibizione, *ostendatur*, mandato *de parcendo*[1] *sententiae*, adizione d'eredità, disdetta o altro spettante al loro officio, qual massa si debba distribuire tra essi, mese per mese, conforme al decreto fatto dagl'illustrissimi signori nostri antecessori del mese di novembre 1611 ed alli 5 di dicembre 1617, e da noi adesso confermato, e detto capitolo debba essere da loro osservato inviolabilmente sotto la medesima pena contenuta nelli suddetti decreti, ed al capitolo II, ed altre ad arbitrio dell'illustrissimo signor senatore, illustrissimi signori conservatori e priore.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, mandatarii praedicti capitula sive statuta huiusmodi a pluribus senatoribus et conservatoribus camerae ipsius Urbis approbari et confirmari obtinuerint, et, pro maiori illorum invaliditate et subsistentià, apostolicae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderent; nos, mandatarios praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta sive capitula praedicta, apostolicà auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes statuta sive capitula praedicta modernis et pro tempore existentibus dictae curiae mandatariis, ceterisque ad quos spectat, sub poenis in eis contentis inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo

1 Forsan *parendo* (R. T.).

Piscatoris, die XIX iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno V.

Expositio et supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Castagnaccius, procurator fisci eiusdem curiae Capitolii almae Urbis nostrae, nobis nuper exponi fecit, subinde contra statutorum seu capitulorum per praeinsertas Urbani praedecessoris litteras confirmatorum ac earumdem litterarum dispositionem varii abusus introducti fuerint, nonnullique mandatarii dictae curiae appaltus citationum per plura notariorum ipsius curiae officia expediri solitarum, per memoratas recolendae memoriae Pauli Papae V praedecessoris pariter nostri interdictos, fecerint; cumque idem Franciscus procurator, ad tollendos abusus huiusmodi, statuta seu capitula praedicta a nobis denuo confirmari, ac, ut eiusdem curiae mandatarii citationes et intimationes pro congregandis consulatibus artium dictae Urbis ad curiam praedictam spectantibus et aliis eorumdem consulatuum expeditionibus non faciant, ordinari, et aliàs opportune in praemissis, ut infra, provideri summopere desideret:

Approbat et confirmat praeinserta statuta et litteras.

§ 3. Nos, ipsius Francisci procuratoris desiderio, hac in re annuere volentes, ac eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradicta statuta, seu capitula, necnon praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis quomodolibet contentis in illis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quoquo modo intervenerint supplemus.

Intimationes a mandatariis faciendas ordinat.

§ 4. Praeterea, ut mandatarii curiae praedictae citationes et intimationes pro congregandis consulatibus huiusmodi et pro aliis ipsorum consulatuum expeditionibus facere[1] debeant, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus.

§ 5. Quocirca dilecto pariter filio nunc et pro tempore existenti eiusdem Urbis senatori per easdem praesentes committimus et mandamus, ut ipsas praesentes et in eis contenta quaecumque (privative quoad dilectos filios nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis vicarium in Urbe praedictâ in spiritualibus generalem, camerae apostolicae generalem auditorem, ac thesaurarium, et alios quoslibet dictae Urbis sive Romanae curiae iudices nunc et pro tempore existentes) summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, exequutioni demandet, et ab aliis[2], ad quos spectat et pro tempore spectabit, faciat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles opportunis iuris et facti remediis omni et quacumque appellatione remotâ compescendo.

Decretum irritans.

§ 6. Decernentes nihilominus irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, curiae et consulatuum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, novis reformationibus, stylis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et

1 Vel hic deest particula *non*, vel redundat in fine § 2 (R. T.).

2 Edit. Main. habet *aliis*; forsan *iis* vel *illis* legendum (R. T.).

litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 octobris 1656, pontif. anno II.

CXXXVIII.

Confirmatio et declaratio constitutionis Innocentii Papae X, qua damnatae sunt quinque propositiones excerptae a libro Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus.

Alexander episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad sanctam beati Petri Sedem et universalis Ecclesiae regimen, inscrutabili divinae providentiae dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctae fidei nostrae, ac sacrorum dogmatum integritati traditâ nobis a Deo potestate opportune consuleremus. Ac, licet ea quae apostolicis constitutionibus abunde fuerunt definita novae decisionis sive declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicae tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latius divagetur, promptum apostolicae auctoritatis remedium censuimus non esse differendum.

§ 1. Emanavit siquidem aliàs a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro constitutio, declaratio et definitio tenoris qui sequitur, videlicet: Refert litteras Innocentii X.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Cum[1], occasione impressionis libri cui titulus *Augustinus* Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, praesertim in Galliis, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unâquaque earum certam et perspicuam ferremus sententiam.

Tenor vero praefatarum propositionum est prout sequitur: Propositiones Iansenii.

Prima. Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant;

Secunda. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.

Tertia. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Quarta. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

§ 2. Nos, quibus, inter multiplices cu- Illarum perpensio instituta.

[1] Etsi sequens Constitutio Innocentii V iam habeatur in tom. XV, pag. 720; tamen pro rei gravitate, eam cum edit. Main. iterum referimus (R. T.).

ras quae animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, et tamquam navis in tanquillo mari, sedatis omnium tempestatum fructibus ac procellis secure navigare, et ad optatum salutis portum pervenire possit, pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. cardinalibus ad id specialiter saepius congregatis a pluribus in sacrâ theologiâ magistris easdem quinque propositiones, ut supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce tum scripto relata mature consideravimus, eosdemque magistros, variis coram nobis actis congregationibus, prolixe super eisdem ac super earum qualibet disserentes audivimus. Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum chistifidelium preces tum privatim tum publice indixissemus, postmodum iteratis eisdem ferventibus[1], ac per nos sollicite imploratâ sancti Spiritus assistentiâ, tandem divino numine[2] favente, ad infrascriptam[3] devenimus declarationem et definitionem.

Innocentius damnat propositiones praedictas.

§ 3. Primam praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant »: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Secundam: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Tertiam: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione »: haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quartam: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare »: falsam et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Quintam: « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse »: falsam, temerariam, scandalosam, et, intellectam eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.

Mandat nemini esse consentire praedictis propositionibus.

§ 4. Mandamus igitur omnibus christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti nostrâ declaratione et definitione continetur, sub censuris et poenis contra haereticos et eorum fautores in iure expressis. Praecipimus pariter omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas praedictas, ceterisque iuris et facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, omnino coërceant et compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super praedictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro Cornelii Iansenii.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLIII, pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

1 Puto *ferventius* pro *ferventibus* esse legendum (R. T.).

2 Edit. Main. habet *Domino Numine* (R. T.).

3 Male in loco parall. nos dedimus *infrascriptas* (R. T.).

Dubia delecepe sanciata.

§ 5. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii praedictas quinque propositiones vel in libro[1] praedicto eiusdem Cornelii Iansenii non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse, vel in sensu ab eodem intento damnatas non fuisse asserere magno cum christifidelium scandalo non reformident:

Rursum Alexander damnat praedictas propositiones in sensu ab eodem Iansenio intento.

§ 6. Nos, qui omnia quae in re gesta sunt sufficienter et attente perspeximus, utpote qui eiusdem Innocentii praedecessoris iussu, dum adhuc in minoribus constituti cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus apostolicâ auctoritate eadem causa discussa est[2] eâ profecto diligentiâ, qua maior desiderari non posset, quamcumque dubitationem super praemissis in posterum auferre volentes, ut omnes christifideles in eiusdem fidei unitate sese contineant, ex debito nostri pastoralis officii, ac maturâ deliberatione, praeinsertam Innocentii praedecessoris nostri constitutionem, declarationem et definitionem harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, et quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse declaramus et definimus, ac uti tales, inustâ[3] scilicet eâdem singulis notâ, quae in praedictâ declaratione et definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum saepedicti Cornelii Iansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quam typis editos, et si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus praedicta eiusdem Cornelii Iansenii doctrina, ut supra damnata, defenditur, vel adstruitur, aut defendetur et adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus christifidelibus, ne praedictam doctrinam teneant, praedicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur publice vel privatim, palam vel occulte imprimant, sub poenis et censuris contra haereticos in iure expressis, ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis.

Mandat observari suam declarationem.

Contravenientes puniri.

§ 7. Praecipimus igitur omnibus venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, metropolitanis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, ac haereticae pravitatis inquisitoribus, ac iudicibus ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut praeinsertam eiusdem Innocentii praedecessoris constitutionem, declarationem ac definitionem, iuxta praesentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes et rebelles praedictis poenis aliisque iuris et facti remediis, invocato etiam si opus fuerit brachii secularis auxilio, omnino coërceant.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLVI, XVII kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 16 octobris 1656, pontif. anno II.

1 Male edit. Main. legit *libero* (R. T.).

2 Male ut puto edit. Main. heic duo puncta interponit (R. T.).

3 Pessime edit. Main. legit *iniusta* pro *inusta* (R. T.).

CXXXIX.

Facultas nuncio Franciae relaxandi suspensionem ordinatis ab episcopis per vicarios capitulares ecclesiae Parisiensis indebite deputatis[1].

Venerabili fratri Caelio archiepiscopo Caesareae, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli a venerabilibus fratribus Constantiensi, provinciae Rothomagensis, necnon olim Nemausensi episcopis, aliàs per tunc existentes vicarios capitulares ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali minime vacante, ad ordines in civitate et dioecesi Parisiensi conferendos indebite deputatis, ordines susceperint, suspensionem propterea incurrendo:

Facultatem nuncio Franciae relaxandi suspensionem impartitur.

§ 2. Nos, illorum statui opportune providere volentes, fraternitati tuae, omnibus et singulis, qui a memoratis Constantiensi et olim Nemausensi episcopis, indebite, ut praemittitur, deputatis, vel altero eorum, clericali charactere insigniti, seu ad quatuor minores, necnon sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines promoti respective fuerunt, si hoc a te singuli humiliter petierint, impositâ eorum cuilibet pro praemissis arbitrio tuo aliquâ poenitentiâ salutari, suspensionem, quam propter praemissa quoquomodo incurrerunt, auctoritate nostrâ apostolicâ relaxandi, ac insuper eum illis super irregularitate per eos, quia suspensione huiusmodi innodati in ordinibus suis ministrarunt, quomodolibet contractâ, ita quod illâ et iisdem praemissis non obstantibus, si nullum alium canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo aliàs rite insigniti fuerunt[1], illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter, aliàs rite, quatuor minoribus, necnon sacris subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordinibus respective uti; si vero illos nondum susceperint, ad eos, dummodo tamen ad id aliàs idonei reperiantur, servatis servandis promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate dispensandi, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1656, pontif. anno II.

Facultas nuncio Franciae relaxandi suspensionem ordinatis ab episcopis per vicarios capitulares Parisienses indebite deputatis.

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Athenarum, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nonnulli a venerabilibus fratribus Constantiensi provinciae Rothomagensis, etc. (*Reliqua, ut supra, in Const. praeced.*).

Dat. eodem die et eodem anno.

Facultas nuncio apostolico in regno Franciae relaxandi suspensionem episcopo Constantiensi, provinciae Rothomagensis, incursam ab eo, quia deputatus a vicariis capitularibus ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali non vacante, ordines ibi contulit.

Venerabili fratri Caelio archiepiscopo Caesareae, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostro et Apostolicae Sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

[1] Aptius forsan legeretur *fuerint* (R. T.).

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater episcopus Constantiensis, provinciae Rothomagensis, aliàs per tunc existentes vicarios capitulares ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali minime vacante, ad ordines in civitate et dioecesi Parisiensi conferendos indebite deputatus, et [1] ordines huiusmodi inibi contulerit, suspensionem propterea a pontificalium exercitio incurrendo, et, quia subinde pontificalia et alià sic suspensis interdicta exercuit, etiam irregularitatem contrahendo:

Dispensatio. § 2. Nos, eiusdem episcopi statui in praemissis pro paternâ nostrâ erga illum benevolentiâ opportune consulere volentes, fraternitati tuae, eidem episcopo, si hoc a te humiliter petierit, suspensionem praedictam, impositâ illi aliquâ arbitrio tuo poenitentiâ salutari, auctoritate nostrâ relaxandi, necnon cum eodem episcopo super irregularitate, eo quod pontificalia et alia sic suspensis interdicta exercuit, per eum quomodolibet contractâ, eâdem auctoritate dispensandi, plenam et amplam facultatem auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCLVI pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1656, pontif. anno II.

Sequitur relaxatio ad cautelam suspensionis pro episcopo olim Nemausensi, si quam incurrerit, quia deputatus a vicariis capitularibus ecclesiae Parisiensis, sede archiepiscopali non vacante, ordines dioecesanis Parisiensibus bonâ fide contulit.

Venerabili fratri episcopo olim Nemausensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, aliàs per tunc existentes vicarios capitulares ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali minime vacante, ad conferendos ordines in civitate et dioecesi Parisiensi indebite deputatus, ordines huiusmodi pluribus dioecesanis civitatis et dioecesis praedictarum, ratus id tibi licere, bonâ fide contuleris; verearis autem, ne propterea te suspensionem ab exercitio pontificalium incurrisse, et, quia suspensione huiusmodi durante pontificalia et alia sic suspensis interdicta exercuisti, etiam irregularitatem contraxisse censeri possit; nobis idcirco humiliter supplicari fecisti, ut statui tuo in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Supplicatio.

§ 2. Nos igitur, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi suspensionem ab exercitio pontificalium, si quam praemissorum occasione incurristi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad cautelam relaxamus, necnon tecum super quacumque irregularitate, si quam ita suspensis interdicta exercendo contraxisti, similiter ad cautelam dispensamus. A censuris absolvit.

[1] Coniunct. et redundat (R. T.).

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1656, pontif. anno II.

Sequitur facultas nuncio Franciae relaxandi suspensionem episcopo olim Nemausensi incursam, quia deputatus a vicariis capitularibus ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali non vacante, ordines inibi contulit, cum dispensatione.

Venerabili fratri Caelio archiepiscopo Caesareae, apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nostro et apostolicae sedis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Antonius Dionysius, episcopus olim Nemausensis, aliàs per tunc existentes vicarios capitulares ecclesiae Parisiensis, illius sede archiepiscopali minime vacante, ad ordines in civitate et dioecesi Parisiensi conferendos indebite deputatus, ordines huiusmodi inibi contulerit, suspensionem propterea a pontificalium exercitio incurrendo, et, quia subinde pontificalia et alia sic suspensis interdicta exercuit, etiam irregularitatem contrahendo:

Facultatem a censuris absolvendi episcopum Nemausensem nuncio impertimur. § 2. Nos, eiusdem episcopi statui in praemissis pro paternâ nostrâ erga illum benevolentiâ opportune consulere volentes, fraternitati tuae, eidem episcopo, si hoc a te humiliter petierit, suspensionem praedictam, impositâ illi aliquâ arbitrio tuo poenitentiâ salutari, auctoritate nostrâ relaxandi, necnon cum eodem episcopo super irregularitate, eo quod pontificalia et alia sic suspensis interdicta exercuit per eum quomodolibet contractâ, eâdem auctoritate dispensandi, plenam et amplam facultatem, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCLVI [1], pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1656, pontif. an. II.

CXL.

Deputatio internuncii Belgii in executorem Bullae SS. D. N. qui confirmavit Bullam Innocentii X super definitione quinque propositionum in materiâ fidei occasione impressionis libri Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus [2].

Dilecto filio Hieronymo, abbati S. Mariae Montis Regalis.

Alexander Papa VII,

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Nuper constitutionem, declarationem et definitionem in litteris felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri pridie kalendas iunii MDCLIII expeditis, per quas ipse Innocentius praedecessor, occasione impressionis libri cui titulus *Augustinus* Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, quinque propositiones in materiâ Recenset confirmationem Bullae Innocentii X.

1 Ed. Main. habet 29 ianuarii MDCLVI, an II, quae minime cohaerent nec inter se, neque cum praecedentibus. Itaque putavimus legendum XXX octobris an. II (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

fidei tamquam haereticas damnavit, contentas confirmavimus, approbavimus et innovavimus, et quinque propositiones praefatas ex libro praememorati Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse declaravimus et definivimus, et uti tales, inustâ scilicet eâdem singulis notâ quae in praedictâ declaratione et definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, ita iterum damnavimus, ac eumdem librum saepedicti Cornelii Iansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quam typis editos, et si quos forte in posterum edi contingeret, in quibus praedicta eiusdem Cornelii Iansenii doctrina, ut supra, damnata defenditur, vel adstruitur, aut defenderetur, vel adstrueretur, damnavimus itidem et prohibuimus, et aliàs prout uberius continetur in nostris desuper XVII kalendas novembris praesentis anni MDCLVI expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso.

Amplam nuncio facultatem impertitur.

§ 2. Quamvis autem in praedictis nostris litteris deputati fuerint executores venerabiles fratres patriarchae, primates, metropolitani, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii, necnon haereticae pravitatis inquisitores et iudices ecclesiastici ad quos pertinet, quia tamen praemissa debitae executioni praesertim intra fines istius nunciaturae apostolicae Belgii accuratius demandatum iri confidimus, si et tibi qui ad exercendum contentiosam iurisdictionem eiusdem nunciaturae a nobis deputatus es, executio huiusmodi committatur: propterea, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, nedum in defectum seu in eventum negligentiae praedictorum executorum aut alicuius eorum, sed aeque principaliter, et perinde ac si tu speciatim in praedictis litteris unà cum aliis illarum executor nominatus et deputatus fuisses, in id sedulo incumbas, ut in quocumque loco sub iurisdictione dictae nunciaturae comprehenso eaedem litterae cum omnibus et singulis contentis in illis debitae executioni demandentur, et illarum transgressores poenis et censuris in dictis litteris contentis puniantur, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii secularis. Super quibus nos tibi plenam et liberam ac amplam et necessariam quomodolibet et opportunam concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV novembris MDCLVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 novembris 1656, pontif. anno II.

CXLI.

Convalidatio omnium novarum electionum praelatorum in vim confirmationum factarum Ordinis fratrum Discalceatorum nuncupatorum S. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et

quod officium superiorum non possit protendi, nisi ad aliud triennium [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In sublimi Sedis Apostolicae fastigio meritis licet imparibus ineffabili divinae providentiae consilio collocati, religiosorum virorum sub suavi arctioris religionis iugo vota sua Altissimo reddere laudabiliter satagentium commoditatibus libenter intendimus, illisque paternae benignitatis nostrae favores impertimur, prout, maturâ consideratione adhibitâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Antonius a Christo, procurator generalis congregationis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs, postquam felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die XX augusti MDCXXII expeditas litteras inter alia statuerat et ordinaverat, ut in omnibus et singulis officiis aequalibus vel inferioribus dictae congregationis alternativa trium annorum observari deberet, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster per suas pariter in formâ Brevis die XII iulii MDCXXVII expeditas litteras eiusdem congregationis definitorio, quod ipsius congregationis illiusque domorum praelatos ordinarios et alios quocumque nomine nuncupatos superiores (non tamen provinciales) in eorum officiis, prout e re dictae congregationis illiusque domorum magis expedire in Domino iudicasset, ad aliud triennium confirmare, sive ad eadem officia de novo, etiam alternativâ trium annorum huiusmodi minime observatâ, eligere valeret, facultatem concessit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, definitorium praedictum subinde (attento quod in eisdem Urbani praedecessoris litteris expresse declaratum non reperiebatur praelatos ordinarios et alios superiores huiusmodi ad unum triennium dumtaxat confirmari, sive ad eadem officia de novo, dictâ alternativâ non observatâ, eligi posse) triginta fere annorum spatio, prout interea expedire visum est, praelatos ordinarios et alios superiores praedictos in eorum officiis non solum ad unum sed etiam ad plura immediate sequentia triennia confirmaverit, sive ad illa de novo, eâdem alternativâ minime observatâ, elegerit; nunc vero de confirmationum et novarum electionum huiusmodi et inde secutorum validitate et subsistentiâ plurimum dubitetur; et propterea idem Antonius procurator generalis opportune a nobis in praemissis provideri summopere desideret:

§ 2. Nos, ipsum Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon eorumdem Antonii et praelatorum ordinariorum aliorumque superiorum ac definitorii praedicti singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis, praeterquam praemissorum, occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Antonii procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confirmationes et novas electiones memoratorum praelatorum ordinariorum et aliorum quocumque nomine nuncupatorum superiorum, non tamen provincialium, dictae congregationis illiusque domorum ultra unum aliud triennium respective a definitorio Concessio.

[1] Ne iam indicata otiose repetam, te remitto ad ea, quae notavi ad Urbani VIII Constit. CCCXIII, tom. XIII, pag. 21, *Ex clementi*.

praedicto, sicut praemittitur, aliàs tamen canonice factas, cum inde secutis quibuscumque, et per ipsos praelatos ordinarios et alios superiores in vim confirmationum et novarum electionum huiusmodi factis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, convalidamus in omnibus et per omnia, perinde ac si eaedem confirmationes et novae electiones nonnisi ad unum triennium respective factae fuissent, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, qui desuper propter praemissa quomodolibet intervenerunt, sanamus et abolemus.

Absolvit a censuris. § 3. Praetera omnes et singulos praelatos ordinarios et superiores praedictos necnon personas eiusdem definitorii a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis per eos et aliàs respective praemissorum occasione quoquomodo incursis, auctoritate et tenore praedictis, in utroque foro absolvimus et plenarie liberamus. Declaramus in futurum praelatos ordinarios et alios quoscumque[1] nomine nuncupatos superiores universae congregationis praedictae, illiusque domorum, quos ad aliud triennium in eorum officiis confirmandi seu de novo ad illa eligendi facultas eidem definitorio, ut praemittitur, a dicto Urbano praedecessore concessa fuit, non ultra unum dumtaxat triennium immediate proximum in eorum officiis a memorato definitorio respective confirmari, sive ad illa de novo, alternativâ trium annorum huiusmodi minime observatâ, eligi posse; ac decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab aliis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, illisque respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Aptius lege *quocumque* (R. T.).

Obstantia tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, qualenus opus sit, dictae Congregationis, eiusque provinciarum et domorum quarumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenitentiam imponit. § 5. Volumus autem ut praedicti praelati ordinarii et superiores, necnon personae dicti definitorii, poenitentiam[1], quam ipsis respective sacerdos idoneus propter praemissa imposuerit, adimpleant, alioquin eaedem praesentes quoad absolutionem eis in foro conscientiae nullatenus suffragentur, utque ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem omnino fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi iubet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 ianuarii 1657, pontif. anno II.

CXLII.

Confirmatio erectionis collegii Chisii duodecim alumnorum theologiae studio-

1 Male edit. Main. legit *poenitentia* (R. T.).

sorum canonicorum regularium congregationis regularis SS. Salvatoris sub regulâ S. Augustini, sub invocatione S. Alexandri Papae et martyris, in canonicâ Bononiensi eiusdem congregationis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae throno, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, illa, quae a religiosis viris pro rectâ iuvenum institutione studiorumque promotione provide facta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis patrocinio roboramus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.

Expositio super erectione et legibus collegii Chisii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prudentius Ianuensis, procurator generalis Congregationis canonicorum regularium SS. Salvatoris, sub regulâ S. Augustini, quod eadem Congregatio in eius dietâ novissime habitâ collegium Chisium nuncupandum duodecim alumnorum sacrae theologiae studiosorum canonicorum regularium dictae Congregationis sub invocatione S. Alexandri Papae et martyris in canonicâ Bononiensi Congregationis huiusmodi perpetuo erexit sub legibus seu ordinationibus tenoris qui sequitur, videlicet:

I. Optantes dietae hoc anno celebratae Bononiae patres, pro muneris sui sollicitudine ac iuvenum religiosâ instructione, eorum studia promovere, reformare ac dirigere, statuerunt ac statuunt fundari erigique collegium perpetuis ac futuris temporibus duraturum in hac eâdem canonicâ SS. Salvatoris *Chisium* nuncupatum sub invocatione S. Alexandri Papae et martyris, in quo non amplius quam duodecim alumni degant.

II. Collegium iam dictum, pro humili obsequio erga summum regnantem Pontificem *Chisium* nuncupatum, in annuis natalitiis S. Alexandri Papae et martyris tutelaris praedicti cantare curet missam solemnem cum secundâ oratione pro sanctissimo domino nostro Papa Alexandro VII, ac deinde ab altero alumnorum oratio sive concio de eiusdem tutelaris laudibus publice habeatur, horisque promeridianis ab altero theses publice defendendae e sacrâ theologiâ exponantur.

III. Non possint alumni aliam doctrinam complecti et sequi quam divi Thomae Aquinatis, quae a lectoribus perpetuo exponatur quam maxime ad germanum sanctissimi doctoris sensum.

IV. Per quinque annos in collegium admissi perseverare teneantur, et cursum theologicum in Summam a divo Thoma redactam ordinate explere.

V. Horis matutinis quotidie lectio habeatur, cui omnes omnino interesse debeant, nullas ob causas vacatione admissâ, exceptis diebus festis et solitae inter hebdomadam vacationis. Horis vero pomeridianis[1] revocatis alumnis praeactae lectionis collatio fiat, ut eorum, quae mane audita sunt, altius memoria firmetur, in dictâ tunc gymnasio repetitione.

VI. Quolibet mense eâdem de materiâ, quae lecta et exposita fuerit, publice discutiendae theses proponantur, a quo onere nemo excipi valeat, et expleto annuo cursu totius lecturae theoremata solemnius in ecclesiâ agitanda ab omnibus alumnis publicentur.

VII. Durante quinquennio nec per abbatem generalem quivis alumnorum removere possit, prout etiam constitutionum nostrarum lege cautum est; quod si qui correctione sive acriori animadversione dignum perpetraverint, inibi, iuxta regularia nostra instituta, puniantur, iis tantummodo casibus exceptis, qui alumni

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *promeridianis* (R. T.).

expulsionem et remotionem expostulaverint, quo sane remedio utendum erit, si quis praefracte et obstinate has collegii leges observare recusaverit.

VIII. Non solum vero alumni sub abbatis canonicae et eius vicarii obedientiâ, religiosâ humilitate animique submissione, degant, sed etiam lectorem observent illique pareant, nedum in iis, quae studiorum et obedientiam spectat *, sed si quid maxime in scholâ peccaverint.

* Sic.

IX. Verum, quia sine praemio et auctionibus nil arduum et praeclarum iners humana fragilitas et impotentia assequeretur,

1° Alumnis concedendum putaverunt patres exemptionem a duabus[1] horis, quae in choro habentur, nempe primâ et completorio, exceptis diebus festis et vigiliis, itemque quadragesimae tempore:

2° Pro emendis sibi necessariis libris, singulis quibusque alumnis supra taxam solitam vestiarii scuta duo monetae romanae conferantur:

3° Ii ceteris praeferantur in capitulis generalibus minoribusque comitiis ad theses publicas sustinendas:

4° Exacto quinquennio, et licentiatis tum alumnis (quod per litteras patentes per abbatem generalem et visitatores erit exequendum), lecturae canonicarum concedantur, itemque ad animarum curam praesententur, necnon[2] concursum vel ab ipso abbate generali suspendi et impediri quoquo modo valeat, nisi in casu, quo morum dissonantia et indecens vitae conversatio obstiterit:

5° Privilegiis omnibus lectorum, quos perpetuos ex rescripto constitutionum nostrarum vocant, uti valeant, et si eiusdem patriae, cuius sunt alumni nationales, dignitas abbatialis vacaverit, ad eamdem assumi eligique debeant, si in reliquis requisitis pares ceteris erunt, etsi modo quadrigesimum aetatis annum attigerint, et morum religiosaeque probitatis semper exempla dederint, uti felix memoria Urbani VIII circa lectores et novitiorum magistros per suum Breve sancivit.

6° Postremo, exacto quinquennio, tempore opportuno indicet abbas generalis substituendis alumnis concursum, et eos tandem eligat, qui habiliores in examine fuerunt reperti, quibus publica Congregationis spes committi valeat, omnibus humanae passionis sensibus omnino compressis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Prudentius praemissa, pro firmiori eorum subsistentiâ et validitate, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communire[1] summopere desideret: nos, ipsum Prudentium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem collegii praedicti, sicut praemittitur, factam, eiusque leges seu ordinationes praeinsertas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Confirmatio erectionis et legum praedictarum.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, illisque, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suf-

Decretum irritans.

1 Edit. Main. legit *duobus* (R. T.).

2 Videtur legendum *nec* pro *necnon* (R. T.).

1 Videtur legendum *communiri* (R. T.).

fragari, et ab illis respective perpetuo inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, qusvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis et canonicae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 ianuarii 1657 [1], pontif. anno II.

CXLIII.

Confirmatio statuti capituli ecclesiae Bitterrensis, ut de quibusdam beneficiis provideatur per turnum ad praesentationem singulorum canonicorum[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Bitterrensis, quod ipsi in eorum capitulo generali de anno MDCLV celebrato capitulariter congregati ad evitandas tollendasque contentiones et discordias, quae inter ipsos (occasione collationis nonnullorum beneficiorum ecclesiasticorum collativorum tenuissimi redditus ad eos et capitulum huiusmodi communiter et coniunctim, ut asserunt, pertinentis, occurrente pro tempore eorum vacatione, propter multitudinem illa conferri sibi petentium, diversaque ipsorum exponentium ad competentium favorem respective studia) enasci solebant, abususque, qui exinde irrepere poterant removendos, rationi consonum existimarunt, si de dictis beneficiis modo praemisso eatenus conferri solitis in posterum perpetuis futuris temporibus occurrente eorum vacatione, nonnisi ad praesentationem canonici hebdomadarii in turno ut infra statuto existentis disponeretur;

Exponitur statutum ecclesiae Bitterrensis ut de quibusdam beneficiis provideatur ad praesentationem singulorum canonicorum.

§ 2. Quapropter turnum hebdomadarium pro praesentationibus ad beneficia huiusmodi per canonicum dictae ecclesiae debite qualificatum pro tempore faciendis in qualibet die sabbati horâ tertiâ post meridiem stabiliri et per dilectum pariter filium Ioannem de Maussac, modernum archidiaconum maiorem nuncupatum et canonicum ecclesiae praedictae inchoari, in eiusque personâ hebdomadâ immediate sequenti eodem die sabbati et eâdem horâ tertiâ compleri, perfici et absolvi; et successive turnum huiusmodi ad alios canonicos dictae ecclesiae in aliquo ex sacris ordinibus constitutos, vocemque in capitulo habentes, ac aliàs debite qualificatos, licet absentes, sed tunc pro eis eorum procuratores seu vicarios legitimos, divisim de uno ad aliud iuxta ordinationem inter eos statutam vel statuendam transire, ac etiam per eos similiter compleri, perfici et absolvi; praeterea tam nomina et cognomina canonicorum praedictorum numero duodecim existentium et capitulum praedictum constituen-

1 Edit. Main. ad marg. habet *1656* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tium, quam titulos et denominationes beneficiorum praedictorum in tabulâ in archivio eiusdem capituli asservandâ describi, necnon praesentationem personarum in dictis beneficiis pro tempore quandocumque vacantibus faciendam ad canonicum memoratae ecclesiae in dicto turno existentem debite qualificatum, seu, pro eo, eius procuratorem, aut vicarium, ut supra; institutionem vero ad alios canonicos et capitulum communiter et coniunctim spectare et pertinere; ac praesentationem, sicut praemittitur, semel factam, per alios canonicos et capitulum huiusmodi acceptari, et in vim illius per eosdem personam idoneam tamen et debite qualificatam ad beneficium tunc ex supradictis vacans praesentatam in illo institui posse et debere; sed, canonicis et capitulo praedictis praesentationem, sicut praemittitur, factam acceptare et personam praesentatam, tum ob defectum eius aetatis, tum ob aliam causam legitimam, instituere recusantibus, licere eidem canonico, seu eius legitimo procuratori praesentari[1], cuius praesentatio, sicut praefertur facta, per dictos canonicos acceptata non fuerit, variare, et ad aliam, imo vero ad tot alias quot similes recusationes fieri contigerit, procedere, donec tandem aliqua praesentatio, sicut praefertur facta, per eosdem canonicos et capitulum acceptata fuerit; ita tamen, ut, in eventum iteratae recusationis huiusmodi, dicti canonici et capitulum causam eiusdem iteratae eorum recusationis legitimam et rationabilem allegare et reddere teneantur; et nihilominus licere tunc eidem canonico, seu eius procuratori praesentatori, causam huiusmodi approbare, vel non approbare, et aliàs iuri suo praesentationis huiusmodi, prout sibi visum et de iure fuerit, providere, reservato nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito, statuerunt, prout in actu deliberationis dicti capituli generalis desuper confecto plenius dicitur contineri. Quare iidem exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Sequitur confirmatio.

§ 3. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula praemissa a memoratis exponentibus statuta, salvis tamen reservationibus et affectionibus apostolicis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione

1 Forsan legendum *praesentatori*, ut paulo infra, vel aliter corrigat lector scius (R. T.).

apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 februarii 1657, pontif. an. II.

CXLIV.

Subsidium centum millium scutorum auri super fructibus ecclesiasticis quarumvis ecclesiarum et beneficiorum in dominio Veneto existentibus pro expensis contra Turcas ab eâdem Republicâ faciendis[1].

Alexander Papa VII.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Etsi[2] nobis, pro curâ pastoralis officii divinâ disponente providentiâ nobis meritis licet imparibus commissi, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque nisi summa necessitas cogat re ipsâ animo statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod a duodecim vel circiter annis dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum intulit, etiamnum ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores quam unquam antea tam maritimas quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur:

Subsidium centum millium scutorum pro Veneta Republica super fructibus ecclesiarum existentium in praedicto dominio.

§ 2. Nos, considerantes non minus clericorum, quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur, cogimur de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod ipsi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium et quorumvis Ordinum et militiarum (non tamen hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, cuius fratres pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit), regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis se-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

[2] Similes vide Innocentii X in tom. XV, pagina 397, 638 et 736 (R. T.).

cularibus et regularibus quibuscumque, tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon sancti Benedicti, sancti Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemontratensium, Carthusiensium, Camaldulensium, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, monachorum eremitarum S. Hieronymi, et quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinensis, aliàs S. Iustinae, S. Salvatoris et Lateranensis aliarumque congregationum, tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium ex privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquo modo ecclesiasticos habentium, in dominio praedicto ecclesias, monasteria, et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus, et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento etiam cum susceptione censurarum et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos et concessis non utendo, vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super iisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi habentibus, et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis vel militiae existant (quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia, exemptiones, aut indulta, sub quacumqne verborum formâ et expressione concessa, quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus; fratribus et personis dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium non nisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur) proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas secundum aequalem ac discretam partitionem, quam ad nos quamprimum mitti mandamus, per venerabiles fratres Carolum episcopum Aversanum nuncium nostrum et patriarcham Venetiarum distribuendam, ac in locis et terminis, modisque et formis per ipsos Carolum episcopum nuncium et patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendis, ordinandis et declarandis, omnino de praesenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcollectores, qui sint personae ecclesiasticae ad hoc ab ipsis deputandae [1], percipiendum, exigendum et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas et non in alios usus convertere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus et declaramus.

Mandat collectoribus quaecumque pro exactione praedicti subsidii.

§ 3. Nec non eisdem collectoribus generalibus, et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, administratoribus, electis, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis (praeterquam ut supra expressis) ratam dicti subsidii, eos et eorum quemlibet, ut praemittitur, tangentem, petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos interdicti et suspensionis ingressus eccle-

1 Vel *deputandi*; male ed. Main. legit *deputandos* (R. T.).

siae, quoad alios vero privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi; contradictores quoslibet, rebelles et suam ipsius subsidii partem solvere recusantes seu differentes, et ne illa solvatur persuadentes directe vel indirecte, per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi; brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi; solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula, alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Expensas faciendas in exactione subsidii in centum millibus scutis minime computari decernit.

§ 4. Volentes tamen quod personae ecclesiasticae praedictae, ratione subsidii huiusmodi, eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam, ratione similium subsidiorum a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro concessorum, solverunt[1], et nihil amplius; quodque expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum millibus scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praesentibus, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione, a nobis et Sede Apostolicâ etiam consistorialiter et motu simili ac aliàs quovis modo emanatis et[1] concessis, et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur[2] nisi sub certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individue servatis habentes, ad praemissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 6. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis et quibusvis aliis communiter vel

1 Vide loc. cit. in nota ad rubr. (R. T.).

1 Coniunct. *et* addimus in loc. parall. (R. T.).

2 Ed. Main. legit *censeat* (R. T.).

divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum divino cultui dicata causâ pignoris vel aliàs occasione solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur[1], vel occupentur; quodque earumdem praesentium litterarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 februarii 1657, pontif. anno II.

CXLV.

Ut ecclesiastici civitatis et dioecesis Oscensis concurrere valeant cum laicis ad solutionem gabellae pro extinctione aeris alieni impositae.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis Oscensis, quod (cum eadem civitas aere alieno vigintiocto millium, centum viginti trium scutorum argenti monetae illarum partium, ad censum captorum ex causâ expensarum ratione pestis quae ipsam civitatem biennio vel circiter afflixit factarum, gravata reperiatur, neque pro extinctione aeris alieni huiusmodi, adhibitâ licet omni diligentiâ, modum ullum inveniat praeter impositionem gabellae *sisa* nuncupatae, ad cuius solutionem etiam personae ecclesiasticae eiusdem civitatis, non suppetentibus quippe laicorum facultatibus, concurrere debeant) venerabilis frater episcopus, ac dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae, necnon reliquus clerus secularis et regularis Oscensis impositioni eiusdem gabellae et concursui personarum ecclesiasticarum huiusmodi ad illius solutionem consenserunt, attento quod expensae praedictae non minus in earumdem personarum ecclesiasticarum, quam laicorum utilitatem factae fuerunt. Quare iidem episcopus, capitulum et canonici, clerus ac exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Facultatem ecclesiasticis impertitur, ut concurrant ad solutionem gabellae pro extinctione aeris alieni impositae.

§ 2. Nos igitur, ipsos episcopum, capitulum et canonicos, ac clerum et exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis personis ecclesiasticis licentiam concurrendi unà cum laicis ad solutionem dictae gabellae *sisa* nuncupatae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur; dummodo vere concurrat consensus ipsius episcopi, necnon cleri secularis et regularis, facultatesque laicorum, ut exponitur, non suppetant, et ab

1 Ed. Main. legit *capiant, distrahant* (R. T.).

eodem episcopo, auditis deputatis ab eisdem cleris, necnon a civitate praescribatur taxa proportionata utilitati et commoditati privatae, quam occasione dictae pestis personae ecclesiasticae receperunt, super quo dicti episcopi conscientiam oneramus; dictaeque taxae eaedem personae ecclesiasticae ulterius contribuere non debebunt, sed exemptione ac immunitate eisdem ex dispositione sacrorum canonum, conciliorum et constitutionum apostolicarum competente libere gaudeant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, maioris et aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, conventuum, collegiorum et piorum locorum quorumlibet civitatis praedictae, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VII martii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 martii 1657, pontif. anno II.

CXLVI.

Ne, ob dissensiones inter principem Masserani et suos vassallos vertentes, iura Sedis Apostolicae, ac iurisdictio et loca dicti principatus, qui feudum S. R. E. existit, aliquod detrimentum patiantur, et ut facilius dissensiones praescriptae componi possint, deputat gubernatorem in dicto principatu cum diversis facultatibus[1].

Dilecto filio Iulieno Laureti, iuris utriusque doctori, Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Tuis[2] in nos et hanc sanctam Sedem fide et devotione, necnon integritate, doctrinâ et rerum gerendarum usu, aliisque laudabilibus virtutum tuarum meritis inducimur, ut te rei, quae nobis maxime cordi est, administrandae libenter praeficiamus, firmâ spe in Domino freti, te iuxta datam tibi a Domino prudentiam desiderio nostro cumulate satisfacturum.

Iulianum Lauretum principatus Masserani gubernatorem creat.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, inter dilectum filium nobilem virum Paulum Bessum Ferrerium Fliscum principem Masserani, ac universitates et homines locorum dicti principatus, qui feudum sanctae Romanae Ecclesiae existit, graves dissensiones seu differentiae versantur: nos, ne propterea iura nostra et Sedis Apostolicae, ac iurisdictio in dicto principatu, eiusque oppida seu loca aliquod detrimentum patiantur, simulque prospero illorum regimini et gubernio, ac faciliori dissensionum sivo differentiarum huiusmodi compositioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, te dicti principatus, ac terrarum, oppidorum, castrorum, arcium et fortalitiorum, ac locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub dicto principatu quomo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide alium circa hoc feudum Constitutionem Urbani VIII in tom. XIV, pag. 465 (R. T.).

dolibet comprehensorum gubernatorem, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate, iurisdictione, honoribus, oneribus, provisione, salariis et emolumentis solitis et consuetis, et cum facultate in marchionatu Crepacorii, et aliis castris et locis sub illo comprehensis, praetorem, in illisque ac dicto principatu, aliisque locis supra expressis, quoscumque alios officiales et ministros, etiam speciali notâ et expressione dignos, ad tui nutum amovibiles, pro iustitiâ administrandâ constituendi et deputandi, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; tibique per praesentes committimus et mandamus, ut quamprimum fieri poterit ad principatum huiusmodi personaliter te conferas, necnon in principatu, terris, oppidis, castris, arcibus, fortalitiis et locis praedictis quamcumque iurisdictionem, civilem, criminalem et mixtam, nostro et Apostolicae Sedis nomine, exerceas, aliaque omnia et singula, quae pro felici principatus, oppidorum, terrarum, castrorum, arcium, fortalitiorum et locorum praedictorum, earumque universitatum et hominum gubernio prospereque regimine necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, facias, dicas, geras et exequaris, super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Inobedientes punit.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis ac etiam excommunicationis latae sententiae poenis, omnibus et singulis principatus, terrarum, oppidorum, castrorum, arcium, fortalitiorum et locorum praedictorum universitatibus, hominibus et personis, praetoribus, capitaneis, castellanis, magistratibus et aliis officialibus, ut te in gubernatorem huiusmodi iuxta tenorem praesentium recipiant, tibique pareant, faveant et assistant, tuaque iussa, monita et mandata, eâ qua decet obedientiâ et fide exequantur et adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti principatus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem quod de officio gubernatoris huiusmodi recte et fideliter exercendo, ac de non recipiendo aliquod genus muneris, praeter esculenta et poculenta quae triduo consumi possint, in manibus dilecti filii nostri et Apostolicae Sedis in civitate nostrâ Bononiensi de latere legati debitum praestes in formâ solitâ iuramentum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 martii 1657, pontif. anno II.

CXLVII.

Confirmatio decreti congregationis Rituum, quo in perpetuum presbyteris Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi, ceterisque omnibus in eorum institutionis domibus cohabitantibus, tribuitur facultas quotannis tamquam de Patronis die XXVIII *ianuarii festum solemnitatis Domini Iesu et die* XVII *septembris festum solemnitatis Beatissimae Virginis cum octavis recolendi, necnon missas et officia aliàs approbata celebrandi recitandique* [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris, quae ad divinum cultum et fidelium devotionis augmentum sapienti conspicimus decreta esse consilio, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Decretum aliàs a Congregatione Rituum emanatum recensetur. § 1. Emanavit siquidem a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra rituum congregatio, piis presbyterorum Oratorii Iesu Christi Domini nostri votis benigne annuens, tum ipsis, tum futuris in perpetuum eiusdem instituti viris ubique locorum existentibus, ceterisque omnibus in eorum institutionis domibus cohabitantibus, quotannis, tamquam de Patronis, die XXVIII mensis ianuarii festum solemnitatis Domini Iesu, et die XVII septembris festum solemnitatis gloriosissimae Virginis cum octavis recolendi, necnon missas et officia olim a sacrâ congregatione vel aliis[1] ab Apostolicâ Sede approbata celebrandi, recitandique facultatem attribuit. Die XV novembris MDCLVI.

Card. SACCHETTUS, I. episc. Sabinensis.

FRANCISCUS M. PHEBEUS, sacr. rit. congreg. *secretarius* ».

Petitur confirmari. § 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum presbyterorum praedictorum nobis nuper expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent:

Confirmat Pontifex. § 3. Nos, specialem eisdem[2] presbyteris gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCLVII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 martii 1657, pontif. anno II.

CXLVIII.

Ne commendatarii monasteriorum Camaldulensium deinceps se ingerant in

1 Videtur legendum *aliàs* (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *eiusdem* pro *eisdem* (R. T.).

electione eorumdem superiorum, aliorumque officialium[1].

Alexander Papa VII.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis commissum exposcit, ut religiosorum virorum sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum paternam curam gerentes, illos a gravaminibus indebitis tueamur, ac eorum commodis et felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulamus.

Supplicatio. § 1. Cum itaque (sicut dilectus filius Odoardus Bainardus, congregationis Camaldulensis Ordinis sancti Benedicti procurator generalis, nomine totius congregationis huiusmodi nobis nuper exponi fecit), licet sacri Concilii Tridentini decretis cautum reperiatur, ut priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus subpriores, qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus vel ipsorum Ordinum visitatoribus instituantur, nonnulli nihilominus commendatarii quaedam monasteria congregationis praedictae in commendam obtinentes (forsan in vim litterarum apostolicarum super eorumdem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus ipsorum monasteriorum cura, regimen et administratio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, plenarie committitur) ius instituendi ac destituendi priores et officiales claustrales, necnon visitandi, corrigendi, statuendi et ordinandi et exercendi ea quae institutum regulare concernunt, ad se spectare, electionibus et depositionibus priorum et subpriorum, aliorumque officialium, ac etiam visitationibus et monachorum correctionibus sese ingerere, quinimo superiores dictae congregationis, monasteria praedicta visitare et reformare iuxta eiusdem congregationis regularia instituta cupientes, repellere praetendant et praesumant non sine gravissimo ipsius congregationis, eiusque monasteriorum, ac superiorum et monachorum praeiudicio et observantiae regularis detrimento:

§ 2. Hinc est quod nos, inconvenientibus huiusmodi remedium adferre, dictumque Odoardum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon concilii praedicti decretis et resolutionibus congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae in similibus casibus antehac emanatis inhaerentes, commendatariis praedictis non licere priores et subpriores aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates ipsis commendatariis in litteris apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea, quae institutum regulare concernunt et eiusdem Concilii Tridentini dispositione monastico regimini relinquuntur, trahi posse, aut debere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus ac decernimus et statuimus. A censuris absolvit.

§ 3. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis, sive etiam loco- Decernit prout in rubrica.

[1] Consimilem prohibitionem fecit Innoc. X Const. CXCIII, *Pastoralis officii*, tom. XV, pagina 771 pro commendatariis Cisterciensibus, quam innovavit hic Pontifex in sua Const. XXIX, *Exponi nobis*, ut sup. pag. 46.

rum Ordinariis, vel dictae congregationis Camaldulensis conservatoribus, per easdem praesentes iniungimus, ut, quotiescumque requisiti fuerint, ab huiusmodi vexationibus ac violentiis manifestis commendatarios per censuras et alia iuris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, cohibeant et compescant; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Exequutores deputat.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo tamen ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, congregationis et ordinationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCLVII[1], pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 martii 1657, pontif. anno II.

CXLIX.

Pro electione consultorum et arbitri Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis nullo licet meritorum nostrorum suffragio impositi sollicitudo nos admonet, ut congregationibus religiosorum virorum, ad omnipotentis Dei gloriam exhibendaque christifidelibus charitatis officia pie institutis, de idoneis ministris, qui earum utilitatibus sedulo invigilent, nonnunquam, prout res et tempora poscunt, provideamus.

Motiva.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Sanctius Cacciamanus, Congregationis clericorum regularium Ministrantium Infirmis nuncupatorum praepositus generalis, nobis nuper exponi fecit, capitulum generale eiusdem Congregationis (quod die IV maii proxime venturi pro electione quatuor consultorum et arbitri ipsius Congregationis, iuxta constitutiones illius auctoritate apostolicâ confirmatas ac eiusdem Congregationis provinciarum divisionem a nobis per quasdam in simili formâ Brevis die XXII novembris MDCLV

[1] Male edit. Main. legit 1656 (R. T.).

expeditas litteras factam, in locum modernorum consultorum et arbitri, qui vigore aliarum nostrarum pariter in formâ Brevis litterarum die III februarii MDCLVII expeditarum officia sua respective usque ad diem IV maii huiusmodi et non ultra continuare debeant, celebrari deberet) ob impedimenta adhuc interdicti inter nonnullas Italiae regiones nuperi contagii occasione commercii celebrari non possit:

Eligit consultores prout in rubricâ.

§ 2. Hinc est quod nos, Congregationi huiusmodi opportune hac in re providere volentes, ac de infra nominatorum eiusdem Congregationis religiosorum expresse professorum prudentiâ, rerum agendarum peritiâ, dexteritate, charitate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, auditâque super illorum qualitatibus et requisitis venerabilis fratris nostri Iulii episcopi Sabinensis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Sacchetti nuncupati Congregationis praedictae apud nos et Sedem Apostolicam protectoris relatione, necnon eorumdem Sanctii praepositi generalis et religiosorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Sanctii praepositi generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilectos filios Cosimum Lenza, presbyterum, pro Siciliae, Ioannem Baptistam Barberis, etiam presbyterum, pro Neapolitanâ, Vincentium Colli, laicum, pro Mediolanensi, ac Ioannem Mariam Poli, etiam laicum, pro Romanâ provinciis Congregationis praedictae consultores, necnon Ioannem Stephanum Garibaldi, presbyterum, dictae Congregationis religiosos expresse professos, in arbitrum eiusdem Congregationis pro provinciâ Mediolanensi respective, ad tempus quo existentes pro tempore Congregationis huiusmodi consultores et arbiter officia sua iuxta regularia ipsius Congregationis instituta auctoritate apostolicâ confirmata gerere consueverunt, statim atque supradicti moderni consultores et arbiter tempus suum respective compleverint ut praemittitur inchoandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Ipsos recipi mandat.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis dicto Sanctio praeposito generali, ac omnibus et singulis memoratarum provinciarum religiosis, ceterisque ad quos quoquo modo spectat et spectabit in futurum, ut supra nominatos religiosos ad officia eis per praesentes demandata exercenda respective recipiant, illisque faveant et assistant; ac decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac praenominatis religiosis plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et provinciarum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et in-

sertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die I aprilis MDCLVII, pontificatus nostri anno III[1].

Dat. die 1 aprilis 1657, pontif. anno III.

CL.

Pro rectâ administratione bonorum ad basilicas et collegiatas seculares ecclesias Urbis pertinentium.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pro commissâ nobis divinitus dispensatione, basilicarum aliarumque ecclesiarum collegiatarum et secularium almae Urbis nostrae utilitatibus sedulo invigilantes, ac probe perspectum habentes exactam regendarum ecclesiarum rationem summopere a ministrorum electione dependere, nihilque magis conservationi et augmento reddituum ex bonis temporalibus provenientium conducere, quam si frequentius capitula habeantur, quorum occasione omnes et singuli canonici praesentes instruantur circa rei communis commoda et momenta, idoneique fiant ad prospiciendum emergentibus necessitatibus, tum opere, tum consilio,

Bis in mense canonicos in § 1. De venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et aliorum locorum piorum dictae Urbis a nobis institutae deputatorum consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, mandamus et praecipimus, ut in singulis basilicis ac aliis ecclesiis collegiatis et secularibus eiusdem Urbis, tempore quidem aestivo bis in mense, extra tempus aestivum vero singulis hebdomadis, statutâ die, et horâ post celebratam missam conventualem si ante meridiem, seu post expletum officium si post meridiem, omnes canonici respective intersint capitulo, sub poenâ unius puncti pro quolibet absente, quod accrescat interessentibus ultra id quod quandoque dari solet pro eiusmodi praesentiâ; ibique tam camerarii, fabricerii et exactores quam alii administratores bonorum capituli communicent celeris negotia, quae sint alicuius momenti ad ipsam oeconomiam spectantia. Referant villici super eorum ministerio, illisque absentibus, legantur eorum litterae, et ipsi, si opus fuerit, vocentur ad Urbem. Audiantur procuratores super statu litium et causarum. Ratiocinator exhibeat folium dati et accepti, ac credita et debita cum depositario, necnon notulam pecuniarum exigendarum, aerisque alieni persolvendi. Quae omnia canonicis audientibus a secretario legantur, ut omnes sint informati, ac invigilent bonorum administrationi, creditorum celeri exactioni, ac debitorum suis temporibus solutioni. Negotia maioris momenti nonnisi a capitulo et per secreta suffragia semper deliberentur, sub poenâ nullitatis, aliisque gravioribus nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis. Acta singulorum capitulorum diligenter per secretarium describantur in libro ad hoc designato, et in archivium singulis annis reponantur. singulis basilicis intervenire mandat.

1 Potius lege an. II; vel an. MDCLVIII foret legendum, ut habet Cherubinius, quo casu pertineret ad annum sequentem (R. T.).

Electiones officialium per secretum scrutinium decernit, nec canonicos beneficia recusare posse constituit.

§ 2. Electiones officialium quorumcumque fiant semper per secretum scrutinium in aulâ capitulari, et nennisi ad unum; nec prorogari possint, nisi ob legitimam causam et per vota secreta; administrateres vero bonorum, reddituum, seu pecuniarum ecclesiae, quovis nomine appellentur, post annum confirmari non possint, nisi prius exhibitâ ratione dati et excepti, et non ultra triennium. Porro nemini canonicorum aut beneficiatorum liceat officium, ad quod capitulariter electi fuerint, recusare, aut illius exercitium differre, praeterquam ob legitimum impedimentum ab eodem capitulo per vota secreta approbandum, sub poenâ privationis omnium fructuum, distributionum et emolumentorum quorumcumque eorum canonicatus et praebendae ac beneficii respective per sex menses; quibus eo ipso privati censeantur, illaque accrescant iis, qui in eorum locum et officium subrogati fuerint, quocumque recursu et appellatione postpositis.

Camerarios et sacristas rationem reddere et computa decernit.

§ 3. Camerarii, fabricerii, aliique administratores debeant frequenter facere computa eorum oeconomiae, et in fine cuiuslibet anni rationem reddere generalem syndicis ad id deputatis, totique capitulo: qui si non reddiderint per totum mensem ianuarii anni sequentis, tam camerarii, fabricerii et administratores supradicti, quam syndici, si non institerint et negligentes fuerint in revisione computorum, amittant distributiones trium mensium, et ulterius donec adimpleverint, ac distributienes praedictae cedant eo ipso in utilitatem sacristiae, teneanturque sacristani sub poenâ solvendi de proprio agere coram suis iudicibus pro solutione poenae praedictae. Quod si novi camerarii mensatas non retinuerint ad praescriptum praesentium litterarum, teneantur in solidum refundere eidem sacristiae tantumdem de proprio; atque haec obligatio omnium duret quousque rationes integre reddantur, nec intelligantur redditae nisi fuerint producti libri dati et accepti, ac residuorum, nominumque debitorum, et exhibita computa generalia, eaque iurata ac solidata, persolutusque relinquatur cum liberatione a pleno capitulo obtinendâ. Administratores quoque praeteritorum annorum, qui hactenus liberationem huiusmodi consecuti non fuerint, teneantur, sub eisdem poenis, modo et formâ praedictis producere intra terminum duorum mensium proximorum omnia sua computa, eaque a syndicis solidata et a capitulo approbata reportare.

Decretum irritans.

§ 4. Ceterum easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci, vel adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad ques spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel igneranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obsantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de nen tollendo iure quae-

sito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon basilicarum et ecclesiarum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem[1] importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes publicari mandat, earumque transumptis fidem haberi.

§ 6. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus innotescant, et nemo earum ignorantiam praetendere possit, volumus ut illae, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae S. Ioannis Lateranensis ac basilicae Principis Apostolorum, necnon cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe praedictâ, sicut moris est, publicentur et affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si eorum unicuique personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCLVII[1], pontificatus nostri anno III.

Dat. 3 aprilis 1657, pontif. anno III.

1 Edit. Main. legit *idemque* (R. T.).

CLI.

Iniungitur eminentissimis et reverendissimis dominis cardinalibus trium ecclesiarum patriarchalium Urbis archipresbyteris eorumque vicariis, ut divinis officiis in eisdem ecclesiis intersint[2].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii nobis a Domino commissi ratio postulat, ut in his, quae ad promovendum in quibuscumque ecclesiis, et praesertim huius almae Urbis nostrae primariis, divinum cultum pertinent[3], auctoritatis nostrae partes peculiari sollicitudine interponamus.

Iniungit cardinalibus trium ecclesiarum patriarchalium ut divinis officiis intersint.

§ 1. Quoniam igitur naturâ comparatum est, ut minores maiorum exempla sequantur, ac proinde speremus in Domino fore, ut chori servitio in patriarchalibus S. Ioannis in Laterano, ac Prin-

1 Edit. Main. in textu legit *1658 anno III*, sicut et Cherubinius, quo casu referenda foret ad ann. seq.; at inscriptio marginalis et ordo bullarum exigunt ut legatur MDCLVII, quo casu etiam anno II legendum foret. Ceterum istiusmodi numeri tum in edit. Main. tum in Cherubin. frequenter errati sunt (R. T.).

2 De auctoritate card. archipr. ecclesiae Lateranensis vide Pauli V Constit. CX, tom. XI, pag. 527, Pauli III Const. XLIV *Cum dilectus*, tom. VI, pag. 346, et Sixti V Const. CLXX, *Cum ex debito*, tom. IX, pag. 184.

3 Edit. Main. legit *pertinet* (R. T.).

cipis Apostolorum et S. Mariae Maioris nuncupatae eiusdem Urbis ecclesiis sive basilicis adstricti ferventius divinis intersint, si primas dignitates in ecclesiis seu basilicis huiusmodi obtinentes ceteris praesentiâ suâ praeluxerint. Idcirco, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum congregationis super negotiis visitationis apostolicae a nobis institutae consilio, dilectis filiis nostris eiusdem S. R. E. cardinalibus trium ecclesiarum sive basilicarum praedictarum archipresbyteris nunc et pro tempore existentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, serio iniungimus, ut ipsi in ecclesiis sive basilicis huiusmodi, in quibus archipresbyteri dignitatem respective obtinent et pro tempore obtinebunt, divinis officiis interesse studeant, et vicarios deputent praelatos graves et probos, qui non sint canonici eiusdem, aut alterius ecclesiae, nec ad aliquam residentiam obligati, ac tali doctrinâ et pietate praeditos, ut ecclesiae iura tueri, et causas ac iudicia per ipsos cognoscere et terminare valeant, singulisque capitulis et congregationibus capitularibus intersint, congruo per archipresbyteros praedictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidiâ portione archipresbyterali, per camerarios et depositarium capituli singulis mensibus statutisque temporibus praedictis vicariis integre et sine diminutione solvendo; onere tamen iniuncto, ut divinis officiis diebus festis de praecepto et aliis earumdem basilicarum respective solemnioribus interesse ac munus praefecti in choro exercere omnino teneantur. Quod si praedictis diebus officio divino non interfuerint, punctetur portio, eisdem vicariis ut supra assignata, in duplum eius, quo mulctaretur quilibet canonicus, et mulcta interessentibus eo ipso accrescat.

Clausulae praeservativae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti cardinales archipresbyteri et alii quilibet, etiam speciali notâ et expressione digni in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quomodo praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae non fuerint, aut ex aliâ qualibet quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu interesse habentium consensus, aut alio quocumque quantumlibet substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, restringi, invalidari, ad viam et terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari,

Clausula sublata.

§ 3. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogat. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ceterisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon earumdem ecclesiarum seu basilicarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, aut aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLVII, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 9 aprilis [2] 1657, pontif. anno III.

CLII.

Quod in regno Navarrae quotannis recolant festa sanctorum Firmini et Francisci Xaverii tamquam de Patronis aeque principalibus dicti regni ex praecepto Ecclesiae.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam

Saerosaneti apostolatus officii, nobis per abundantiam divinae bonitatis nullo licet nostrorum suffragio meritorum impositi, debitum exposcit, ut venerationi sanctorum Domini in terris augendae, necnon christifidelium tranquillitati et animorum concordiae conciliandae, quantum nobis ex alto conceditur, studeamus. Prooemium.

§ 1. Itaque, ad sedandas graves et scandalosas contentiones, magno cum publicae quietis et animarum salutis discrimine in regno Navarrae iam diu super patronatibus sanctorum Firmini martyris et Francisci Xaverii confessoris excitatas, paternâ charitate sedulo intenti, ac propterea considerantes quod congregatio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum necnon dilecti filii cappellani nostri et causarum palatii apostolici auditores, re pluries mature perpensâ acriterque discussâ, probationes hinc inde allatas neutri partium satis suffragari, imo in pluribus eas deficere dignoscentes, rem ipsam, etiam cum ingenti partium earumdem dispendio gravique incommodo nunquam vel sero difficillime terminandam, indecisam dimiserint,

§ 2. Motu proprio, non ad alicuius Praecipit, ut in rubrica.

1 Ab electione legendum an. III (R. T.).

2 Erronee ad marg. ed. Main. leg. 9 martii (R. T.).

personae nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac ex speciali gratiâ, tum praedictis, tum aliis ex causis nobis tantum notis animum nostrum moventibus, clero seculari et regulari, necnon universitatibus et populo Pampilonensi, totiusque regni Navarrae huiusmodi, harum serie iniungimus, ut quotannis, tamquam de Patronis aeque principalibus dicti regni, ex praecepto Ecclesiae recolant festa praefatorum sanctorum Firmini martyris et Francisci Xaverii confessoris, eorumdemque officia et missas cum octavis aeque in posterum recitent et respective celebrent.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti regni, et aliis quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCLVII, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 14 aprilis 1657, pontif. anno II.

[1] Ab electione legendum foret an. III (a. T.).

CLIII.

Prohibet ne bona ecclesiarum et aliorum locorum piorum Urbis locentur consanguineis, vel affinibus rectorum, aut administratorum, etc., ecclesiarum et locorum huiusmodi.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremâ Sedis Apostolicae speculâ omnium orbis ecclesiarum utilitatibus ex commissae nobis divinitus dispensationis officio iugiter invigilantes, ecclesiarum et locorum ac operum piorum almae Urbis nostrae dispendiis occurrere peculiari studio satagimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Prohibet ne bona ecclesiarum locentur consanguineis rectorum, etc.

§ 1. Itaque, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum congregationis super negotiis visitationis apostolicae a nobis institutae consilio, quibusvis capitulis et canonicis, ecclesiarumve praelatis, seu superioribus, tam secularibus, quam cuiusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti regularibus, necnon rectoribus, cappellanis, beneficiatis, prioribus, praeceptoribus, commendatariis seu fructuum reservatariis cum administratione, guardianis, custodibus, protectoribus, defensoribus, procuratoribus et administratoribus, etiam laicis, quarumcumque ecclesiarum, seu basilicarum, collegiorum, conventuum, monasteriorum, tam virorum, quam mulierum, congregationum, hospitalium, archihospitalium, domorum et locorum seu operum piorum Urbis praedictae, quocumque nomine, iure, vel titulo censeantur, ne casalia, terras, vineas, prata, agros, sylvas, nemora et praedia quaecumque ad eorum ecclesias, seu basilicas, ac collegia, beneficia, monasteria et alia loca et opera pia ut supra respective spectantia locent per se vel per alios, aut locari permit-

tant directe vel indirecte, eorum consanguineis, affinibus, sive cognatis, iuxta computationem iuris canonici usque ad tertium gradum inclusive, sub poenâ nullitatis contractus et amissionis fructuum, responsionum et emolumentorum quorumlibet inde provenientium, necnon excommunicationis latae sententiae eo ipso, absque aliâ declaratione, tam per locantem quam per conducentem incurrendae, a qua nemo, nisi a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

De locationibus domorum specialiter decernit.

§ 2. In locationibus vero domorum, si illas eiusmodi consanguineis vel affinibus pro evidenti ecclesiae vel loci aut operis pii utilitate locari expediat, id nonnisi de voto capituli vel congregationis respective per secreta suffragia, cum duabus vel tribus partibus, et, quoad rectores, cappellanos, beneficiatos, commendatarios et fructuum reservatarios, de licentiâ dilecti filii nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis in eâdem Urbe vicarii in spiritualibus generalis fiat, et quidem cum solitâ saltem pensione et clausulis consuetis. Ceterum sub earumdem praesentium dispositione quoscumque contractus alienationum, etiam latissime sumpto alienationis vocabulo, comprehendi, ac in illis formam constitutionis felicis recordationis Pauli Papae II praedecessoris nostri, quae incipit *Ambitiosae*, quoad reliqua servari volumus et intendimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque etiam speciali notâ et expressione digni in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut sufficienter vel ullo modo iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aut alio quolibet quantumlibet substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ceterisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon ecclesiarum, seu basilicarum, collegiorum, conventuum, monasteriorum, congregationum, hospitalium, arcihospi-

talium, confraternitatum, archiconfraternitatum, domorum, locorum et operum huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, aut aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes publicari et in valvis ecclesiarum affigi mandat.

§ 5. Volumus autem ut praesentes litterae per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas ecclesiae S. Ioannis in Laterano et basilicae Principis Apostolorum ac in acie Campi Florae de Urbe publicentur, ac[1] earum exempla, ibidem affigantur; quae sic publicatae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 Potius lege *aut* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 aprilis 1657, pontif. anno III.

CLIV.

Prohibentur musicae indecentes in ecclesiis et oratoriis Urbis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Piae sollicitudinis studio ducimur, ut, ecclesiarum divinis laudibus et orationi destinatarum, ac oratoriorum almae Urbis nostrae, ex qua in omnes orbis partes bonorum operum exempla promanant, decori et reverentiae consulere satagentes, quaecumque vana et praesertim musicos concentus et symphonias, quibus quid indecorum, sive a ritu ecclesiastico alienum, non sine Divinae Maiestatis offensâ et christifidelium scandalo ac devotionis et cordium ad superna elevationis impedimento, admiscetur, ab illis procul arceamus.

Statuit ut in rubricâ.

§ 1. Itaque, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ac dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum congregationis super negotiis visitationis apostolicae a nobis institutae consilio, omnibus et singulis archipresbyteris, eorumque vicariis, ac capitulis et canonicis, choroque praefectis quarumvis ecclesiarum et basilicarum, etiam patriarchalium, necnon praelatis, superioribus, rectoribus, administratoribus, custodibus, guardianis, aliisque officialibus, quocumque nomine nuncupentur, quorumvis monasteriorum utriusque sexus, domorum,

conventuum et collegiorum, tam secularium quam regularium, ac congregationum, confraternitatum, archiconfraternitatum, hospitalium, archihospitalium et locorum piorum etiam laicorum dictae Urbis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, necnon privationis fructuum unius mensis, ac suspensionis ab officio respective prohibemus, ne in eorum ecclesiis et oratoriis, dum officia divina celebrantur, vel sanctissimum Eucharistiae sacramentum manet expositum, quidquam cantari permittant praeter ea verba, quae a Breviario vel Missali romano in officiis de proprio vel de communi pro currenti cuiusque diei festo vel Sancti solemnitate praescribuntur, vel quae saltem a Sacra Scriptura, aut sanctis Patribus desumpta sint, quae tamen prius a congregatione venerabilium etiam fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum specialiter approbentur, exclusis modulis iis, qui choreas et profanam potius quam ecclesiasticam melodiam imitantur.

Prohibet superioribus ecclesiarum, ne musicos recipiant, nisi prius praestent iuramentum observandi praesentes litteras.

§ 2. Quod ut exactius servetur, praedictis superioribus et officialibus, aliisque praedictis ad quos spectat, sub eisdem poenis iniungimus, ne musicae praefectos ad huiusmodi munus recipiant, vel receptos imposterum admittant, nisi prius praestito ab eisdem iuramento de observandis praesentibus litteris, cui iuramento si contravenerint, a dilecto filio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis vicario in Urbe praedictâ in spiritualibus generali tamquam periuri etiam corporaliter puniantur, ac exercitio huiusmodi officii perpetuo privati remaneant, absque spe reintegrationis, quae a nemine quacumque auctoritate praedito, etiam specialem expressionem requirente, praeterquam a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris concedi possit.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, neque de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu ex quovis capite vel causâ etiam speciali mentione dignâ notari aut impugnari unquam posse, sed ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis existant, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ceterisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac ecclesiarum, basilicarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, confraternitatum, archiconfraternitatum, hospitalium, archihospitalium et piorum locorum huiusmodi, necnon ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter

insertis et expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut praesentes litterae per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas ecclesiae S. Ioannis in Laterano ac basilicae Principis Apostolorum et in acie Campi Florae de Urbe publicentur, et earum exempla etiam impressa ibidem affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si illorum unicuique personaliter intimatae fuissent; quodque praesentium earumdem transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 aprilis 1657, pontif. anno III.

CLV.

Super negotiis provinciae Portugalliae Ordinis Eremitarum S. Augustini [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Confirmat omnia a congregatione decreta in provincia Portugalliae sancti Augustini. § 1. Cum (sicut dilectus filius prior generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini nobis nuper exponi fecit) dilectus etiam filius Octavianus de Perusia frater eiusdem Ordinis, visitator provinciae Portugalliae Ordinis huiusmodi a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ aliàs deputatus, non obstantibus eiusdem congregationis decretis, necnon litteris patentibus ipsius prioris generalis, ac quibusdam nostris in simili formâ Brevis expeditis litteris, multa et praesertim in munere visitatoris huiusmodi continuando attentaverit; alii vero provinciae Portugalliae praedictae fratres ad celebrationem cuiusdam asserti capituli devenire contra dictarum litterarum patentium tenorem non dubitaverint; et propterea praedictus prior generalis de opportuno in praemissis remedio a nobis provideri summopere desideret: hinc est quod nos, eumdem priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon litterarum et decretorum huiusmodi tenores et alia speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac verbatim insertis habentes, de eorumdem cardinalium, qui rem mature discusserunt et diligenter examinarunt, consilio, omnia quae hucusque pro praedictâ provinciâ S. Augustini regni Portugalliae ab eâdem congregatione fuerunt decreta sub diebus XVIII decembris MDCLIV, XX augusti MDCLV, XI februarii MDCLVI et XXVII septembris etiam MDCLVI (exceptâ repositione dilecti pariter filii Andreae Tellez fratris Ordinis praedicti in vicarium provincialem), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Munere visi- § 2. Praeterea iterum declaramus priva-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tatoris privat Octavianum de Perusia.

tum munere visitatoris praedictum Octavianum de Perusia, illumque in talem a nemine recognosci posse vel debere expresse inhibemus vel mandamus; praetensam alternativam seu concordiam factam sub die VI decembris MDCLV inter religiosos Ordinis eiusdem provinciae omnino cassamus et abolemus, illamque nullo modo etiam in futurum servari decernimus, non obstante quacumque confirmatione prioris generalis Ordinis praedicti; assertum capitulum provinciale celebratum sub die IX septembris MDCLVI, in quo fuit electus in provincialem frater Andreas Tellez, unà cum omnibus in eo gestis, ceterisque ab eo dependentibus, annullamus et cassamus, ac pro annullatis et cassatis haberi volumus; ad haec dilectum filium Bonaventuram a Plagis dicti Ordinis fratrem provincialem, omnes vocales et praelatos et alios electos in capitulo celebrato sub die III maii MDCLIII, privatos per sententiam latam sub die VII decembris MDCLIV, necnon ex provinciales, praesentatos et alios quoscumque, a dicto Octaviano pariter privatos et relegatos post intimatam epistolam praefatae congregationis sub die XI februarii MDCLVI in qua iniungebatur priori generali ut ipsum a munere visitationis revocaret, in eorum officiis et conventualitatibus manuteneri decernimus usque ad tempus ab eâdem congregatione determinandum; acta processuum in causâ et causis de quibus agitur fabricatorum, vel originalia, vel, praeviâ legitimâ et vocatis partibus aut eorum procuratoribus, et iis interessentibus collatione, transcripta, ad eamdem congregationem transmitti mandamus iuxta instantiam etiam dicti fratris Bonaventurae, ut cognosci possit super validitate seu iniustitiâ sententiarum a praefato fratre Octaviano latarum; vicarium fratrem Ioannem de Sagum a dicto fratre Bonaventurâ provinciali ultimo deputatum vel alium deputandum pro gubernio provinciae interim approbamus. Ut autem omnia praefata debitum consequantur effectum, dilecto filio Petro de Castillo, haereticae pravitatis in regno Portugalliae huiusmodi inquisitori, et in eius defectum dilecto pariter filio Ludovico de Gamma, archidiacono ecclesiae Ulyssiponensis, per easdem praesentes committimus, ut, reiectis quibuscumque exceptionibus et suspicionibus, omnibus iuris et facti remediis praedicta executioni mittant, eaque omnino servari mandent et faciant; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Contraria reiicit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII maii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 maii 1657, pontif. anno III.

CLVI.

Erectio quatuor officiorum clericorum ceroferariorum cappellae pontificiae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensentur statuta et decreta. § 1. Aliàs nos, qui decorem domus Dei, ex quo in sortem Domini vocati fuimus, unice semper dileximus, ut divinorum officiorum in cappellâ nostrâ pontificiâ celebrandorum functionumque pontificiarum dignitati et splendori consuleremus, dilectos filios cappellanos nostros causarum palatii apostolici auditores subdiaconos apostolicos primo loco constituimus; dilectos vero pariter filios camerae nostrae apostolicae clericos praesidentes ad assistentiam et ministerium in cappellâ et functionibus pontificibus[2] praefatis revocavimus et restituimus; necnon dilectos itidem filios utriusque signaturae nostrae referendarios votantes acolythos apostolicos, suppressis et amotis aliis subdiaconis et acolythis apostolicis quorum officia erant venalia, creavimus et constituimus; ac presbyteri assistentis[3], diaconique et subdiaconi[4] venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus seu praelatis assistentibus missas solemnes in eâdem cappellâ celebrantibus ministrantium officia per aliquos ex canonicis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum, et ecclesiae S. Mariae Maioris de Urbe respective peragi debere statuimus, dictosque canonicos in utrâque signaturâ nostrâ referendarios creavimus[5].

Erigit quatuor officia clericorum ceroferariorum cappellae Pontificiae. § 2. Nunc autem, ut ministeria[6] clericorum ceroferariorum, quae in cappellâ et functionibus pontificiis huiusmodi inconcinne et imperite antehac a personis, prout casus tulit, sine delectu adsumptis peracta fuisse cognovimus, in posterum decenter et accurate, ut par est, obeantur, pro curâ nostrâ pastorali providere cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quatuor officia clericorum ceroferariorum cappellae pontificiae praedictae totidem clericis idoneis, qui vitae et morum honestate praediti, ac in vigesimo saltem eorum aetatis anno et in quatuor minoribus ordinibus constituti sint, et non solum ea, quae a dilectis etiam filiis caeremoniarum eiusdem cappellae magistris in cappellâ et functionibus pontificiis huiusmodi eis respective iniungentur peragere, sed etiam nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris pro tempore existentibus servitium auxiliatorum bussolae, qui *bussolantes* vulgo vocantur, exhibere teneantur, a nobis et iisdem successoribus nostris Romanis Pontificibus dumtaxat per litteras apostolicas in simili formâ Brevis ad ipsorum clericorum vitam, quoties illa tam a primaevâ eorum erectione, quam postea, quandocumque ac ubicumque, et quovis modo vacare contigerit, conferenda, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus. Ac ipsos clericos ceroferarios officia a nobis per easdem praesentes erecta huiusmodi pro tempore obtinentes, et eorum singulos, auxiliatores bussolae praedictae, sive *bussolantes*, cum provisione, iuribus, salariis, obventionibus, regaliis, xeniis et emolumentis quibuslibet ordinariis et extraordinariis quocumque nomine nuncupatis, quae ab aliis auxiliatoribus bussolae, sive *bussolantibus*, percipi solent et possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, ita[1] concessis, con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Potius *pontificiis* legendum (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *assistentes* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *et subdiaconique* (R. T.).
5 De praemissis vide supra Const. XLVIII et LVI pag. 86 et 98 (R. T.).
6 Male edit. Main. legit *misteria* (R. T.).

1 Quae desunt suppleat lector scius (R. T.).

firmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X iunii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 iunii 1657, pontif. anno III.

CLVII.

Removet obstaculum constitutionis Urbani VIII, pro observatione festorum editae, quoad festum Conceptionis Beatae Mariae Virginis in regno Galliarum tantum [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In his, quae [2] Beatissimae Virginis Deiparae Mariae cultus et veneratio promovetur in terris, auctoritatis nostrae partes propensis studiis interponimus, et piorum regum id exposcentium vota libenter exaudimus.

Removet obstaculum in Gallia quoad festum Conceptionis Virginis Deiparae. § 1. Cum itaque in constitutione pro observatione festorum a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro editâ, quae incipit *Universa*, non ponatur inter festa de praecepto festum Conceptionis eiusdem Beatissimae Virginis Mariae, et tollantur contrariae consuetudines; charissimus autem in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, sicut illius nomine nobis nuper expositum fuit, cupiat in universo Galliarum regno festum Conceptionis huiusmodi, aut de praecepto indici, aut ad antiquam dicti regni consuetudinem et possessionem, vel quasi, illud celebrandi restitui: nos, pium dicti Ludovici regis erga eamdem Beatissimam Virginem devotionis affectum summopere in Domino commendantes, ac eius desiderio huiusmodi favorabiliter annuere volentes, quoad praefatum festum Conceptionis Deiparae Virginis praedictae in regno Galliarum tantum, obstaculum dictae constitutionis memorati Urbani praedecessoris, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, removemus.

§ 2. Non obstantibus praedictâ, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria rejicit.

§ 3. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 iunii 1657, pontif. anno III.

CLVIII.

Confirmatio statuti pro universitate barbitonsorum almae Urbis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vel legendum *quibus*, vel postea *promovent* legendum loco *promovetur* (R. T.).

1 Facultates consulum artium, circa causas ad eos spectantes, reintegravit et confirmavit Greg. XIII in Const. CXV, tom. VIII, pag. 330 (R. T.).

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii consules et universitas barbitonsorum almae Urbis nostrae, quod quodam eorum artis statuto, per felicis recordationis Paulum II, Clementem VIII et Paulum V Romanos Pontifices praedecessores nostros confirmato, cavetur, ne quicumque tonstrinae operarius, seu, ut vulgo dicitur, *garzone*, qui novam tonstrinam instituere voluerit, eam aperire possit, nisi tabernam quinquaginta cannis mensurae romanae ab aliâ quacumque simili tabernâ tonsoriâ distantem acceperit, sub poenâ decem scutorum auri applicandorum sicut in capitulo de poenis inter statuta eiusdem artis disponitur.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, per quoddam statutum Urbis praedictae, capite XLIII libri III statutorum ipsius Urbis descriptum, omnia statuta, quae prohibent novam apothecam aperiri prope aliam nisi distet ab eâ certo cannarum numero vel spatio, cassentur et improbentur; cumque supra expressorum statutorum contrarietatis occasione, licet in confirmatione primodicti statuti a praedicto Paulo V praedecessore nostro emanatâ memoratae Urbis statutis derogatum fuerit, lites et discordiae nihilominus in dies oriantur: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvit. § Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon statutorum praedictorum et litterarum apostolicarum super illorum confirmatione respective emanatarum tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas lites coram quibusvis iudicibus in quacumque instantiâ super tonstrinis iam erectis vel erigendis infra spatium cannarum quinquaginta nunc pendentes (quorum omnium statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, et alia etiam speciali expressione digna, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis habemus), apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, extinguimus. Mandantes in praeteritum usque ad ipsarum datam praesentium nihil innovari.

Confirmat primodictum statutum. § 3. De cetero autem primodictum memoratae artis statutum eâdem auctoritate denuo confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illumque perpetuis futuris temporibus inviolate observari iubemus.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis. § 5. Non obstantibus litium huiusmodi pendentiâ, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedicto, quod capite XLIII li-

bri III descriptum est, et aliis quibusvis Urbis praedictae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, eorumque reformationibus et novis additionibus, ac consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 iunii 1657, pontif. anno III.

CLIX.

Declaratio circa omissionem equitationis in solutione census pro regno Neapolis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Declaratio circa omissionem equitationis in solutione census pro regno Neapolis.

§ 1. Cum carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus ratione investiturae regni Siciliae citra Pharum ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinentis, ei a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro factae, inter alia teneat[2] solvere singulis annis in perpetuum camerae apostolicae septem millia ducatos auri de camerâ in festo beati Petri Apostoli, ultra solitum censum parafreni albi in recognitionem veri et directi dominii ipsius regni Siciliae; solutio vero septem millium ducatorum et parafreni huiusmodi, tam ab ipsius Philippi regis antecessoribus de eodem Siciliae regno per Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros investitis, quam ab ipso Philippo rege, seu per illos quibus id ab eo ac eius antecessoribus respective iniunctum fuit, praeviâ solemni per praecipuas Urbis vias equitatione, in qua dictus parafrenus albus pretiosis phaleris instratus ducitur, et cum aliis solemnitatibus, in vigiliâ festi praedicti nobis et memoratis praedecessoribus nostris respective facta fuerit et fieri consueverit; cumque, nedum cessante omnino in eâdem Urbe contagii suspicione, ut publicae saluti magis consuleretur, et populi concursus, sine quo equitatio et aliae solemnitates praedictae peragi non potuissent, vitaretur, census septem mille ducatorum et parafreni huiusmodi per dilectum filium nobilem virum Marcum Antonium de Columna regni praedicti magnum comestabilem, ad id a praedicto Philippo rege specialiter deputatum, in proxime praeterito festo sanctorum Petri et Pauli apostolorum ipsius Philippi regis nomine, et pro eo, omissis equitatione et aliis pompis et solemnitatibus praedictis ac aliàs consuetis, nobis, id eo modo hac vice fieri volentibus, solutus fuerit: hinc est quod nos, pro pastorali nostrâ sollicitudine providere volentes ne ex omissione equitationis et aliarum pomparum et solemnitatum huiusmodi aliquod nobis, ac Ecclesiae praedictae, Sedique Apostolicae et cuivis alteri praeiudicium inferri seu illatum esse dici, censeri vel praetendi unquam possit, ac investiturae praedictae et litterarum apostolicarum desuper emanatarum tenores, etiam veriores, aliaque etiam necessario exprimenda, praesentibus pro expressis ac verbatim insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus, per omissionem hac vice equitationis et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Potius lege *teneatur* (R. T.).

quarumcumque aliarum pomparum et solemnitatum in praemissis hactenus factarum, seu fieri consuetarum, nullum omnino ne minimum quidem praeiudicium nobis et Ecclesiae ac Sedi praedictis, nostrisque et illarum iuribus quibus libet, et alii cuicumque illatum esse vel fuisse, neque id in exemplum trahi vel adduci imposterum unquam posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos seculares et ecclesiasticos, quacumque fungentes auctoritate et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reiicit. § 2. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 iulii 1657, pontif. an. III.

CLX.

Licentia reginae Sveciae ingrediendi et pernoctandi in monasteriis monialium in itinere quod suscepit, cum quatuor mulieribus ex suo comitatu [1].

Carissimae in Christo filiae nostrae Christinae, reginae Sveciae illustri, Alexander Papa VII.

Carissima in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio, ut in rubricâ. § 1. Spirituali maiestatis tuae consolationi et commoditati, pro singulari quo illam in Domino prosequimur paternae charitatis affectu, quantum nobis ex alto conceditur consulere volentes, eidem maiestati tuae, ut, in itinere quod suscepisti, quaecumque monialium cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti monasteria, tam in Italia quam in Francia existentia, de earumdem monialium consensu, ingredi, ac in illis etiam pernoctare cum quatuor mulieribus ex tuâ familiâ, seu comitatu, libere et licite possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria refellit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus [1], ac monasteriorum praedictorum et Ordinum, quorum illa sunt, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 iulii 1657, pontif. anno III.

CLXI.

Declaratio nullitatis edicti promulgati a prorege Neapolis, quod declarat ecclesiasticos comprehendi sub bannis per ipsum editis super conservatione sanitatis, et quo iniungitur officialibus eiusdem proregis, ne permittant ecclesiasticis ingressum civitatis Neapolis sine eius licentiâ in scriptis, et

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Deest *apostolicis* (R. T.).

declarat nullum edictum in eâdem materiâ ab archiepiscopo Neapolitano factum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Proemium. § 1. Cum nuper ad notitiam nostram non sine gravi animi nostri molestiâ pervenerit dilectum filium nobilem virum hodiernum proregem regni Neapolis, de voto et consensu regii collateralis consilii civitatis Neapolitanae, die XVII martii proxime praeteriti publicari fecisse edictum, in quo declaravit personas ecclesiasticas comprehendi et ligari omnibus bannis per ipsum proregem in eâdem civitate editis super conservatione publicae sanitatis occasione praesentis suspicionis contagii, et officialibus iniunxit ne permittant ipsis personis ecclesiasticis ingressum dictae civitatis absque eius licentiâ in scriptis, declarando insuper edictum in eâdem materiâ publicatum a venerabili fratre archiepiscopo Neapolitano nullius roboris esse, ac de facto promulgatum:

Nullum declarat edictum promulgatum a prorege Neapolis. § 2. Nos, considerantes quam perniciosae sint libertati, immunitati et iurisditioni ecclesiasticae similes laicorum (quibus in negociis ecclesiasticis obsequendi necessitas relicta est, non auctoritas imperandi) ordinationes, ac proinde ex debito pastoralis officii nostri libertatis, immunitatis et iurisdictionis huiusmodi indemnitati eâ in re consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio, memoratum proregem, aliosque ministros laicos nullum omnino ius, nullamque facultatem habuisse in promulgando edictum praedictum, ideoque illud nullum plane et invalidum, nullius roboris et momenti fuisse et esse, ac nullo et prorsus invalido semper et [per]petuo habendum fore et esse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus; sicque per quoscumque iudices [or]dinarios et delegatos, etiam causarum [pa]latii apostolici auditores, ac S. R. E. [car]dinales, etiam de latere legatos, et qu[oscumque ali]os alios quacumque auctoritate fung[en]tes, sublatâ eis et eorum cuilibet qu[a]aliter iudicandi et interpretandi facult[atem] et auctoritate, iudicari et definiri deb[ere] irritumque et inane, si secus super [his] a quoquam, quavis auctoritate, scien[ter] vel ignoranter, contigerit attentari, dec[erni]mus. In contrarium facientibus non [ob]stantibus quibuscumque.

§ 3. Volumus autem ut praesenti[um] transumptis, etiam impressis, manu [no]tarii publici subscriptis, et sigillo alicu[ius] personae in dignitate ecclesiasticâ con[sti]tutae munitis, eadem prorsus fides in [iu]dicio et extra illud ubique adhibeat[ur], quae ipsis praesentibus adhiberetur, [si] forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Ma[io]rem, sub annulo Piscatoris, die XVI i[ulii] MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 iulii 1657, pontif. anno III.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

CLXII.

Ut Bullae Nicolai IV, Martini V [et] Sixti IV, per quas Tertiarii Tertii [Or]dinis sancti Francisci de Poeniten[tia] nuncupati subiiciuntur superioribu[s] visitatoribus Ordinis sancti Franci[sci] de Observantiâ, observentur [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilec[tus] filius Bartholomaeus de Villana, procura[tor]

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod minister, qui secularis fere semper est, et ceteri officiales, qui omnes sunt seculares, congregationis Tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupati in conventu Mexicano primodicti Ordinis consistentis, ita absoluto dominio independentem a quocumque superiore iurisdictionem auctoritatemque sibi huc[1] usque usurparunt, ut omnino ab illâ omnes primodicti Ordinis praelatos contra quorumdam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteras cum vilipendio reiecerint; minister siquidem praedictus praesumit concedere et de facto dat habitus Tertii Ordinis huiusmodi iis, qui in illum recipiuntur, illosque pro libitu suo commutat, absque eo quod eiusdem Tertii Ordinis visitator, per ministrum provincialem primodicti Ordinis apostolicâ auctoritate ad hoc munus deputatus, ullatenus valeat talem habitum praestare, in tantum ut, si ad hanc functionem facultas vel mandatum in scriptis a tali ministro eshibendi alicui habitum non praecedat, et visitator dicti Ordinis illum esbibeat, id irritum et nullum a ministro et officialibus praefatis censeatur, novitiusque habitu spolietur. Praeterea iidem officiales proventuum, qui ex oblationibus, funeribus, atque habitibus pro defunctis proveniunt, et ad summam centum piastrarum monetae illarum partium singulis septimanis ascendunt, rationem coram suo visitatore, aut alio superiore reddere nolunt; quinimo in registro eiusdem congregationis scriptum reperitur, quod, si quis dictae congregationis suum visitatorem, fratrem guardianum conventus praedicti, aut ministrum provincialem, aut residentes Hispaniae memorati Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ tamquam verum spiritualem superiorem vel in minimâ directione recognoverit, eo ipso sine morâ habitu spolietur, et a ceterorum consortio tamquam putridum eiusdem Tertii Ordinis membrum expellatur.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, omnia praemissa tendant contra dispositionem litterarum felicis recordationis Martini V quae incipiunt: *Licet inter cetera regularis observantiae*, etc., sub datum Romae, pontificatus sui anno X, necnon Sixti IV, quarum initium: ***Romani Pontificis providentia circumspecta***, etc., de anno MCDLXXI, in quibus inter alia confirmavit litteras recolendae mamoriae Innocentii Papae IV praedecessoris pariter nostri super hac re editas, ac Nicolai IV, Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum, quae incipiunt: ***Unigenitus Dei Filius***, sub datum apud Urbem Veterem, VI idus augusti, pontificatus ipsius Nicolai praedecessoris anno III, respective emanatarum, per quas omnes personae dicti Ordinis de Poenitentiâ submittuntur obedientiae, correctioni et directioni ministrorum generalium et provincialium pro tempore existentium dicti Ordinis Minorum de Observantiâ, ita quod possint easdem personas Tertii Ordinis huiusmodi corrigere et delinquentes castigare, ad oblationem[1] habitus seu mantelli procedendo, similiterque praedictis ministris memorati Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ nuncupatorum facultas conceditur praestandi illis, quos idoneos viderint, habitum Tertii Ordinis praedicti, necnon assignandi et deputandi pro ipsis Tertiariis unum religiosum virum de eâdem Observantiâ in visitatorem et instructorem ipsorum: nobis propterea idem Bartholomeus procurator generalis humi-

1 Male edit. Main. legit *huic* pro *huc* (R. T.).

1 Potius legendum videtur *ablationem* (R. T.).

liter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Bullas praedecessorum Pontificum circa subiectionem Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ superioribus de Observantia observari mandat.

§ 3. Nos igitur, dictum Bartholomaeum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, praefatas Bullas Pontificias necnon constitutiones Ordinis huiusmodi servari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, praecipimus et mandamus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentes litteras publicari praecipit archiepiscopo Mexicano.

§ 5. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Mexicano, seu dilecto filio officiali Mexicano, per praesentes committimus et mandamus, ut, ubi et quando et quoties pro parte interesse habentium fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans illisque efficacis defensionis praesidio assistens, faciant[1] auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras inviolabiliter observari, illisque ad quos spectat et pro tempore spectabit earum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes[1] illos indebite in praemissis molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis rogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, Tertii Ordinis eiusque congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumquê.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 iulii 1657, pontif. anno III.

1 Cohaerenter legendum *faciat* (R. T.).

CLXIII.

Commissio legato Urbinatensi super transmissione bibliothecae ducis Urbini ad Urbem, ad hoc, ut libri huiusmodi in bibliothecâ Vaticani collocentur, ibique perpetuo, retento bibliothecae ducis Urbini vocabulo, custodiantur[2].

1 Cohaerenter legend. *non permittens* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilecto filio nostro Aloysio tituli S. Alexii S. R. E. presbytero cardinali Homodeo nuncupato, nostro et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu Urbinatensi de latere legato,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Committit legato Urbinatensi transmissionem bibliotecae ducis Urbini ad Urbem.

§ 1. Innotuit nobis, quod dudum bonae memoriae Franciscus Maria, postremus dum vixit Urbini dux, in suo ultimo, sub cuius dispositione ab humanis decessit, testamento, dilectis filiis communitati et hominibus civitatis Urbinatensis bibliothecam librorum manuscriptorum, quam ibidem habeat[1], necnon graphides seu delineationes in bibliothecâ Castri Durantis existentes, legavit, et campum, quem ab illis de Gallis emerat, in dictâ civitate positum, aliaque praedia illi contigua seu vicina, quae possidebat, eisdem communitati et hominibus reliquit, ad hoc, ut ipsi, ex praediorum huiusmodi fructibus, provisionem deputato, qui curam dictae bibliothecae legatae haberet, praestarent, ac insuper expresse prohibuit, ne eadem bibliotheca a loco ubi tunc erat unquam amoveretur vel auferretur, neque vel unico volumine diminueretur; et in casum contraventionis ipsam bibliothecam confraternitati SS. Crucifixi de Crypta nuncupati Urbinatensi applicavit et cessit; quodque postea, cum dicta bibliotheca processu temporis (ex eo quod communitas et homines praedicti, quibus ex praediis praedictis nihil fere fructuum provenit, illam tuendi modo destituti fuerant) deterior valde facta reperiebatur, memorata confraternitas, locum substitutionis ad sui favorem esse praetendens, die IV aprilis proxime praeteriti, seu alio veriori tempore, litem coram dilecto pariter filio praetore seu potestate Urbinatensi contra dictos communitatem et homines intentavit, protestationemque emisit ex supposito quod iidem communitas et homines de venditione bibliothecae et graphidum seu delineationum praedictarum aut illarum partis tractassent; quinimo die XXVII eiusdem mensis institit pro electione virorum, qui libros bibliothecae legatae cum illorum inventario committerent, et forsan ad alios iudiciales vel extraiudiciales actus processit. Quapropter nos, ne bibliotheca praedicta in loco ubi nunc malum in statum redacta et magnâ ex parte a blattis rosa reperitur, successu temporis (attento quod memorati communitas et homines illam instaurare et tueri prae inopiâ non valeant) sensim absumatur, sed ut reparetur et memoria praestantissimorum et clarissimorum togâ et sago ex familiâ Roborea principum Urbini ducum, qui magis[1] labore et industriâ libros et scripturas bibliothecae huiusmodi collegerunt, ut par est, conservetur, simul etiam, ut mentem et voluntatem memorati Francisci Mariae ducis, quem perpetuae conservationi et decori dictae bibliothecae studuisse, sicque[2] de praemissis cogitasset et opportunum desuper remedium adhibiturum fuisse verisimile est, suppleamus, eamdem bibliothecam in tutiori celebriorique loco in bibliothecâ similiter nostrâ Vaticanâ reponendam esse decrevimus, ac huius rei communitatem et homines praedictos fecimus certiores, qui publico generalis eorum consilii decreto professi sunt se voluntati nostrae huiusmodi promptο obsequio morem gerere paratos esse. Itaque testamenti, decreti praedictorum tenores etiam veriores, necnon litis seu causae huiusmodi statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, et alia etiam speciali expres-

1 Videtur legendum *habebat* (R. T.).

1 Potius lege *magnis* (R. T.).
2 Potius lege *sique* (R. T.).

sione digna, praesentibus pro plene ot sufficienter expressis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicao potestatis plenitudine, harum serie circumspectioni tuae iniungimus, ut litem et causam praedictam in statu et terminis in quibus ad praesens reperitur, seu quando praesens executioni demandandis[1], reperietur, a praedicto praetore seu potestate et aliis quibusvis iudicibus ad te aucteritate nostrâ apostolicâ aveces, illamque perpetuo supprimas et extinguas, ac utrique parti perpetuum desuper silentium eâdem aucteritate imponas.

Bibliothecam praedictam in bibliotheca Vaticana reponi iubet.

§ 2. Praeterea bibliothecam librorum manuscriptorum, ac graphides, seu delineatienes, dictis communitati et heminibus a memorato Francisco Maria duce sicut praemittitur legatos[2], ad almam Urbem nostram sumptibus camerae nostrae apostolicae quantocitius fieri poterit conduci cures, ot[3] libri huiusmodi in bibliethecâ nostrâ Vaticanâ in loco separato et conspicuo cum ornamentis congruis ot insignibus gentilitiis familiae Roboreae collocentur, ibique ad perpetuam nominis et gleriae eiusdem familiae conservatienem, retente biblietbecae ducum Urbini vocabulo, perpetuis futuris temporibus custodiantur.

Aedificium et beneficia, et praedia praedictorum hominum conservari mandet.

§ 3. Demum aedificium seu locum, in que bibliotheca ac graphides seu delineationes nunc in praedictâ civitate collocatao sunt, necnon campum et praedia supradicta, de cetero in deminio et potestate memoratorum communitatis et hominum absque ullo onere remanere debere, perinde ac si dictae bibliothecae et grapbides seu delineationes ibidem iuxta dicti Francisci Mariae ducis voluntatem ab ipsis communitate et heminibus perpetue conservarentur, dictâ auctoritate decernas et declares: nos enim quamcumque necessariam et opportunam in praemissis facultatem tibi, motû, scientiâ deliberatione el poteslatis plenitudine paribus, tribuimus et impertimur.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod officiales et confratres confraternitatis praedictae, et alii quilibet otiam speciali notâ et expressione digni, in praemissis ius vel interesse habentes, seu habere quomodelibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, vel iustificatae sufficienter fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colere, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clausae[1], etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquem tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu interesse habentium consensus, aut alio quolibet quantumvis magno et substantiali ac individuam expressienem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, in ius vel contreversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato aut etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vol extra illud uti seu se invare posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales,

1 Potius lege *demandabitur* (R. T.).
2 Potius lege *legatas* (R. T.).
3 Potius lege *ut* (R. T.).

1 Potius lege *clausis* vel *clausa* (R. T.).

etiam de latere legatos, et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus litis pendentiâ[1] huiusmodi aliisque praemissis, necnon praedicti Francisci Mariae ducis etiam ultimâ voluntate, quam circa praemissa, et praecipue ubi confraternitatem praedictam memoratis communitati et hominibus in legato seu fidei commisso bibliothecae ac graphidum seu delineationum praedictarum substituit, sufficienter et expresse commutamus, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in illâ intra certum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes ibidem praesentari vel registrari nunquam necesse sit, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam conciliaribus, legibus quoque etiam imperialibus et municipalibus, necnon dictarum civitatis et confraternitatis, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pro extinctione aeris alieni decem millium scutorum summam civitati Urbinatensi praestari mandat.

§ 6. Ceterum eisdem communitati et hominibus nomine nostro significabis, nos, quo ipsos ingenti, ut accepimus, aeris alieni mole obrutos, paternâ charitate sublevemus, summam decem millium scutorum monetae in extinctionem tot locorum montium quibus dicta civitas Urbini onerata reperitur convertendum[1] eis praestari mandaturos, prout in chirographo nostro desuper expediendo declarabitur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 augusti 1657, pontif. anno III.

CLXIV.

Prohibitio extrahendi paramenta, etc., pro omnibus ecclesiis monachorum Congregationis Coelestinorum.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Conservationi et manutentioni ornamentorum et paramentorum ecclesiarum omnium et singulorum monasteriorum totius Congregationis Caelestinorum Ordinis san-

1 Male edit. Main. legit *pendentiae* (R. T.).

1 Vel *convertendam* vel *convertendorum* lege (R. T.).

cti Benedicti ubique existentium, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac. dilectum filium modernum dictae Congregationis abbatem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus praedicti abbatis generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet extractionem paramentorum ex omnibus ecclesiis monachorum Congregationis Caelestinorum.

§ 1. Ne de cetero quisquam, quavis auctoritate, superioritate et officio fungens, vasa, calices, candelabra, lampades et alia paramenta et ornamenta, necnon quamcumque suppellectilem sacram nunc et in futurum quandocumque ad ecclesias praedictas spectantem et spectantia et spectantem[1], aliis ecclesiis, monasteriis, locis piis seu quibusvis commodare, aut sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione aut occasione ex quacumque dictarum Congregationis huiusmodi ecclesiarum seu illarum sacristiis extrahere et asportare, seu ut commodentur aut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo nisi a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere possit, ac privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentis probibitionis copia in valvis singularum cuiusvis ecclesiae et monasteriorum huiusmodi sacristiarum vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneant; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 augusti 1657, pontif. anno III.

1 Videtur superesse, vel leg. *spectantes* (R.T.).

CLXV.

Erectio custodiae Brasiliae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum in provinciam [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito ad ea propensis studiis iugiter intendimus, per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, Dei obsequiis sub suavi arctioris religionis iugo sese manciparunt, statui et felici directioni consulitur, ut, secundum Ordinum suorum instituta, gratum Altissimo impendentes famulatum, prosperioribus in dies in vineâ Domini proficiant incrementis.

Expositio.

§ 1. Nuper siquidem, nomine dilectorum filiorum fratrum custodiae Brasiliae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, nobis expositum fuit, quod aliàs (postquam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

die XIV augusti MDCXLVII, quo tempore quondam Ioannes de Neapoli dicti Ordinis minister generalis erat, ad eiusdem Ioannis instantiam custodia praedicta a provincià S. Antonii regni Portugalliae eiusdem Ordinis, longissimi maritimi itineris, quo custodia huiusmodi a regno praefato distat, aliisque incommodis occurrendi ergo, per quasdam litteras apostolicas in simili formâ Brevis expeditas separata, et subinde intra breve tempus aliquot conventibus aucta fuerat) in capitulo generali memorati Ordinis de anno MDCLI in hac almâ Urbe celebrato stabilitum fuit, ut custodia huiusmodi, reservato tamen huius S. Sedis beneplacito, in novam provinciam dicti Ordinis erigeretur, sed id propter nonnullas oppositiones seu obiectiones ad effectum deduci hactenus non potuit, quinimo a quadam privatâ personâ aliae litterae in formâ Brevis similiter expeditae super reunione eiusdem custodiae cum provincià praedictâ ab eâdem Sede impetratae fuerunt.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, oppositiones seu obiectiones praedictae iam cessent, et fratres dictae provinciae S. Antonii capitulariter congregati iuri, quod super custodiâ praedictâ praetendere poterunt[1], renunciaverint, conventus eiusdem custodiae, qui post ingressum haereticorum in Brasiliam extincti fuisse praetendebantur, illis inde egressis, septemdecim numero, qui numerum conventuum nonnullarum provinciarum Ordinis praefati excedit, restituti fuerint; cumque, si dicta custodia in novam provinciam iuxta consensum ei rei a praefato capitulo generali, ut praemittitur, praestitum erigatur, id nemini praeiudicium, sed maximam prospero conventuum ipsius custodiae gubernio utilitatem sit allaturum: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Instituit in provinciam custodiam Brasiliae Ordinis Minorum. § 3. Nos igitur, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[1] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, custodiam Brasiliae huiusmodi eiusque conventus a dictâ provincià S. Antonii regni praedicti, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo separamus et dismembramus, ac ipsam custodiam et eius conventus praefatos, sic separatos et dismembratos, in novam provinciam Ordinis praedicti cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, indultis, privilegiis et gratiis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae frui et gaudere solent et possunt ac debent, auctoritate et tenore praedictis itidem perpetuo erigimus et instituimus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, provinciae, custodiae et conventuum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, in-

[1] Forsan legendum *poterant* (P. T.).

[1] De more solito lege *absolutas* (R. T.).

dultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 augusti 1657, pontif. anno III.

CLXVI.

Hortatorium gubernatori Belgii, ne alios quam sanae doctrinae professores ad loca vacantia collegii stricti facultatis theologicae Lovaniensis assumi sinat[1].

Dilecto filio nobili viro Ioanni ab Austria, gubernatori Belgii, Alexander Papa VII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatur gubernatorem Belgii, ut tantum sanos professores in collegio Lovaniensi assumat.

Cum, sicut nobis innotuit, in universitate studii generalis oppidi Lovaniensis vacent tria loca collegii facultatis theologicae, quod strictum vocant, et ad loca sic vacantia alii propediem assumendi sunt[2]; nos, perpendentes quantum fidei catholicae intersit eos solummodo qui sanae sint doctrinae in illud collegium admitti, nobilitatem tuam enixe rogamus, et in Domino hortamur, ut, pro eâ, qua istic polles auctoritate, neminem, qui sanam et orthodoxam doctrinam non profiteatur, ad memorata loca vacantia assumi sinas. In quo rem spectatissimo tuo catholicae religionis studio dignam, nobisque longe gratissimam facies. Et nobilitatem tuam iterum apostolicâ benedictione peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV augusti MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 augusti 1657, pontif. an. III.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Aptius lege *sint* (R. T.).

CLXVII.

Prohibitio extrahendi libros bibliothecarum omnium et singularum domorum fratrum Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula totius provinciae Neapolitanae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prohibet extractionem librorum bibliothecarum fratrum Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula provinciae Neapolitanae.

§ 1. Conservationi et manutentioni librorum bibliothecarum omnium et singularum domorum fratrum Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula totius provinciae Neapolitanae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectos filios modernos dictarum domorum Ordinis huiusmodi correctores et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate, superioritate, aut officio fungens[2], libros, quinterna, folia, scripturas, tam impressa, quam manuscripta, dictis bibliothecis donata et assignata, quam imposterum forsan donanda et assignanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Male edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

sito colore, ingenio, causâ, ratione ac occasione extrahere et asportare, seu ut commodentur aut extrahantur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Obstantia tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 3. Volumus autem ut praesentis prohibitionis copiae in valvis bibliothecarum, seu alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possint, continuo affixae remaneant, quodque praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXVIII.

Facultates episcopo Marianensi et Acciensi circa peste infectos et suspectos[1].

Venerabili fratri episcopo Marianensi et Acciensi,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Peste infectis plenariam peccatorum indulgentiam impertitur et animas defunctorum a poenis purgatorii liberat. § 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, in aliquibus istius insulae Corsicae locis pestis grassari coeperit, tuque metuas, ne illius contagione etiam civitates et dioeceses tuae Marianensis et Acciensis invicem canonice unitae inficiantur, et propterea tuorum dioecesanorum, quos peste (quod[1] Deus avertat) infici contingeti[2], eisque opem et auxilium pro tempore praestantium spirituali consolationi per nos consuli summopere desideres: nos, pastoralem sollicitudinem tuam plurimum in Domino commendantes, et pio desiderio tuo hac in parte annuere volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac Ss. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in civitatibus et dioecesibus praedictis peste (quod absit) pro tempore infectis, et presbyteris, qui eis seu de pestis huiusmodi infectione suspectis Ecclesiae sacramenta administrabunt, ac medicis seu chirurgis, qui eisdem medebuntur, necnon omnibus illis, qui eis in eorum necessitatibus, ac obstetricibus, quae mulieribus peste infectis seu de eius infectione suspectis in earum partu assistent, necnon nutricibus, quae earumdem mulierum natos lactabunt, et illis, qui peste infectos seu de eâ suspectos huiusmodi ad hospitalia, seu domunculas, aut alia loca ad eorum curam seu gubernium destinata seu destinanda conducent seu deferent, illisque qui ex peste huiusmodi defunctorum corpora ad sepulturam deferent, aut ipsa sepelient, ac demum omnibus utriusque sexus christifidelibus eâdem peste infectis seu de illius infectione suspectis cibum, potum et alia eis necessaria subministrantibus, illosque visitantibus, consolantibus, illorumque curae spirituali aut corporali quoquo modo incumbentibus, et opera misericordiae erga illas exercentibus, semel in hebdomadâ, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti coronam seu tertiam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *quo* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *contigent* (R. T.).

partem rosarii B. Mariae Virginis aut septem psalmos poenitentiales recitaverint, plenariam, praeterea eisdem peste infectis in cuiuslibet eorum mortis articulo, si similiter vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium similiter peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praeterea, defunctorum etiam animabus opportuna de thesauris Ecclesiae subsidia subministrare volentes, etiam concedimus, ut quotiescumque aliquis sacerdos, sive secularis sive regularis, missam ad unum ex aliquot altaribus per te ex civitatibus et dioecesibus tuis praedictis designandis, durante contagione huiusmodi, pro cuiuscumque fidelis ex peste defuncti animae in purgatorio existentis liberatione celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri Iesu Christi ac beatissimae Virginis Mariae et Sanctorum meritis adiuta a purgatorii poenis liberetur.

Peste infectos vel suspectos a peccatis quibuslibet absolvendi facultatem elargitur.

§ 2. Insuper tibi quoscumque peste infectos aut suspectos a quibuscumque peccatis, delictis et censuris, nobis et Apostolicae Sedi etiam per litteras in die Coenae Domini legi solitas reservatis, in foro conscientiae tantum absolvendi, et facultatem huiusmodi aliis presbyteris secularibus et cuiusvis Ordinis regularibus delegandi, necnon quoscumque, etiam clericos et presbyteros, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis per eos occasione curationis pestis dumtaxat incursis similiter absolvendi et liberandi, ac cum eis super irregularitate per eos occasione eiusdem curationis pestis quomodolibet contractâ dispensandi, ac quorumcumque regularium operâ et ministerio absque ullâ morâ tempore pestis, etiam superioribus non requisitis, pro servitio peste infectorum utendi, facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contra

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Praesentibus ad tres menses proximos et interim durante (quod absit) contagione tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXIX.

Statuit, quod nemo de cetero in electionibus generalis congregationis canonicorum regularium S. Ioannis Evangelistae in Portugalliâ, aliorumque rectorum illorum monasteriorum, votum seu suffragium per litteras dare possit, sed in illis servari debeat dispositio sacrorum canonum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Pro

§ 1. Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito in id peculiari studio incumbimus, ut[2] religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum congregationes in sacrorum canonum observantiâ felicioribus in dies successionibus prosperentur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *et* pra *ut* (R. T.).

Motiva. § 2. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis congregationis canonicorum regularium S. Ioannis Evangelistee in Portugallià nobis nuper exponi fecit, ex veteri consuetudine in eâdem Congregatione contra sacrorum canonum dispositionem hactenus servatum fuerit, ut canonici regulares Congregationis huiusmodi a loco, ubi electiones rectoris generalis ipsius Congregationis, aliorumque rectorum illius monasteriorum de triennio in triennio fieri solitae pro tempore celebrabantur, absentes vota seu suffragia sua litteris inclusa et obsignata cum nominatione personae per eos electae ad eumdem locum mitterent, votaque seu suffragia huiusmodi in dictis electionibus effectum haberent: hinc est quod nos, abusum huiusmodi removere, dictumque procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, neminem de cetero in electionibus praedictis votum seu suffragium per litteras dare posse, sed in eisdem electionibus sacrorum canonum praedictorum dispositionem servari debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, perpetuo inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat. § 4. Quocirca dilectis filiis Francisco Nogeira et Sebastiano Robeiro Giram, metropolitanae ecclesiae Elborensis canonicis, harum serie committimus et mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Congregationis praedictae eiusque canonicorum secularium, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, praesentes litteras solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ ipsas praesentes ab iis, ad quos spectat et quoquo modo spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, eiusque monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter

expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCLVII[1], pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXX.

Facultas inquisitori Melitano absolvendi, per se, vel alium, impositâ poenitentiâ salutari, eos qui censuras incurrerunt, quia Martinum de Redin priorem Navarrae in magnum magistrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani elegerunt contra decretum ipsius inquisitoris.

Dilecto filio magistro Iulio de Oddis in utrâque signaturâ nostrâ referendario, ac haereticae pravitatis in insulâ Melitensi inquisitori auctoritate apostolicâ deputato,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset relationem magistri Iulii de Oddis. § 1. Cum, sicut ex relatione tuâ cognovimus, tu die XVI augusti proxime praeteriti dilectum filium Martinum de Redin, tunc priorem prioratus Navarrae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ad electionem de eius personâ in magnum magistrum dicti hospitalis faciendam inhabilitaveris, voceque activâ et passivâ privaveris, ac omnibus et singulis, qui eum in magnum magistrum hospitalis huiusmodi eligerent, seu electum recognoscerent, incursum in censuras in sacris canonibus et constitutionibus apostolicis expressas denunciaveris, seu protestatus fueris, et aliàs, prout in decreto seu litteris tuis super hoc emanato seu emanatis, cuius seu quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur:

§ 2. Nos, eorum, qui in censuras praemissorum occasione forsan incurrerunt, seu incurrisse praetendi possent, statui et conscientiae securitati paternâ benignitate consulere volentes, discretioni tuae, per te, vel alium, seu alios a te deputandos, omnes et singulos censuris huiusmodi quomodolibet innodatos[1], seu qui illis innodati esse praetendi quoquo modo possent, si hoc a te vel ab aliis per te deputandis praedictis humiliter petierint, impositâ eorum singulis tuo vel eorumdem a te deputandorum arbitrio respective aliquâ poenitentiâ salutari, a censuris praedictis in utroque foro auctoritate nostrâ apostolicâ absolvendi et plenarie liberandi, illosque in pristinum et eum in quo ante earumdem censurarum incursum quomodolibet erant statum dictâ auctoritate restituendi, reponendi et reintegrandi quamcumque necessariam et opportunam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur. A absolu

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, hospitalis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores prae- C derogat

1 Male edit. Main. legit *1656* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *innodatus* (R. T.).

sentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXXI.

Pro archiconfraternitate B. Mariae de Suffragio Urbis, circa facultatem aggregandi confraternitates eiusdem nominis et instituti[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres archiconfraternitatis B. Mariae de Suffragio pro animabus purgatorii canonice institutae de Urbe, quod dudum (postquam eidem archiconfraternitati a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro indultum aggregandi sibi alias confraternitates concessum fuerat) recolendae memoriae Paulus Papa V etiam praedecessor noster, supplicationibus tum existentium officialium et confratrum archiconfraternitatis huiusmodi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per suas in simili formâ Brevis die XXII martii MDCXV expeditas litteras, ipsis officialibus et confratribus facultatem quidem aggregandi dictae archiconfraternitati quascumque confraternitates eiusdem denominationis et instituti etiam concessit, sed voluit quod confraternitates aggregandae huiusmodi eleemosynas pro missis pro defunctis accipere ullo modo nequirent, quodque de eius voluntate huiusmodi in litteris aggregationum pro tempore conficiendis specifica mentio fieri omnino deberet, alioquin aggregationes ipsae nullae essent.

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, earumdem Pauli praedecessoris litterarum ignari, centum et quinquaginta vel circiter confraternitates memoratae archiconfraternitati, nullâ factâ mentione praedictae voluntatis eiusdem Pauli praedecessoris, bonâ fide, ac servatis aliàs servandis, aggregaverint, et, post habitam earumdem litterarum notitiam, confraternitates, ut praemittitur, aggregatas voluntatis huiusmodi certiores reddiderint, et propterea in praemissis opportune a nobis provideri summopere desiderent:

Centum et quinquaginta circiter confraternitates aggregatas confirmat. § 2. Nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, centum quinquaginta vel circiter confraternitatum huiusmodi aggregationes, a praedictis exponentibus sicut praemittitur factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, convalidamus, eâ tamen lege ut de cetero observentur adamussim praedictae Pauli praedecessoris litterae, et exemplar praesentium litterarum in formâ authenticâ exhibeatur in singulis curiis Ordinariorum, in quorum dioecesibus sunt confraternitates aggregatae.

[1] Huic archiconfraternitati quamplures indulgentias concessit Clemens VIII Constit. *Ex debito*, § VII, tom. X, pag. 172.

Condonat eleemosynas perceptas confratribus, dummodo onera impleverint.

§ 3. Praeterea confratribus confraternitatum aggregatarum huiusmodi eleemosynas, si quae ab illis perceptae fuerunt, pro missis celebrandis pro defunctis, dummodo revera eleemosynae praedictae erogatae fuerint pro celebratione missarum huiusmodi, auctoritate et tenore praedictis gratiose condonamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praedictis Pauli praedecessoris litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXXII.

Pro resecandis[1] sumptibus superfluis in ecclesiis et monasteriis monialium Urbis.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pro commisso nobis caelitus pastorali munere, dilectarum in Christo filiarum monialium monasteriorum almae Urbis nostrae, quae, oblitae domum patris sui, totas se Iesu Christi Domini nostri earum sponsi obsequiis devoverunt, quieti et utilitatibus peculiari studio iugiter invigilantes, ipsasque moniales superfluis sumptibus, dierum festorum causâ vel quando puellae seu mulieres habitum regularem in iisdem monasteriis suscipiunt professionemve emittunt fieri solitis, eximere, et populi ad eadem monasteria seu illorum ecclesias eiusmodi occasione confluentis turbam evitari cupientes,

§ 1. De venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum congregationis super negotiis visitationis apostolicae a nobis institutae consilio, in quibuscumque earumdem monialium ecclesiis alias festivitates, quam pro Sanctis titularibus ipsarum ecclesiarum, sive monasteriorum huiusmodi patronis, aut[1] Ordinum quorum illa respective sunt fundatoribus, institui sive solemniter celebrari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo prohibemus. — Quae celebrari.

§ 2. Volentes ut festivitates huiusmodi absque musicâ exteriori omnino celebrentur, adhibito tantum in choro interiori cantu Gregoriano nuncupato, sive etiam figurato quoad antiphonas vesperarum pro currenti festo aut canticum *Magnificat*, pleno tamen choro, et nullis sumptibus, sub poenis, abbatissae seu priorissae, privationis officii, monialibus autem canentibus, vocis activae et passivae, eo ipso respective incurrendis. — Cantu gregoriano mittitur.

§ 3. Ac eisdem abbatissis, seu priorissis, necnon sacristanis et camerariis, aliisque ministris et officialibus dictorum monasteriorum sub eisdem poenis respective pariter interdicimus, ne ornandis ecclesiis atque altaribus apparatus, aut argenteam, aliamque tam pretiosam quam non pretiosam supellectilem cuiusvis qualitatis et speciei a quocumque commo- — De ecclesiae.

1 Edit. Main. habet *reseorandis* (R. T.).

1 Particulam *aut* nos addidimus (R. T.).

dato accipiant, neve in praenarratam causam pecunias, aut quaevis alia bona cuiusvis generis, qualitatis et speciei a quibuscumque personis certis vel incertis, etiam sponte dantibus sub quocumque praetextu gratitudinis, donationis, solutionis debiti, aut restitutionis, etiam pro exonerandâ conscientiâ, aut ex alio contractu, vel quovis quaesito colore, etiam pro eleemosynâ, ne quidem a consanguineis, vel affinibus, etiam in primo gradu, aut benefactoribus monialium, et aliorum praedictorum etiam occulto nomine, petant, vel accipiant, neque in hunc finem vendant industriae ipsarum monialium opera, eorumque pretium in sumptus huiusmodi impendant, aut quidquam, tam durante officio, quam eo exacto, ecclesiae, sacristiae, aut quibusvis aliis dono dent, sed expensae necessariae ab abbatissâ seu priorissâ, eâ qua maiori poterunt cum parsimoniâ, fiant ex ordinariis et certis redditibus tantum vel monasteriorum vel sacristiae illorum propriis, si adsint, nullum vero prorsus aes alienum propterea contrahatur. Praeterea, eâdem auctoritate, sub poenis praedictis, praecipimus idem servari cum puellae seu mulieres ad habitum regularem et votorum solemnium emissionem seu professionem admittantur, ut scilicet omnia sine pompâ, sine sumptu, et absque cerarum, aliorumque munuscolorum quorumcumque distributione fiant, comprehensis etiam esculentis et poculentis; neque occasione festivitatum Sanctorum, aut susceptionis habitus et professionis huiusmodi, vel quovis alio anni tempore, dispensari vel dono mitti possint flores, fructusque, sive veri ii sint et naturales, sive fictitii et artificiales, aut pharmaca, placentae, liba, scriblitae, crustula, spirulae, et alia id genus edulia, cupedine et bellaria, quibuscumque personis, sive secularibus, sive ecclesiasticis, etiam regularibus, utriusque sexus, tam intra quam extra septa monasteriorum degentibus, ac etiam superioribus et praelatis quovis gradu et dignitate etiam cardinalatus fulgentibus, protectoribus, viceprotectoribus, deputatis praefectis, visitatoribus, confessariis, factoribus et officialibus monasteriorum huiusmodi, quocumque nomine nuncupentur, aliisque ab illis quoquo modo dependentibus. Denique mandamus missas solemnes in ecclesiis monasteriorum huiusmodi ab illorum confessariis, vel aliis privatis sacerdotibus decantari, tubarum vero clangores et tympanorum strepitus, ac tuborum pulvere pyrio oppletorum explosiones, missilesque et festos ignes, nullâ ratione, nullâque occasione ante vel prope, aut circa ecclesias ac monasteria praedicta permitti, neque tentoria sive vela ante ianuas earumdem ecclesiarum expandi, sed et omnes alias non necessarias expensas omnino resecari.

§ 4. Declarantes abbatissas, seu priorissas, sacristanas, camerarias, aliasque officiales et moniales monasteriorum praefatorum, quae in toto vel in parte praesentibus litteris et contentis in illis quoquo modo respective contravenerint, poenas praenarratas, aliasque etiam graviores nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrii, durante earum contumaciâ, ipso facto incursuras: absolutione, condonatione, reintegratione et dispensatione desuper nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris dumtaxat reservatâ. Ceterum si quandoque abbatissae seu priorissae et moniales praedictae rigorem praesentis constitutionis in aliquo casu particulari remitti et aliquid ex vetitis in illâ permitti desideraverint, non prohibemus quin id postulent a nobis et successoribus praedictis, concessuris in scriptis quod in Domino censuerimus, seu illi respective censuerint expedire. Demum ut eaedem praesentes litterae debitae exe- Contravenientium poenae.

cutioni demandentur, illarumque ignorantia a nemine ullo unquam tempore praetendi possit, venerabilibus fratribus nostris Martio episcopo Albanensi, S. R. E. cardinali Ginetto nuncupato, nostro in Urbe praedictâ vicario in spiritualibus generali, vel Marco Antonio episcopo Hierapolitanensi, ipsius Martii cardinalis vicarii vicesgerenti, harum serie committimus et mandamus ut praesentes litteras, seu illarum tenorem, in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatas imprimi, illarumque exemplaria, in formam authenticam redacta, in singulis monasteriorum praedictorum sacristiis ac choris et locutoriis, in loco cospicuo ubi ab omnibus legi possint, constitui et collocari, ibique perpetuo remanere, et a nemine amoveri curent, sub poenis supradictis eo ipso per contrafacientes incurrendis.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, neque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu alio quocumque defectu, ex quovis capite vel causâ etiam speciali mentione dignâ, notari aut impugnari unquam posse, sed ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis existant, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, et ceteris constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon monasteriorum et Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem ut praesentes litterae per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas ecclesiae S. Ioannis in Laterano ac basilicae Principis Apostolorum et in acie Campi Florae de Urbe praefatâ publicentur, et earum exempla etiam impressa ibidem affigantur; quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter intimatae fuissent; utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 24 septembris 1657, pontif. anno III.

CLXXIII.

Prohibitio extrahendi libros et quaecumque alia ex bibliothecâ conventus

S. Martini Eremitarum sancti Augustini civitatis Senensis[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. Cum, sicut venerabilis frater Ambrosius episcopus Porphyriensis, sacrarii nostri apostolici praefectus, nobis nuper exponi fecit, ipse, qui habitum pro fratre[2] Ordinis Eremitarum sancti Augustini gestari solitum aliàs suscepit et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisit regularem, tempore quo in conventu S. Martini civitatis Senensis eiusdem Ordinis degebat, nedum ad usum et commodum dicti Ordinis professorum, sed etiam conciviuni suorum Senentium etiam[3] insignem bibliothecam copiosâ multitudine librorum, picturarum, numismatum, seu monetarum, ex auro, argento et metallo, et aliarum antiquitatum refertam congesserit, vereatur autem ne tractu temporis ex bibliothecâ huiusmodi aliqua subtrahantur:

Absolvit a censuris. § 1. Idcirco nos, conservationi et manutentioni librorum, aliarumque rerum dictae bibliothecae opportune prospicere, ipsumque Ambrosium episcopum specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet extractionem librorum a bibliothecâ praedicta. § 2. Universis et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, ac etiam laicis, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, ne perpetuis futuris temporibus, sub quovis praetextu, causâ vel ingenio, per se, vel alium, seu alios, e praedictâ bibliothecâ libros, sive typis editos sive manuscriptos, necnon picturas et antiquitates huiusmodi in eâdem bibliothecâ nunc et pro tempore existentes extrahere, asportare et tollere, seu extrahi, asportari et tolli facere, aut ne[1] extrahantur permittere quoquo modo audeant seu praesumant, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, et insuper, quoad regulares, etiam privationis vocis activae et passivae eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus. Necnon praedicto Ambrosio episcopo, quoad vixerit, aliquem ex fratribus dicti conventus in praefectum et custodem dictae bibliothecae pro suo arbitrio deputandi et constituendi illumque toties quoties ei placuerit amovendi et variandi facultatem, eisdem auctoritate et tenore, concedimus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et conventus praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentis prohibitionis copiam affigi mandat. § 4. Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in valvis dictae bibliothecae, vel aliquo alio conspicuo loco unde ab omnibus legi possit, continuo affixa remaneat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Consimiles prohibitiones aliorum Summorum Pontificum pro conservatione bibliothecarum invenies in repertorio, verbo *bibliotheca*.
2 Forsan *per fratres* legendum (R. T.).
3 Vox *etiam* redundat (R. T.).

1 Potius lege *ut* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 octobris 1657, pontif. anno III.

CLXXIV.

Concedit indulgentiam plenariam omnibus personis, tam regularibus, quam secularibus, quae per octiduum vacabunt exercitiis spiritualibus in domibus Societatis Iesu[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Goswinus Nickel praepositus Societatis Iesu, personae eiusdem Societatis quotannis, et plerumque plurimae aliae, sive ecclesiasticae, et aliorum ordinum et congregationum regularium, sive laicae, exercitiis spiritualibus a sancto Ignatio dictae Societatis fundatore institutis in domibus eiusdem Societatis per octiduum vacare consueverint[2],

Plenariam confessis et poenitentibus peccatorum indulgentiam elargitur. § 1. Nos, qui probe scimus quantopere conducant exercitia huiusmodi dirigendis in[1] viam Domini et confirmandis in illâ christifidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeo pio et salutari vacaverint, caelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus, tam praedictae Societatis, ac cuiuscumque alterius Ordinis et Congregationis regularibus, quam aliis quibuslibet ecclesiasticis et laicis, qui in domibus memoratae Societatis exercitia praedicta iuxta laudabilem eiusdem Societatis consuetudinem per octidui spatium quandocumque peregerint, et interea temporis vere poenitentes et confessi sacrosanctum Eucharistiae sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus in perpetuum valituris.

§ 2. Volumus autem, quod, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, ut[1] sponte oblatum recipiatur, eaedem praesentes nullae sint eo ipso; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae et praepositi generalis Societatis praedictae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XII octobris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 octobris 1657, pontif. anno III.

CLXXV.

Declaratio, quod Breve Urbani VIII, quo constitutionem Gregorii XV super exclusione patrum provinciae ab ingressu definitorii pro provinciis Hispaniarum et Indiarum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ dumtaxat emanatam[2] *ad totam familiam ultramontanam extendit, non comprehendere provincias regni Galliae Ordinis huiusmodi*[3].

1 Consimilem indulgentiam concessit pro fratribus regularis Observantiae sancti Francisci, ac Reform. Const. *Cum sicut*, etc., infr.
2 Edit. Main. legit *consueverit* (R. T.).
1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

1 Videtur legendum *aut* ut (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *emanatarum* (R. T.).
3 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum omnium provinciarum in regno Franciae constitutarum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis expositum fuit, quod aliàs, postquam a felicis recordationis Gregorio XV praedecessore nostro emanaverat constitutio specialis, pro provinciis Hispaniarum et Indiarum Ordinis praedicti dumtaxat, omnes patres provinciae, excepto exprovinciali, ab ingressu definitorii excludens, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII, etiam praedecessor noster, constitutionem huiusmodi ad totam familiam ultramontanam dicti Ordinis per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras extendit, ac in definitorium etiam patrem provinciae antiquiorem admitti ordinavit, idque instante capitulo generali memorati Ordinis de anno MDCXXXIX in almâ Urbe celebrato, cui vocales praedictarum provinciarum regni Franciae ob espressam prohibitionem eis a tunc existente Francorum rege christianissimo factam non interfuerunt, prout nec capitulo generali eiusdem Ordinis successive de anno MDCXLV Toleti habito; unde adversus praemissa reclamare, maximumque praeiudicium et detrimentum per extensionem huiusmodi memoratis provinciis regni Franciae, in quibus, ut praedicti exponentes asserunt, ab immemorabili tempore omnes, qui per triennium ministri provincialis munere functi fuerunt, voce activâ in definitorio ipsarum provinciarum perpetuo fruuntur, omnibusque congregationibus et capitulis tamquam definitores perpetui intersunt, illatum[1] ostendere eatenus non valuerunt.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, exposito subinde in capitulo generali dicti Ordinis in eâdem Urbe de anno MDCLI celebrato per vocales dictarum provinciarum regni Franciae praeiudicio et detrimento huiusmodi, per statuta generalia Ordinis praedicti tunc edita, et a tunc existentium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum congregatione confirmata, decretum fuerit, ut ab extensione, sicut praemittitur, ab eodem Urbano praedecessore factâ exciperentur dicti Ordinis provinciae, quae leges municipales auctoritate apostolicâ firmatas vel consuetudines immemorabiles in contrarium obtinentes habebant; nobis propterea iidem esponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbani litteras fratres Ordinis Minorum de Observantiâ regni Galliae non comprehendere declarat.

§ 3. Nos igitur, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praedictas Urbani praedecessoris litteras non comprehendere provincias fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ regni Galliae, eo quia illae habeant in contrarium leges municipales auctoritate apostolicâ firmatas seu immemorabiles consuetudines, ac propterea in dictis provinciis omnes patres provinciae gaudere debere voce activâ in omnibus capitulis et congregationibus provincialibus quem-

1 Pessime edit. Main. legit *illarum* pro *illatum* (R. T.).

admodum hucusque ab immemorabili gavisi sunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statutumque in dicto capitulo generali de anno MDCLI celebrato editum super ingressu patrum provinciae in definitorium, auctoritate et tenore praedictis, confirmamus et approbamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praedictis eorumdem Urbani et Gregorii praedecessorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 novembris 1657, pontif. anno III.

CLXXVI.

Diversae facultates nuncio Poloniae ad triennium proximum, et interim durante suâ legatione, pro praesentibus ecclesiarum et incolarum regni Poloniae necessitatibus spiritualibus [1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Enumerat spiritualia mala regni Poloni et diversas nuncio facultates elargitur.

§ 1. Cum, sicut ex relatione tuâ cognovimus, catholicae religionis exercitium in regno Poloniae et provinciis illis unitis valde imminutum sit, tum ob Graecorum schismaticorum contumaciam, rebellione aliquot subditorum carissimi in Christo filii nostri Ioannis Casimiri Poloniae et Sveciae regis illustris ac bello per Moscos ei illato fotam, adeo ut pravus eorumdem schismaticorum ritus ab omnibus fere magni ducatus Lituaniae, necnon Russiae, Volyniae, Podoliae, Podelassiae, Biraynrae, Smoleski et Severiae provinciarum incolis se tuetur, tum etiam, et praecipue, propter hostilem asserti regis Sveciae in maiorem et minorem Poloniam, ac Prussiam, Pomerellam, Cassutiam, Massoviam et alias regni praedicti provincias seu palatinatus invasionem, in quibus exinde haeresis longe lateque diffusa maximos cum ingenti orthodoxae fidei detrimento fecit progressus: nos, quibus id unice cordi est, ut si quae oves gregis curae nostrae a supremo patrefamilias crediti Satana instigante diversis haeresibus et erroribus sint implicitae, apertâ pietatis et veniae ianuâ, ad ovile dominicum commodis rationibus revocen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tur, ceteri vero, in verâ et avitâ religione ac nostrâ et Sedis Apostolicae obedientiâ constantes, paternam et uberem nostram ac eiusdem Sedis benignitatem iugiter experiantur, considerantes quantopere florentes nuper regni istius opes funesto et miserabili bello sint[1] accisae, quamque[2] proinde difficilis et dispendiosus foret hoc tempore ad nos et Romanam curiam incolarum eiusdem regni in multis eorum necessitatibus spiritualibus prompto remedio indigentibus recursus, fraternitatem tuam amplioribus facultatibus communire decrevimus, ut illis suffultus recurrentes ad te in variis casibus pie consolari, ac haereticos et schismaticos, aliosque ab erroribus resipiscentes humaniter excipere, eisque gratiae et salutis viam aperire, cunctisque denique te utilem et benignum praestare valeas.

Dat facultatem reconciliandi haereticos, etc.

§ 2. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, praeter et ultra quascumque alias facultates tibi apostolicâ auctoritate concessas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, tibi, ut ad triennium proximum, et interim durante tuâ istic legatione dumtaxat, omnes et quoscumque in regno, ac magno ducatu, aliisque provinciis, seu palatinatibus praedictis ortos, seu in eis degentes, vel etiam ex aliis partibus et locis, in quibus haereses impune grassantur, ad te sponte venientes utriusque sexus, ac tam laicos, quam clericos seculares et cuiusvis Ordinis regulares, haereticos, schismaticos et apostatas, atque alios a fide catholicâ et christianâ aberrantes, illorumque credentes, seu defensores, receptatores et fautores, qui illorum erroribus adhaeserunt, poenitentes quidem (non tamen Italos, vel Hispanos, aut alios, apud quos viget sanctum inquisitionis officium) ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propter haereses et excessus huiusmodi usque ad diem quo praesentes nostras litteras receperis, quomodolibet incurrerint, dummodo in haereses et errores relapsi non fuerint (de quibus tamen Sedes Apostolica consulatur), et corde sincero, ac fide non fictâ haereses, schisma et errores suos coram te, seu a te, ut infra dicetur, subdelegandis, ac notario et testibus, publice vel privatim prout casus exegerit ac tibi et subdelegandis a te respective visum fuerit, detestati fuerint, anathematizaverint et abiuraverint, ac in gremium sanctae Matris Ecclesiae recipi et admitti humiliter postulaverint, atque, praestito per eos iuerando, promiserint de cetero ab huiusmodi erroribus, haeresibus, schismate, apostasiâ, aliisque similibus excessibus penitus abstinere, iniunctâ inde eis eorum cuilibet pro modo culpae poenitentiâ salutari, et aliis iniungendis, prout eorum saluti expedire cognoveris, in utroque foro absolvere et liberare, ac in gremium sanctae matris Ecclesiae recipere et reconciliare;

Item absolvendi.

§ 3. Praeterea, ut ad idem triennium, et interim tuâ legatione dumtaxat durante, omnes et singulos de regno, ducatu, ac provinciis et palatinatibus praedictis, ac ex partibus, ubi infidelitas vel haeresis impune grassatur, utriusque sexus christianos, etiam presbyteros, episcopos et alios praelatos, ad te venientes, sortilegos, magos, incantatores et necromanticos, sacrilegos, raptores, incendiarios, periuros, adulteros, homicidas, fornicatores, concubinarios et incestuosos, simoniacos, ecclesiarum et monasteriorum occupatores, invasores, ecclesiasticae libertatis et immunitatis violatores et oppressores, aliosque peccatores et delinquentes quoscumque, ab omnibus per eos usque ad diem quo prae-

1 Pessime edit. Main. legit *sinae* pro *sint* (R. T.).
2 Male etiam legit *quamquam* pro *quamque* (R. T.).

sentes receperis commissis peccatis, delictis et excessibus, quantumvis gravibus et enormibus, ac ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quibuslibet, etiam in casibus tam episcopis et aliis locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi praedictae, etiam in litteris die Coenae Domini quotannis legi consuetis, ac aliàs ex quacumque causâ, et sub quibusvis clausulis et limitationibus, quomodolibet reservatis (praeterquam homicidii et mutilationis membrorum in personas episcopi vel alterius praelati superioris), impositâ singulis pro modo culpae poenitentiâ salutari, ac praeviâ partium offensarum seu interesse habentium satisfactione, et parito, si quod sit, iudicato, aliisque quae fuerint iniungendae iniunctis; necnon etiam omnes et singulos, qui, usque ad diem quo praesentes, ut praemittitur, receperis, bellis interfuerunt, etiam contra praedictum Ioannem Casimirum regem, ac carissimam in Christo filiam nostram Mariam reginam eius uxorem, aliosque principes et catholicos, ac etiam contra ecclesias et alia loca pia et personas ecclesiasticas, vel aliud quodcumque auxilium, consilium et favorem adversus illos et illas quomodocumque praestiterunt, etiamsi sint personae ecclesiasticae, et quacumque dignitate insignitae, quarumque specialis et individua mentio facienda esset, impositâ eis similiter salutari poenitentiâ, ac praeviâ itidem partium interesse habentium satisfactione, ac etiam abiuratione, in casibus in quibus tibi vel a te, ut infra, subdelegandis pro vestris arbitrio et conscientiâ videbitur necessarium, necnon praestito per eos in tuis seu a te subdelegandorum manibus iurerando, quod in posterum a similibus plane abstinebunt; ac insuper quascumque cuiusvis Ordinis et instituti moniales a censuris et poenis ecclesiasticis ob clausurae violationem, vel ex quacumque aliâ causâ, usque ad diem quo praesentes, ut supradictum est, receperis, quomodolibet incursis, iniunctâ eis aliquâ poenitentiâ salutari, et aliis quae[1] tibi vel a te subdelegandis[2] videbuntur iniungenda, in foro conscientiae tantum, vel etiam in utroque, absolvere pariter et liberare;

Vere poenitentibus et reconciliatis irregularitatem solvit, et beneficia ecclesiastica recipere posse facultatem impartitur.

§ 4. Ad haec tibi ad idem triennium proximum, et interim durante tuâ legatione, ut cum praedictis poenitentibus in utroque foro receptis et reconciliatis, qui clerici seculares vel cuiusvis Ordinis regulares fuerint, super irregularitate per eos haeresum et errorum ac schismatis et apostasiae occasione quomodolibet antequam praesentes receperis contractâ, tam quoad executionem ordinum per eos susceptorum, quam quoad habilitationem obtinendi vel retinendi aliqua beneficia ecclesiastica simplicia vel curata ac officia et dignitates, non tamen maiores, ac iis, qui haeretici, schismatici et apostatae fuerunt, et in sacris ordinibus sunt constituti, ab altaris ministerio, et omnium sacramentorum Ecclesiae administratione, perpetuo, vel ad tempus, tuo vel a te subdelegandorum arbitrio suspensis, si aliud canonicum non obsistat impedimentum, in eodem utroque foro dispensare; necnon cum illis, qui haeretici vel schismatici fuerint, ac unitati sanctae Matris Ecclesiae erunt reconciliati, et clericali militiae adscribi vel alios etiam sacros et presbyteratus ordines suscipere et ecclesiastica beneficia obtinere cupiunt, si verae poenitentiae et constantiae signa dederint, et qualitates habeant requisitas, sibique aliqua merita suffragentur, de praedictae Sedis benignitate itidem dispensare, ut tonsuram clericalem, et alios etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis aliàs servandis, suscipere, et beneficia ecclesia-

1 Perperam ed. Main. legit *quo* pro *quae* (R.T.).
2 Male etiam habet *subdelegari* pro *subdelegandis* (R. T.).

stica (non tamen, ut praefertur, qualificata) si eis canonice conferantur, recipere et retinere possint et valeant;

Ab irregularitatibus contractis dispensandi.

§ 5. Ac insuper cum aliis super occultis seu manifestis, etiam ob homicidia in bello vel eius occasione forsitan commissa, aut ratione susceptionis clericalis characteris el aliorum etiam sacrorum et presbyteratus ordinum contra sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem factae, ac etiam simoniae in ordinibus et beneficiis admissae, et quod missas et alia divina officia, censuris ecclesiasticis ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, et aliàs quomodolibet usque ad diem quo praesentes receperis contractis irregularitatibus (praeterquam ex homicidio voluntario et bigamiâ provenientibus), tam ad suscipiendum clericalem characterem, et alios etiam sacros et presbyteratus ordines, et ministrandum in iam susceptis, quam ad quaecumque beneficia et officia ecclesiastica retinenda et obtinenda, in foro conscientiae, vel in utroque, dispensare possis et valeas, eâ lege tamen, ut in singulis casibus, in quibus petetur huiusmodi dispensatio, praecedat relatio Ordinarii eius qui illam petierit, vel committatur ipsi Ordinario eiusmodi dispensationis executio, praeviâ coram illo iustificatione narratorum, et dummodo cesset scandali periculum;

Matrimonia validandi.

§ 6. Praeterea tibi, ut ad triennium praedictum, et interim durante tuâ legatione, cum quibusvis personis in regno, ducatu et provinciis seu palatinatibus praedictis commorantibus, in secundo et tertio simul, vel in tertio simplici, aut duplici, vel in tertio et quarto simul, aut etiam in quarto simplici vel duplici consanguinitatis sive affinitatis gradibus invicem coniunctis, seu se attinentibus, qui, usque ad diem quo tu praesentes receperis, matrimonium inter se sine Sedis Apostolicae dispensatione, scienter vel ignoranter, servatâ aliàs formâ Concilii Tridentini, contraxerunt, carnali etiam copulâ inter eos subsequutâ, si citra scandalum et periculum aliquod separari nequeant, si quidem impedimenta fuerint occulta, ut tu in foro conscientiae, iniunctis poenitentiis salutaribus, si vero fuerint manifesta, in utroque foro; etiam, poenitentiis salutaribus iniunctis et aliis quae tibi videbuntur iniungenda, ipsos ab incestus reatu, ac censuris et poenis ecclesiasticis, in quas sic de facto contrahendo incurrerunt, absolvere, et cum eis, ut matrimonium de novo, servatâ formâ dicti Concilii, inter se contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum remanere libere et licite possint, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, dispensare valeas, proles exinde susceptas et suscipiendas legitimas decernendo et nunciando; insuper, ut ad idem triennium, et interim durante tuâ legatione, quibusvis in aetate legitimâ constitutis regni ac ducatus et provinciarum, seu palatinatuum praedictorum, praeterquam illis quorum episcopi vel archiepiscopi seu eorum suffraganei in propriis dioecesibus resident et pontificalia exercere possunt, quod cum litteris dimissorialibus sui Ordinarii a quocumque quem maluerint catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de dioecesani licentiâ pontificalia exercente, clericali charactere insigniri, ac ad quatuor minores quatuor feriatis seu non feriatis, aut unicâ, et subinde etiam ad sacros ordines tribus dominicis seu aliis festivis de praecepto diebus, ac extra tempora a iure statuta, ad sufficientem beneficii ecclesiastici vel patrimonii titulum, prout ecclesiarum necessitas vel utilitas postulaverit, servatisque aliàs servandis, promoveri, et sic promoti in illis etiam in

A residentia dispensando pro necessitate animarum.

altaris ministerio ministrare valeant, licentiam et facultatem concedere;

§ 7. Deinde, attentâ penuriâ sacerdotum, propter quam ecclesiarum parochialium regni ac ducatus et provinciarum seu palatinatuum huiusmodi necessitatibus aliter congruentius prospici non possit, ut ad praedictum triennium, et interim durante tuâ legatione, quibuscumque presbyteris idoneis et ad exercitium curae animarum canonice approbatis, quod duas parochiales ecclesias, quibus per unum eumdemque presbyterum sine curae animarum praeiudicio deserviri possit, unam videlicet in titulum, et alteram in administrationem, aliàs canonice, obtinere, et ad triennium et interim durante necessitate dumtaxat retinere; necnon quod quicumque cathedralis vel collegiatae ecclesiae illarum partium canonicus, vel alius beneficium ecclesiasticum personalem residentiam requirens (non tamen curatum) obtinens, qui sit idoneus, et, ut praemissum est, approbatus, in administratorem curae animarum unius parochialis ecclesiae earumdem partium ad triennium et interim durante necessitate deputari possit, ita tamen ut apud parochialem ecclesiam huiusmodi residere teneatur, et interim omnia et singula suorum canonicatus et praebendae seu beneficii fructus, redditus et proventus, iura et emolumenta, ac distributiones ordinarias et extraordinarias, etiam quotidianas, et quotidie manualiter dari solitas, cum eâ integritate percipere et exigere possit, cum qua illa perciperet et exigeret, si penes ecclesiam, in qua canonicatum et praebendam vel beneficium obtinet, resideret, ac in eâ divinis officiis nocturnis et diurnis aliisque functionibus assidue interesset, proviso tamen quod propter eius absentiam canonicatus et praebenda vel beneficium huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, sed illorum, quantum fieri poterit, congrue supponentur onera consueta; ad haec praedicto triennio, et interim tuâ legatione durante, quod cuiusvis etiam Mendicantium Ordinis regulares idonei, et ut praemittitur approbati, de Ordinarii[1] loci ac eorum superiorum regularium consensu et licentiâ, pro administratione ecclesiarum parochialium partium praedictarum et curae animarum illis incumbentium, ad triennium et interim durante necessitate dumtaxat, deputari valeant, eâ lege quod, si fieri poterit, soli non permaneant extra claustra suorum monasteriorum, sive domorum regularium, sed saltem cum altero socio eiusdem Ordinis et conventus ab iisdem Ordinario et superiore regulari approbando, concedere et indulgere possit itidem et valeas;

Moniales extra propria monasteria degentes colligendi.

§ 8. Praeterea, ut ad idem triennium, et interim durante tuâ legatione, quascumque moniales extra propria monasteria et claustra degentes seu vagantes colligere, easque et invitas et reluctantes opportunis iuris et facti remediis, etiam per censuras ecclesiasticas, ac invocato, si fuerit necesse, auxilio brachii secularis, ad clausuram[2] a te vel ab aliis per te deputandis assignandam revocare et deducere, aut in alio monialium eiusdem seu alterius Ordinis et instituti monasterio, de consensu tamen professarum in illo seu maioris partis earum capitulariter praestando, vel in aliâ domo, aut loco congruo et honesto, per te seu alios a te deputandos eligendo, collocare valeas, in quo quidem monasterio, seu domo, vel loco moniales huiusmodi, etiamsi inibi plures diversorum Ordinum et institutorum moniales simul commorari necesse sit, permanere, et clausuram aliaque a te praescribenda servare teneantur, donec aliter provisum fuerit;

Amplam facultatem circa

§ 9. Insuper, ut ad praedictum trien-

1 Male edit. Main. legit *Ordinariis* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *clausura* (R. T.).

proventus et fructus quorumcumque legatorum impertitur.

nium, et interim durante tuâ legatione, onera missarum, quibus satisfieri non potest, pro tuis arbitrio et prudentiâ, ad triennium et interim durante necessitate dumtaxat, reducere, necnon fructus, redditus et proventus quorumcumque legatorum ad certos vel incertos usus pios relictorum in reparationem ecclesiarum et cultus divini servitio, ad triennium et interim durante necessitate, cui aliter provideri non possit, applicare, et ad hunc effectum quascumque etiam ultimas voluntates commutare similiter valeas, plenam et amplam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore earumdem praesentium, concedimus et impertimur.

Facultatem absolvendi et dispensandi, et alia huiusmodi concedit.

§ 10. Demum, ut absolvendi, dispensandi et alia, ut supra expressum est, concedendi et agendi facultatem a nobis tibi harum serie concessam aliquibus venerabilibus fratribus episcopis, seu archiepiscopis, aut aliis praelatis catholicis, vel doctis et probis sacerdotibus sacrae theologiae aut utriusque iuris vel decretorum doctoribus, seu licentiatis, aut verbi divini praedicatoribus, sufficientibus tamen et idoneis, cum simili vel limitatâ potestate, quemadmodum, semel et pluries, ac ubi, quoties et quando tibi visum fuerit, communicare, illosque ad praemissa seu eorum aliqua subdelegare libere et licite possis et valeas, concedimus et indulgemus.

Confessis et poenitentibus remissionem peccatorum et indulgentiam elargitur.

§ 11. Postremo, saluti animarum christifidelium in regno, ducatu ac provinciis seu palatinatibus huiusmodi commorantium pro paternâ nostrâ in illos charitate consulere volentes, tibi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictis, qui tibi vel confessariis abs te seu ab Ordinariis locorum approbatis peccata sua confessi fuerint, et sacram si potuerint Eucharistiam sumpserint, et secundum ordinationem per te desuper faciendam aliquod ieiunium aut pietatis opus fecerint, et pro fidei catholicae ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, principum christianorum concordiâ, ac praesentibus regni praedicti necessitatibus, illiusque incolumitate, pias ad Deum preces effuderint, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in formam iubilaei auctoritate nostrâ concedendi facultatem tribuimus et impertimur.

A censuris absolvi et quaecumque pro litterarum harum executione faciat.

§ 12. Et, ut absolutiones, dispensationes, concessiones, gratiae et litterae per te vigore praesentium concedendae, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascumque personas, ad effectum dumtaxat omnium et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus et quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae fuerint, dummodo in eis per annum non insorduerint, absolvendi et absolutas fore censendi, iudices assistentes, commissarios et executores pro praedictorum et litterarum tuarum executione et observatione delegandi, ac omnia et quaecumque alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, decernendi et exequendi, etiam per alium, seu alios, auctoritate apostolicâ praedictâ, tenore praesentium, plenam similiter et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Decretum irritans.

§ 13. Decernentes te omnibus facultatibus praedictis, etiam cum derogationibus, ac irritantibus aliisque decretis et clausulis necessariis et opportunis, ac in litteris apostolicis concedi et extendi solitis, libere et licite uti posse, ac in absolutionibus, dispensationibus, concessionibus, gratiis et aliis dispositionibus per te auctoritate praesentium faciendis soli narrativae tuae et etiam solis concessionibus

et litteris tuis, absque aliâ praesentium insertione seu exhibitione, aut notarii testiumve adhibitione, stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 14. Non obstantibus felicis recordationis Sixti Papae IV praedecessoris nostri, quibus inter alia cavetur expresse, quod nuncii dictae Sedis etiam cum potestate legati etiam de latere, tam quoad dispensationes, quam quoad alias gratias praedictas concedendas, facultatibus uti non possint, nec quaevis clausulae in litteris facultatum huiusmodi appositae adversus dictas litteras cuiquam suffragentur, necnon quorumcumque conciliorum universalium, provincialium et synodalium, piaeque memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, et aliis apostolicis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac cancellariae apostolicae regulis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, civitatum et locorum quorumlibet, ac Ordinum quorumcumque, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis et indultis apostolicis, generalibus vel specialibus, quae praemissis quovis modo obstare videantur, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum[1] impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris tuisque litteris mentio specialis, necnon quorumcumque testatorum et ultimis voluntatibus et dispositionibus (quibus omnibus et singulis, ceterisque contrariis quibuscumque, ubi et quando expediet secundum rei et casus exigentiam, in genere et in specie, ac tam coniunctim quam divisim, prout tibi placuerit, ad effectum validitatis eorum quae per te praesentium vigore fieri contigerit, valeas derogare), et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus necnon litteris per te earumdem vigore concedendis non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore facienda sit mentio specialis. Volumus autem, ac in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus quod tu et abs te subdelegandi, pro concessione aut occasione concessionis absolutionum, dispensationum, licentiarum et ceterorum quae per vos fieri contigerit vigore praesentium litterarum et facultatum in illis contentarum, nihil omnino honorarii, stipendii, praemii, aut muneris, etiam sponte oblatum, recipiatis, seu exigatis, alioquin tu sis et alii, qui in episcopali seu archiepiscopali dignitate fuerint constituti, tamdiu sint ab ingressu ecclesiae suspensi, ceteri vero tamdiu excommunicationis sententiâ sint innodati, donec per condignam satisfactionem relaxationis et absolutionis beneficium a Sede praedictâ merueritis obtinere.

§ 15. Volumus etiam quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu regentis cancellariae tuae subscriptis, ac sigillo tuo obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud ubique locorum, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

[1] Aptius lege *earum* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 novembris 1657, pontif. anno III.

CXXVII.

Facultas particularis nuncio Poloniae indulgendi, ut in renovatione contractus matrimoniorum nulliter contractorum possit omitti forma Concilii Tridentini[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset facultatem antea datam validandi matrimonia, servatâ formâ Concilii Tridentini.

§ 1. Hodie per alias nostras in simili formâ Brevis litteras[2] inter alia tibi concessimus facultatem, ut ad triennium proximum, et interim durante tuâ istic legatione, cum quibusvis personis in regno Poloniae et magno ducatu Lituaniae aliisque regni huiusmodi provinciis seu palatinatibus commorantibus, in secundo et tertio simul, vel in tertio simplici aut duplici, vel in tertio et quarto simul, aut etiam in quarto simplici vel duplici consanguinitatis sive affinitatis gradibus invicem coniunctis seu se attinentibus, qui usque ad diem, quo tu praedictas nostras litteras receperis, matrimonium inter se sine Sedis Apostolicae dispensatione, scienter vel ignoranter, servatâ aliàs formâ Concilii Tridentini, contraxerint, carnali etiam copulâ inter eos subsecutâ, si citra scandalum et periculum aliquod separari nequeant, si quidem impedimenta fuerint occulta, ut tu in foro conscientiae, iniunctis poenitentiis salutaribus, si vero fuerint manifesta, in utroque foro, etiam poenitentiis salutaribus iniunctis, et aliis quae tibi videbuntur iniungendae, ipsos ab incestus reatu ac censuris et poenis ecclesiasticis, in quas sic de facto contrahendo incurrerunt, absolvere, et cum eis, ut matrimonium de novo, servatâ formâ dicti Concilii, inter se contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo remanere libere et licite possint, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, dispensare valeas, proles exinde susceptas et suscipiendas legitimas decernendo et nunciando, prout in eisdem litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc addit etiam non servata forma Concilii.

§ 2. Cum autem evenire possit, ut in aliquibus casibus matrimonia, de facto ut praemittitur contracta, non possint, nisi difficulter, aut cum scandali periculo, de novo, servatâ formâ dicti Concilii, seu coram parocho et duobus testibus, contrahi, et in facie Ecclesiae solemnizari; idcirco, quo praedictorum contrahentium statui hac in re plane consuli possit, tibi, ac per te vigore praedictarum litterarum nostrarum ad id subdelegandis, ut in casibus huiusmodi, prout necessarium esse seu expedire in Domino vobis videbitur, quod memorata dicti Concilii forma in contrahendis de novo matrimoniis huiusmodi omitti possit (dummodo eadem matrimonia de novo coram contrahentium seu alterius eorum confessario et duobus testibus, si haberi poterunt, alioquin etiam sine testibus huiusmodi contrahantur, et de contractu huiusmodi ad probationem facti attestatio eiusdem confessarii manu scripta, vel eiusdem ac testium, si qui intervenerint, manu subscripta habeatur) indulgere, quodque matrimonia, quae eo modo in vim dispensationis et licentiae per te aut abs te subdelegandos concessae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quas vide in Const. praeced., pag. 304 (R. T.).

contrahentur, valida et legitima sint et esse semper censeri debeant, non secus ac si servatâ formâ dicti Concilii et aliàs ad praescriptum praedictarum litterarum nostrarum contracta fuissent, decernere possitis et valeatis, plenam et amplam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt contraria, eisdem nostris litteris, ac iis omnibus, quae in illis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 novembris 1657, pontif. anno III.

CLXXVIII.

Declaratio quod Cistercienses absque scrupulo conscientiae possint vesci carnibus intra et extra septa monasterii, cum non sit de substantiâ regulae.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In supremi apostolatus fastigio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea, quibus christifidelium sub suavi religionis iugo vota sua Deo reddere satagentium quieti et conscientiae securitati consulitur, propensis studiis intendimus, ac desuper creditae nobis caelitus dispensationis partes interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis Cisterciensis nobis nuper exponi fecit (licet dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV praedecessor noster, per suas anno Incarnationis Dominicae MCDLXXV idibus decembris sub plumbo expeditas litteras, abstinentiam a carnibus de substantialibus regulae, quam monachi Ordinis huiusmodi profitentur, non esse declaraverit, et capitulo generali, illoque cessante, abbati pro tempore existenti monasterii Cistercii eiusdem Ordinis cum quibuscumque abbatibus, monachis et monialibus, ac aliis personis ipsius Ordinis tunc praesentibus et futuris, secundum discretionis eorum arbitrium et conscientiae iudicium (super quo eorum conscientias oneravit), quandocumque et quotiescumque necesse eis seu alteri ipsorum videretur, per se vel alios dispensandi, ac eis licentiam concedendi, quod carnibus etiam extra monasteriorum septa in quibuscumque locis, absque alicuius poenae incursu aut conscientiae scrupulo vesci et uti possent, plenam et liberam facultatem, licentiam, potestatem et auctoritatem concesserit et indulserit, capitulumque generale dicti Ordinis de anno MCDLXXXI celebratum, in vim et executionem indulti huiusmodi, in omnibus monasteriis eiusdem Ordinis generaliter esum carnium permiserit, ac ceteris[1] diebus ad servandam uniformitatem cum omnibus religiosis ipsius Ordinis dispensaverit, recolendae quoque memoriae Alexander Papa VI etiam praedecessor noster, per suas pariter sub plumbo anno Incarnationis Dominicae MCDXCVIII octavo idus novembris expeditas litteras, Cisterciensibus reformatis Hispaniae, ut carnibus, iuxta ordinationem per abbatem Cistercii et capitulum generale Ordinis huiusmodi factam, libere et licite et absque aliquo conscientiae scrupulo vesci valerent, similiter concesserit, totusque Ordo praedictus ubique diffusus in tali usu et consuetudine a centum septuaginta sex vel circiter annis citra exístat) quidam nihilominus monachi memorati Ordinis in Galliâ *abstinentes* nuncupati super hoc puncto regulae suffi-

1 Forsan legendum *certis* pro *ceteris* (R. T.).

cienter per praemissa dispensatum non esse, nec generalem usum huiusmodi modo supradicto introductum licitum esse contendentes, multorum, qui strictiorem observantiam, exceptâ solâ a carnibus abstinentiâ sicut praemittitur relaxatâ, iuxta definitionem ultimi capituli generalis eiusdem Cistercii de anno MDCLI celebrati profitentur, conscientias turbent, indeque dissensiones, contentiones et lites, non sine maximo religionis dispendio, oriantur et oriturae timeantur: nobis propterea idem procurator generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Cisterciensibus facultatem vescendi carnibus intra et extra septa monasterii, cum non sit de substantia regulae, potestatem concedit.

§ 2. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem saepius considerarunt matureque discusserunt, consilio, monachis Cisterciensibus praedictis tutâ conscientiâ licuisse et licere uti dispensatione praenarratâ super usu [1] carnium per capitulum generale Ordinis huiusmodi apostolicâ auctoritate concessâ ac diuturnâ consuetudine comprobatâ, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, eamdem ad tranquillandas conscientias scrupulosque sedandos benigne approbamus, et, quatenus opus sit, denuo concedimus et indulgemus.

1 Forsan legendum *esu* pro *usu* (R. T.).

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus in contrarium deductis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, eiusque monasteriorum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 novembris 1657, pontif. anno III.

CLXXIX.

Ad archiepiscopos et episcopos Poloniae et Lituaniae, ut congregent synodos pro reparatione divini cultus [1].

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Gravibus et luctuosis temporibus clarissimarum gentium vestrarum, quae, catholicae religionis studio et generoso pectorum obiectu, reipublicae christianae adversus immanes infensissimorum hostium vires iamdiu praesidio ac propugnaculo sunt, ex animo prorsus indoluimus; et qua precibus in Deum, qua paternis curis omnibus auxilium et opem ferre, quantum fieri potuit, profecto curavimus.

1 Synodus, semel libere acta, nusquam retractatur: ab eâ deviantes damnati censentur, Gelasius I, Constit. I, tom. I.

Laudat episcoporum Poloniae et Lithuaniae zelum.

§ 1. Nunc saevum illum turbinem, licet perculsis et labefactatis, stantibus tamen rebus, consedisse plurimum sane gavisi sumus, tamque insignis beneficii auctori misericordiarum Patri Deo laudes et grates etiam publice egimus. Sed ingenti gaudio, quo mens nostra completur, magnus laetitiae cumulus accedit ex concordi zelo et constanti virtute fraternitatum vestrarum, quae, uti nobis venerabilis frater episcopus Laudensis nuncius apostolicus non semel retulit, in tantis procellarum fluctibus vel sustinendis vel etiam sedandis insigniter enituit.

Ipsos ad operandum confirmat et erigit.

§ 2. Quare agite, venerabiles fratres, pergite laboranti adhuc patriae tam necessario tempore subvenire; etenim quo tantae clades maiorem calamitatem rebus omnibus intulerunt, eo magis vobis enitendum est ut catholicae religionis rationes, ecclesiarum iura, et morum disciplinam pro virili sustentetis ac restituatis; quod equidem, benedicente Domino, et piissimo rege, cui sane instamus, favente, futurum credimus, si in eam rem toto ex corde et omnibus pastoralis sollicitudinis officiis serio incubueritis.

Ad visitationes et synodos peragendas episcopos hortatur.

§ 3. Cum autem episcopi munus omne duobus illis visitationum et synodorum capitibus, vel praecipue, contineatur, ad haec potissimum studiose et accurata peragenda fraternitates vestras summopere hortamur. Quam amantibus, quam etiam minacibus, cum praeceptis, tum exemplis, Ipse Christus ad explendas veri pastoris partes nobis nedum stimulos admoverit, verum etiam praeiverit; quae Apostoli, ac deinceps eorum successores, viri sanctissimi, profuso quoque eum vitâ sanguine, praestiterint; quae tam privatis scriptis, quam conciliis per tot aetates usque ad sacrosanctam Synodum Tridentinam publice celebratis docuerint ac praeceperint, vos certe non latet, venerabiles fratres; quos ideo imitatores Christi et aemulatores sanctorum formam fieri gregis ex animo obsecrantes cupimus, etiam, ut speramus, currentibus calcar addimus. Porro nobis ab ipso nostri pontificatus initio nihil antiquius fuit, quam Urbem nostram in primis et locum sanctum, quem elegit Dominus, ab omni prorsus labe, ac vitiorum sordibus, quantum in nobis esse posset, purum et repurgatum custodire, quo promptius ac felicius ab universis christifidelibus hinc salutis nedum praecepta sed exempla quoque peti possent. Idque praeterea institutâ et usque prosequutâ per nos ipsos (licet circumstent et aliò saepe avocent difficilium temporum tot graves curae) ecclesiarum locorumque piorum diligenti visitatione urgere non desistimus, verentes nimirum ne forte increpationes adeo pavendas illas Domini per Ezechielem ad pastores Israël non requirentes nec pascentes gregem in nos converti mereamur, aut etiam ex ore Hieremiae illud: *Vos dispersistis gregem meum et non visitatis eos; ecce, ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.*

§ 4. Quam sane visitationem suam cum a vobis nunc Deus clementer averterit, ut ea procul in postremum longe sit etiam atque etiam providete[1]; curate, ut greges vestros (quod in tantâ rerum perturbatione necesse fuit) dispersos et debilitatos perquamdiligenter visitetis; quod in eis infirmum est consolidetis, aegrotum sanetis, confractum alligetis, abiectum reducatis, quod perierat requiratis; ut qui vel hodie vobis multus est ad ignoscendum Deus, quantum vos charitatis et sollicitudinis erga sanguine suo redemptas oves impenderitis, tantum salutis et prosperitatis vobis, ecclesiis, ac toti reipublicae vestrae (quos in sinu cordis plane gerimus) reducere et cumulare velit.

Ut omne quod necesse fuerit agant in visitatione.

1 Male edit. Main. legit *providere* (R. T.).

Ut nuncio subiiciantur monet. § 5. Ceterum, quo cunctis religionis, divini cultus ac disciplinae ecclesiasticae rationibus in provinciis istis melius ac facilius pro re ac tempore consuli possit, eumdem nuncium nostrum non solum monitis et mandatis, sed etiam peculiaribus facultatibus speciali diplomate communicatis instruximus. Eum proinde audire omnino debebunt fraternitates vestrae, quibus apostolicam benedictionem paterne largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 novembris 1657, pontif. anno III.

CLXXX.

Declaratio validitatis confirmationum et novarum electionum superiorum Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum ultra triennium contra formam litterarum Gregorii XV factarum, cum declaratione, quod in futurum superiores ordinarii non ultra unum dumtaxat triennium proximum in eorum officiis confirmari seu denuo eligi possint [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In sublimi Sedis Apostolicae fastigio [2], meritis licet imparibus, ineffabili divinae providentiae consilio collocati, congregationum virorum sub suavi arctioris religionis iugo vota sua Altissimo reddere laudabiliter satagentium commoditatibus libenter intendimus, illisque paternae benignitatis nostrae favores impertimur, prout maturâ consideratione adhibitâ conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Eadem fere est Const. ac illa superius relata pag. 252; attamen differunt nonnulla (R. T.).

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Antonius a Christo, procurator generalis congregationis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis sanctae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs, postquam felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die XX augusti MDCXXII expeditas litteras inter alia statuerat et ordinaverat, ut in omnibus et singulis ordinis [1] aequalibus vel inferioribus dictae congregationis alternativa trium annorum observari deberet, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster, per suas pariter in formâ Brevis die XII iulii MDCXXVII expeditas litteras, eiusdem congregationis diffinitorio, quod ipsius congregationis illiusque domorum praelatos ordinarios, ac alios quoscumque nomine nuncupatos superiores (non tamen provinciales) in eorum officiis, prout e re dictae congregationis illiusque domorum magis expedire in Domino iudicasset, ad aliud triennium confirmare, sive ad eadem officia de novo etiam alternativâ trium annorum huiusmodi minime observatâ eligere valeret, facultatem concessit.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, definitorium praedictum subinde (attento quod in eisdem Urbani praedecessoris litteris expresse declaratum non reperiebatur praelatos ordinarios et alios superiores huiusmodi ad unum triennium dumtaxat confirmari, sive ad eadem officia de novo, dictâ alternativâ non observatâ, eligi posse) triginta fere annorum spatio, prout interea expedire visum est, praelatos ordinarios et alios superiores praefatos in eorum officiis non solum ad unum, sed etiam ad plura immediate sequentia triennia bonâ fide confirmaverit,

1 Potius lege *officiis* ut supra pag. 252 *a* (R. T.).

sive ad illa de novo, eâdem alternativâ minime observatâ, elegerit; nunc vero idem Antonius procurator generalis pro securiori confirmationum et novarum electionum huiusmodi indeque secutorum validitate et subsistentiâ opportune a nobis in praemissis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Concedit prout in rubrica.

§ 3. Nos, ipsum Antonium procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et in quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confirmationes et novas electiones memoratorum praelatorum ordinariorum et aliorum quocumque nomine nuncupatorum superiorum, non tamen provincialium, dictae congregationis illiusque domorum ultra unum aliud seu plura triennia respective a definitorio praedicto bonâ fide, sicut praemittitur, aliàs tamen canonice factas, ac inde secuta quaecumque, et per ipsos praelatos ordinarios et alios superiores in vim confirmationum et novarum electionum huiusmodi acta et gesta, validas et valida fuisse, ac esse et fore in omnibus et per omnia, perinde ac si eaedem confirmationes et novae electiones nonnisi ad unum triennium respective factae fuissent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus et decernimus, illasque et alia[1], quatenus opus foret, et ad abundantiorem cautelam, convalidamus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper propter praemissa quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, praetendi vel intelligi quomodolibet possent, auctoritate et tenore praedictis sanamus et abolemus.

Praelatos ordinarios non ultra unum triennium eligi posse in definitorio declarat.

§ 4. Declarantes in futurum praelatos ordinarios et alios quocumque nomine nuncupatos superiores universae congregationis praedictae, illiusque domorum, quos ad aliud triennium in eorum officiis confirmandi seu de novo illa eligendi facultas eidem definitorio, ut praemittitur, a dicto Urbano praedecessore concessa fuit, non ultra unum dumtaxat triennium immediate proximum in eorum officiis a memorato definitorio respective confirmari, seu ad illa de novo alternativâ trium annorum huiusmodi minime observatâ eligi posse;

Decretum irritans.

§ 5. Ac decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis, eiusque provinciarum et domorum quarumlibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et

1 Potius legerem *illa* pro *alia* (R. T.).

expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem omnino fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 novembris 1657, pontif. an. III.

CLXXXI.

Constitutio, qua innovantur ordinata iussu felicis recordationis Urbani VIII et Innocentii X pro subventione pauperum aegrotorum Urbis.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Ut in hac almâ Urbe nostrâ pauperibus aegrotis opportuna charitatis auxilia sedulo exhibeantur, operae pretium facturi nobis videmur, si illa, quae dudum felicis recordationis Urbani VIII et Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum iussu eâ super re provide statuta fuerunt, innovemus, et, quo serventur in posterum exactius, graviorum poenarum adiectione muniamus.

Ordinata iussu pontificum praedecessorum observari iubet. § 1. Itaque, de congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae a nobis institutae deputatorum consilio, omnibus et singulis praeceptoribus, gubernatoribus, guardianis, officialibus, rectoribus et administratoribus quibuscumque infra expressorum dictae Urbis hospitalium, sub vigintiquinque scutorum auri a contraventorum singulis de propriis eorum bonis exigenda[1], necnon privationis officiorum et incapacitatis ad alia similia obtinenda eo ipso incurrendis, aliisque nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii poenis harum serie, auctoritate apostolicâ, districte praecipimus, ut infra scriptas ordinationes diligenter observent, videlicet:

Tenor Constitutionum. § 2. In quolibet eorumdem hospitalium seorsim constituatur locus, seu mansio certo lectorum numero instructa, in quibus recipiantur qui scabie ultra alias infirmitates in ipso hospitali curari solitas laboraverint; parochi, quando aegrotum in viis et plateis publicis, stabulis aliisve locis intra terminos parochiarum suarum receperint, lectum gestatorium, ex loco in quo dilecti filii eleemosynarii nostri iussu collocatus fuerit, adferri, aegrotumque, si ex natione fuerit, quae hospitale in eâdem Urbe habeat, ad hospitale nationis huiusmodi, sin minus ad hospitale commune, quod magis aegroto placuerit, dummodo tamen morbus ex illis sit, qui in eodem hospitali communi curantur, deferri curent. Pro mercedis baiulorum, qui aegrotum ad hospitale, ut praemittitur, detulerint, solutione, eleemosynarius noster praedictus adhibetur, cui mercedem prompte solvendi mandatum decemus. Licebit cuilibet, qui aegrotos in viis et plateis publicis aliisque locis viderit, eius rei certiorem facere parochum, ut ille lectum gestatorium adferri, ipsosque aegrotos ad hospitale deferri curet; nobis autem pergratum erit eiusmodi obsequium. Ægroti ex hospitalibus non dimittantur priusquam bene sanati ac extra periculum recidivae in morbum prolapsionis constituti sint.

§ 3. Porro hospitalia certas artes mechanicas exercentibus destinata sunt infrascripta, videlicet:

[1] Potius lege *exigendorum* (R. T.).

Hospitale sancti Rochi pro aurigis, eorumque famulis, rem pecuariam vaccarum rubrarum exercentibus, sutoribus veteramentariis, lignorum ad mensuram aptatoribus, exoneratoribus, vinitoribus, nautis, aquae baiulis et fidicinibus:

Hospitale S. Mariae de Horto nuncupatum pro aviariis, molitoribus, rei pecuariae vaccarum albarum praepositis, navicularis regni Neapolitani, olitoribus eorumque famulis, colonis partiariis vinearum, sutor bus veteramentariis, salsamentariis et vermicellariis:

Necnon hospitale S. Mariae de Laureto pistoribus, eorumque famulis, crustulariis, seu, ut vulgo dicuntur, ciambellariis et frumenti mensoribus.

§ 4. Hospitalia vero seu archihospitalia S. Spiritus in Saxiâ, S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, S. Mariae Consolationis, S. Ioannis Colabitae in insulâ Tyberinâ, S. Iacobi Incurabilium, et S. Lazari, omnibus nationibus communia sunt.

§ 5. In archihospitali S. Spiritus in Saxiâ tot sint lecti, tam pro nobilibus, quam pro non nobilibus, quot capiunt illius infirmariae; inibi autem recipiantur febribus, alvique deiectione, vel dysenteriâ, laborantes, necnon vulnerati ex omni natione, quamvis etiam scabiosi sint, dummodo tamen non habeant hospitale eorum nationis, nisi in hoc casu numerus praefixus aegrotorum in hospitali nationis huiusmodi curandorum reperiretur impletus.

§ 6. In archihospitali S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum tercenti sint lecti, omnibus, tam qui virorum quam feminarum curationi deserviunt, computatis, in quibus aegroti recipientur eo modo qui pro archihospitali S. Spiritus in Saxiâ supra praescriptum est.

§ 7. In hospitali S. Mariae Consolationis octuaginta sint lecti, tam virorum quam feminarum curationi servientes, in quibus aegroti pari modo recipiantur.

§ 8. In hospitali S. Ioannis Colabitae sexaginta lecti reperiuntur; sed quia idem hospitale redditus non habet, dilectorum filiorum fratrum Ordinis B. Ioannis Dei illius curam gerentium prudentiae et charitati numerus aegrotorum in illo recipiendorum relinquitur.

§ 9. In hospitali S. Iacobi Incurabilium centum et viginti lecti sint, tam virorum quam feminarum usibus servientes, in quibus recipiantur ulcerosi ex omni natione, tametsi etiam scabiosi sint; illic autem suis temporibus dabitur decotio *legni sancti* vulgo nuncupati pro dolorum, catarrhorum, aliarumque similium infirmitatum curatione.

§ 10. Postremo in hospitali S. Lazari leprosi omnis nationis recipiantur.

§ 11. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali notâ et expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, iis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, aut ex aliâ quacumque, quantumvis legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aliove quolibet defectu notari vel impugnari, aut in controversiam quoquo modo revocari unquam posse, sed illas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosplenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, sub poenis supradictis, perpetuo inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosque quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, Decretum irritans.

iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, archihospitalium et hospitalium huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 13. Volumus autem ut praesentes litterae per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas ecclesiae S. Ioannis in Laterano, ac basilicae Principis Apostolorum, et in acie campi Florae de Urbe publicentur, ac earum exempla ibidem affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCLVII, pontificatus nostri anni III.

Dat. die 16 novembris 1657, pontif. anno III.

CLXXXII.

Statuit universitatem iudaeorum in Urbe commorantium iudaeis ad fidem christianam conversis ius gazagâ eis competens super domibus intra septa ghetti eorumdem Iudaeorum constitutis solvere teneri, quamdiu domus huiusmodi non erunt locatae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Verbi aeterni, quod ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum caro factum est et habitavit in nobis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, muneris nostri esse censemus neophytorum et cathecumenorum huius almae Urbis nostrae, qui, miserente Domino, e tenebris iudaicae coecitatis emersi, verae fidei lumen agnoverunt, commodis et utilitatibus paterno studio consulere, et impedimenta, quae aliorum iudaeorum conversioni obesse possent, quantum nobis ex alto conceditur, removere. Prooemium.

§ 2. Cum itaque, sicut accepimus, neophytis et cathecumenis praedictis super nonnullis domibus intra septa ghetti Iudaeorum in eâdem Urbe commorantium constitutis, quae aliis quam iudaeis locari nequeunt, ius quoddam inquilinatus *de gazagâ* apud ipsos nuncupatum, quod Statuit universitatem Iudaeorum in Urbe commorantium obligatam esse ut an ...

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

iudaei privati habere, et, quando ad fidem christianam convertuntur, retinere possunt, et cuius utilitas in earumdem domorum locatione, seu in eo quod illae locatae sint consistit, competere reperiatur; dicti iudaei, seu eorum aliqui, ut ipsos neophytos et cathecumenos pro perverso suo erga eos odio eiusdem iuris *de gazagà* commodo et utilitate fraudent, non solum domos praedictas conducere recusant, sed etiam per tacitas conventiones cum ceteris id agunt, ut eaedem domus conductore vacuae remaneant, hac scilicet etiam fraude alios ab amplectendâ fide christianâ retrahere satagentes. Propterea nos, neophytorum et cathecumenorum indemnitati providere, iudaeorumque praedictorum malitiam retundere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, universitatem iudaeorum in Urbe commorantium iudaeis ad fidem christianam nunc et pro tempore quandocumque conversis, tam neophytis, quam cathecumenis, ius inquilinatus seu *de gazagà* huiusmodi, quod ipsi neophyti seu cathecumeni habent, seu pro tempore habuerint, super domibus intra septa ghetti supradicti consistentibus, solvere teneri, et obligatam existere, toties quoties, quamdiu ipsae domus non erunt locatae, atque ad id opportunis iuris et facti remediis summarie, simpliciter et de plano, sine figurâ et strepitu iudicii, ac solâ facti veritate inspectâ, omni et quacumque appellatione remotâ, cogi et compelli posse et debere, tenore praesentium perpetuo statuimus, volumus et mandamus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti iudaei ad praemissa citati, vocati et auditi non fuerint, et illis non consenserint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu, aut ex qualibet aliâ causâ, colore et praetextu, etiam enormis et enormissimae laesionis, ullo unquam tempore notari, impugnari, rescindi, retractari, aut ad viam et terminos iuris revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel quodvis aliud iuris et facti remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quemquam in iudicio et extra illud uti minime posse, sed illas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpetrandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I decembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 decembris 1657, pontif. anno III.

CLXXXIII.

Confirmatio quorumdam decretorum congregationis sacrorum rituum pro episcopo Conchensi circa observationem caeremonialis romani, et rubricarum missalis romani per clerum dictae ecclesiae faciendam [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset aliàs emanata decreta.

§ 1. Aliàs emanarunt a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositâ, super quibusdam dubiis illi pro parte venerabilis fratris episcopi Seguntini propositis, resolutiones, seu decreta, tenoris qui sequitur, videlicet:

«Episcopus Seguntinus tria dubia declarari postulavit, videlicet:

I. An, attento quod ipse possit cogere canonicos et clerum cathedralis ad sumendam ex eius manibus die iovis sanctâ infra missarum solemnia sacram communionem, possit similiter cogere quoscumque sacerdotes ipsi oratori in benedictione sacrorum oleorum ministrantes.

Et sacra rituum congregatio respondit posse et debere cogere etiam praedictos.

II. An, attentâ [2] contrariâ Seguntinae ecclesiae consuetudine, tolerari possit, ut diebus ferialibus infra tempus paschale omittatur in choro officium parvum Beatae Mariae Virginis.

Et sacra congregatio respondit, non obstante qualibet contrariâ consuetudine, servandam esse constitutionem sanctae memoriae Pii Papae V.

III. An sit toleranda consuetudo, ut symbolum sub organo moduletur.

Sacra congregatio respondit abusum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per episcopum provideri, ut integre intelligibili voce symbolum decantetur, ita ut a populo distincte audiri possit. Die x martii MDCLVII.

I. episcopus Sabinensis, card. SAULETTUS.
(Loco † sigilli)
FRANCISCUS MARIA PHEBEUS
sacrae rituum congreg. *secret.* »

Apostolicâ auctoritate munit et resolutiones praeinsertas confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut idem episcopus nobis nuper exponi fecit, ipse praemissa, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, resolutiones seu decreta praeinserta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore [illegible] illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ecclesiae praefatae, et aliis quibusvis, etiam iura-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[2] Edit. Main. legit *attento* (R. T.).

mento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis, etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 decembris 1657, pontif. anno III.

CLXXXIV.

Commissio nuncio apostolico Neapolis, ut curet sibi, seu personis ab eo delegandis, consignari episcopum Ortonensem et Camplensem detentum iussu ministrorum regiorum in arce Piscariae, utque illum Sedis Apostolicae nomine recipiat et custodiri faciat[1].

Dilecto filio magistro Iulio Spinulae, in utràque signaturà nostrà referendario, nostro et Sedis Apostolicae in regno Neapolis nuncio,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, venerabilis frater episcopus Ortonensis et Camplensis ob nonnullas praetensas causas iussu ministrorum regiorum[2] in arce Piscariae detentus fuerit et adhuc detineatur: nos, pro pastoralis officii nobis divinitus commissi debito providere volentes ut personae eiusdem episcopi dignitati, ac libertati et immunitati ecclesiasticae, atque iustitiae, quantum cum Domino poterit, consulatur, sperantesque te gravissimum hoc negotium ex animi nostri sententiâ secundum datam tibi a Domino prudentiam et spectatam tuam in nos et Apostolicam Sedem fidem gesturum, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, tibi apostolicâ auctoritate per praesentes committimus et mandamus, quatenus sedulo cures, ut quamprimum episcopus praedictus tibi, seu personae vel personis quam vel quas ad id delegandam seu delegandas duxeris, libere tradatur et cum effectu consignetur, utque eum nostro et praedictae Sedis Apostolice nomine recipias et detineas, seu recipi et detineri facias, eumdemque personae seu personis minime suspectis, sed quibus confidere posse iudicaveris, custodiendum committas, ab eisque de eo tuto ac fideliter, nomine praedicto, tenendo et custodiendo iuramentum recipias. Nos enim tibi praemissa, necnon omnia et singula alia quae in illis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia essent quae specialem et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, auctoritate et tenore praedictis, plenam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur. — Commissio, ut in rubricâ.

Contraria refelit. § 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 decembris 1657, pontif. anno III.

CLXXXV.

Innovatio[1] *statuti, quod canonici S. Ioannis Lateranensis de Urbe teneantur ad solvendam mediam annatam fructuum primi anni suorum canonica-*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *regionum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Invocatio* (R. T.).

tuum fabricae eiusdem ecclesiae, cum extensione ad beneficiatos et clericos, etc.[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset statutum Clementis Papae VIII.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ut fabrica ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe incumbentia sibi onera commodius supportare posset, in visitatione eiusdem ecclesiae statuit et ordinavit, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus omnes et singuli, qui[2] de ipsius ecclesiae canonicatibus et praebendis quovis modo pro tempore vacantibus per ipsum Clementem praedecessorem aut eius successores vel quoscumque alios quavis auctoritate provisum foret, medietatem omnium et singulorum fructuum, redditaum, proventuum, iurium, obventionum, necnon distributionum quotidianarum, ac emolumentorum quorumcumque universorum et singulorum primi anni suorum canonicatuum et praebendarum eidem fabricae dare et persolvere omnino et absque ullà diminutione, omni et quacumque exceptione, appellatione et recursu remotis, deberent et tenerentur; statutumque[3] huiusmodi inter alia ecclesiae praedictae statuta, per quoslibet ex illius canonicis in assecutione possessionis suorum canonicatuum et praebendarum observari et iurari solita, adscribendum et annotandum esse mandavit; et nihilominus medietatem omnium et singulorum fructuum, redditaum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum primi anni omnium et singulorum fructuum[4] canonicatuum et praebendarum ecclesiae praedictae, post provisionem de illis faciendam decurrendorum, eidem fabricae (ita quod liceret capitulo et canonicis dictae ecclesiae ipsiusque fabricae camerario, et aliis ab eisdem capitulo et canonicis deputatis seu deputandis, dictae fabricae nomine, proprià auctoritate, medietatem huiusmodi debitis temporibus percipere, et in ipsius fabricae usus convertere, cuiusvis licentià desuper minime requisità) perpetuo applicavit et appropriavit, et aliàs prout in decreto eiusdem Clementis praedecessoris desuper sub datà diei XIV iunii MDXCII, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, continetur.

Innovat et confirmat.

§ 2. Nunc autem nos, pro commissà nobis caelitus omnium ecclesiarum sollicitudine, fabricae praedictae per amplius consulere cupientes, de congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum Urbis praefatae a nobis institutae deputatorum consilio, statutum et ordinationem, aliaque praemissa, ac decretum desuper a Clemente praedecessore emanatum huiusmodi, quamvis fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianae, iura, obventiones et emolumenta praedicta aliis oneribus sive pensionibus gravata existant, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, perpetuo innovamus, ac de cetero perpetuis futuris temporibus servari[1] debere decernimus.

Extendit ad beneficiatos et clericatus.

§ 3. Praeterea idem statutum et ordinationem ad omnes et singulos, quibus de beneficiis, *beneficiatibus* vel *clericatibus* nuncupatis, in eàdem ecclesià S. Ioannis Lateranensis quovis modo nunc

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Legendum *quibus* ut patet ex seqq. (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *statumque* (R. T.).

4 Forsan legendum *praedictorum* pro *fructuum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *servati* pro *servari* (R.T.).

forsan vacantibus, et in posterum quandocumque vacaturis, per nos vel Romanos Pontifices successores nostros et Sedem Apostolicam aut alios quoscumque etiam speciali notâ et expressione dignos, etiam cardinalatus honore fulgentes, quavis auctoritate provisum pro tempore fuerit (ita quod eorum singuli medietatem omnium et singulorum fructuum, redditium, proventuum, iurium, obventionum, necnon distributionum quotidianarum, ac emolumentorum quorumcumque primi anni suorum beneficiatuum et clericatuum, quamvis aliis oneribus seu pensionibus gravata existant, fabricae praedictae dare et persolvere omnino et absque ullâ diminutione, omni ot quacumque exceptione, appellatione et recursu penitus semotis, similiter debeant et teneantur) auctoritate et tenore praedictis extendimus; et nihilominus medietatem omnium et singulorum fructuum, redditnum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum primi anni omnium et singulorum beneficiatuum et clericatuum huiusmodi, post provisionem de illis faciendam decurrendorum, eidem fabricae (ita quod pariter liceat capitulo et canonicis praedictis ipsiusque fabricae camerario, et aliis ab eisdem capitulo et canonicis deputatis seu deputandis, dictae fabricae nomine, propriâ auctoritate, eamdem medietatem debitis temporibus percipere, ac in ipsius fabricae usus convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) auctoritate et tenore paribus itidem perpetuo applicamus.

Usum annatarum praescribit.

§ 4. Volentes et districte praecipientes ut dimidiae annatae huiusmodi ab illis, qui canonicatus et praebendas, vel beneficiatus aut clericatus praedictos respective pro tempore quandocumque obtinebunt, persolvendae[1], et fabricae praedictae, sicut praemittitur, applicatae et appropriatae, unâ cum annuâ perpetuâ pensione ducentorum scutorum a memorato Clemente praedecessore super canonicatus et praebendae eiusdem ecclesiae, quos dilectus filius Virgilius Panxirolus ad praesens obtinet, fructibus, redditibus, proventibus, distributionibus et emolumentis universis impositâ, penes depositarium pro tempore existentem capituli et canonicorum praedictorum deponantur, nonnisi pro ipsius ecclesiae manutentione el restauratione impendendae; de quibus fabricerii singulis annis exactam rationem reddere, et, si quid supererit, illud in emptionem tot locorum montium cameralium non vacabilium ad eumdem effectum investire teneantur; sublatâ omni facultate capitulo et canonicis praedictis, eorumque depositario et exactoribus, de illis aliter disponendi, sub poenâ capitulo contrafacienti[1] resolvendi duplum de proprio, quod fabricae praedictae applicatum censeatur ipso facto; fabriceriis vero, ultra poenam praefatam, etiam excommunicationis eo ipso incurrendae, si secus disponero aut aliter rosolvere praesumpserint.

Decretum irritans.

§ 5. Ac decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod capitulum et canonici ac ceteri praedicti, aliive quicumque, etiam speciali et individuâ mentione digni, etiam cardinalatus aut aliâ quacumque dignitate, praerogativâ vel honore praediti seu fungentes, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae nullatenus aut non sufficienter fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iuslâ[2], piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et

1 Male edit. Main. legit *contrafaciendi* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *iuxta* (R.T.).

capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut interesse habentium vel aliorum quorumcumque consensus, aliove quolibet quantumvis magno, substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad viam seu terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrato[1] vel etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium innovationum, extensionum, applicationum, appropriationum, voluntatum et dispositionum revocationibus, limitationibus, modificationibus, aliisque contrariis dispositionibus (si quas etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros Sedemque praefatam etiam per viam constitutionis, aut ordinationis generalis vel specialis, aut regulae cancellariae apostolicae et aliàs quomodolibet fieri contigerit) unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum et robur restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ denuo editas esse et censeri, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac de exprimendo vero valore in unionibus et dismembrationibus et applicationibus fructuum et bonorum ecclesiasticorum, et aliis quibusvis cancellariae praefatae regulis a nobis hactenus editis et in futurum quandocumque per nos vel successores nostros Romanos Pontifices edendis, ac aliis apostolicis, et in Lateranensi novissime celebrato uniones perpetuas, nisi in casibus a iure expressis, fieri prohibenti, aliisque universalibus et provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae et fabricae praedictarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliis[1] in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clau-

1 Potius lege *remedium impetrari aut impetrato* (R. T.).

1 Forsan legendum *aliàs* pro *aliis* (R. T.).

sulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones, ac singulorum canonicatuum et praebendarum, beneficiatuum et clericatuum praedictorum fructuum, reddituum, proventuum, distributionum, iurium et emolumentorum universorum veros annuos secundum communem aestimationem valores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCLVII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 decembris 1657, pontif. anno III.

CLXXXVI.

Mandat observari decreta edita a sacrâ congregatione de Propaganda Fide ab ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus pro bono regimine spirituali animarum christifidelium Goae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Sacrosanti apostolatus officii, quo, divinâ disponente clementiâ, catholicae Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidemus, sollicitudo nos monet, ut noxia quaecumque a dominico grege quantum nobis ex alto conceditur removere studeamus.

[1] Qua via proficisci debeant religiosi ad partes Indiarum et insularum definivit Clemens VIII Const. CCXLVI, tom. X, pag. 631, et Paulus V, Const. CV, tom. XI, pag. 501. Officio parochi ut fungi possint religiosi concessit Pius V, Const. LII, tom. VII, pag. 558.

§ 1. Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniae christifidelium Goae atque in adiacentibus insulis degentium de nonnullis abusibus ecclesiasticorum, eorum praecipue penes quos ipsorum christifidelium spirituale regimen ac cura residet: nos, praedictis abusibus, quatenus irrepserint, quantocitius occurri, aut saltem praecaveri ne illi in posterum contingant, volentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ex congregatione negotio Propagandae Fidei praepositâ, quibus querimonias huiusmodi discutiendas remisimus, consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, praecipimus et mandamus sedulo, inviolabiliter et exacte servari ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in posterum spectabit, decreta infrascripta, videlicet: Recenset alias statuta et ordinata iussu praedecessorum pontificum et ab omnibus observari mandat.

§ 2. I. Caveant parochi, aut ecclesiastici quicumque, sive seculares, sive regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas seu laborem impendendum pro suis ecclesiis, non persolutâ iustâ mercede, nisi id sponte et ex pietate praestare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare qui renuerint.

II. Cum iis qui sacro aut catechesi doctrinae christianae non interfuerint (si mos sit eos, ut supponitur, aliquâ poenâ mulctare) eâ moderatione se gerant, ut nonnisi vere contumacibus et contemnentibus, caque modica nec crebro irrogetur.

III. Instruant populum omni qua decet lenitate, abstinentes omnino a ferulâ et a verbis indecentibus, maxime si cum mulieribus, viris nobilibus, seu aetate provectis agatur.

IV. Ad seminarium (nisi eius institutio, seu fundatio obstet) locus etiam iis, qui ex nobili[1] sunt genere, et congrua (ni pau-

[1] Nescio an desit particula *non* (R. T.).

peres sint) persolverint alimenta, concedatur, ne a rectae educationis beneficio prorsus excludantur, habitâ tamen prudenti distinctione a reliquis, ut quieti consulatur.

v. Ad scientias addiscendas et scholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis seu generis discrimine, nisi ex aliquâ propriâ culpâ quis indignus censeatur.

vi. Neophytos Deo sub religionis iugo servire volentes sine rationabili causâ regularea non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur et ad perfectionem anhelant, amplectantur.

vii. Presbyteri seculares doctrinâ et moribus idonei a beneficiis curatis, et a quolibet alio ecclesiastico munere, sive praedicationis, sive administrandi sacramenta[1] poenitentiae minime arceantur, attentâ praesertim indigentiâ tot animarum millium, quibus longe impares sunt pauci regulares illuc ex Europa adventantes.

viii. Caveant itidem parochi seculares et regulares ullo modo sese ingerere in rebus spectantibus ad politiam secularem, ncc ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior ceteris videatur, nec unquam intersint comitiis aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur.

ix. Ut maiori cum gaudio verbum Dei suscipiatur, altiusque radices agat et fructum afferat, concionentur omnino regulares pluries in anno idiomate vernaculo et patrio populorum, utque id ipsum facilius et frequentius praestetur, curet omnino vicarius capitularis aut superior qui fuerit, ut etiam clerus secularis eius regionis in verbi Dei praedicatione exerceatur.

x. Deputet vicarius plures ex sacerdotibus secularibus indigenis, quos idoneos reppererit, ad confessiones excipiendas, quo facilius et libentius fideles sacramentum poenitentiae valeant frequentare, nec cogantur solis regularibus aut exteris sese subiicere.

xi. Ut autem radicitus evellatur abusus, qui in praefatis regionibus, ut praefertur, irrepsit, excipiendi confessiones per interpretem, aut lecto poenitentis[1] catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, si qua[2] fuerint ab eo commissa, districte praecipitur vicariis capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum regularium, et quorumcumque ad quos pertinet), ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantum audiantur confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, et ad ipsorum numerum pro rei exigentiâ augendum promoveantur omnino sacerdotes seculares eius regionis ad confessiones fidelium patrio idiomate excipiendas.

xii. Cumque audiatur maximum catholicorum numerum, contra praeceptum Domini qui voluit debiles et claudos admitti, sub praetextu ignobilitatis et rudioris ingenii reiici a sacrâ synaxi, id eadem sacra congregatio omnino vetat ac prohibet, nisi prorsus eius mysterii sint incapaces.

xiii. Ægrotis morti proximis, cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit exceptio personarum, ac pro nostrâ salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit.

xiv. Ne ob instructionis defectum, qui sacro baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis institutis ex ignorantiâ foedent, ac idololatriam cum orthodoxâ fide confundant, ut saepe inibi evenire enunciatum est, ca-

1 Forsan deest *et eucharistiae*, aut legendum *sacramentum* pro *sacramenta* (R. T.).

1 Videtur legendum *poenitenti* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

veant ii, qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad baptisma admittatur, qui, veterem hominem ac gentilios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, et in fide sit sufficienter instructus.

xv. Quoniam vero (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater caelestis eum traxerit, monentur ecclesiastici, tum seculares, tum regulares, ceterique qui ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed verbi Dei praedicatione et bonorum operum exemplo ad baptismum inducant, perscrutantes praecipue diligenter quo fine et spiritu ducantur qui baptizari postulant.

xvi. Nihil prorsus, ne quidem sub praetextu pietatis, parochi tam seculares quam regulares a suis parochianis quaestuent, et, si quid pro festorum celebratione sponte ab iis tribuatur, integre in eam causam insumant, et quidquid superest pauperibus eiusdem parochiae dispensetur; ita ut quantumvis minima aviditatis suspicio a viris ecclesiasticis absit.

xvii. Pro temporali regimine confraternitatum existentium in ecclesiis regularium deputentur in posterum officiales seculares, qui reddituum administrationi incumbant, nullatenus regularibus eâ in re sese ingerentibus.

xviii. Cum Goae et in adiacentibus insulis vetitum sit ethnicis ritus gentilitios publice exercere, districte probibetur ecclesiasticis ne eisdem permittant, et maxime (quod nefas est) turpis lucri gratiâ, cadavera ethnicorum inde asportari, ut iuxta profanum eorumdem ritum comburantur.

xix. Cadavera pauperum fidelium gratis omnino posthac a parochis sepulturae tradantur, nec ad extorquendam aut emendicandam a vicinis vel affinibus eleemosynam publice exponantur.

xx. Districte prohibetur ne ethnicis ullo pacto permittatur in ecclesiis sacrificare, serio vicariis capitularibus iniungendo ut in contravenientes, et maxime ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in posterum ne ecclesiis praeficiantur neophyti parum instructi.

xxi. Similiter regularium superiores sedulo curent ut parochi extra conventus in praedictis regionibus commorantes regularis observantiae specimen cunctis ubique praebeant, eosque idcirco ad claustra et regularem disciplinam revocent, ne, regulari instituto psulatim exsolescente, dum aliis incumbunt, se ipsos amittant, ac demum in destructionem potius quam aedificationem populorum missi videantur.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum, conventuum, ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 ianuarii 1658, pontif. anno III.

CLXXXVII.

Quod fratres Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum possint dividere suam congregationem in tres provincias, et augere duos definitores generales, dummodo unaquaeque provincia habeat octo conventus.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus a S. Ioanne Baptista, procurator generalis Congregationis Hispaniae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod aliàs pro eius parte venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quod dicta Congregatio duas tantum provincias haberet, illarumque domus regulares per Castellae, Beticae, Aragoniae, Navarrae, Catalauniae et Valentiae regna seu principatus dispersae, et a se invicem valde distantes reperirentur, nec a duobus provincialibus nisi difficulter visitari possent; quodque in eâdem Congregatione quatuor dumtaxat definitores essent, pro expulsione autem incorregibilium sex definitores iuxta constitutiones felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri requirerentur; et propterea nomine Congregationis praedictae eisdem cardinalibus supplicato, ut ipsi Congregationi in eius capitulo generali praedictas domos regulares in tres provincias, dummodo tamen unicuique trium provinciarum huiusmodi octo domus regulares seu conventus assignarentur, dividendi, ita quod novus provincialis pro tertiâ provinciâ eligi deberet, necnon alios duos definitores, qui easdem auctoritatem et praeeminentiam voti et loci cum aliis quatuor definitoribus praedictis haberent, pro graviorum dictae Congregationis negotiorum expeditione eligendi facultatem concederent: emanavit a congregatione dictorum cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum aliàs emanatum a congregatione. § 1. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac instante procuratore generali congregationis praefatae, committendum censuit, prout praesenti decreto committit, eminentissimo Ordinis huiusmodi apud hanc sanctam Sedem protectori, ut (si et quatenus praedictarum duarum provinciarum supputationem seu subdivisionem, ita ut ex eis tertia provincia consurgat, ac in illâ provincialis, ceterorumque officialium ad instar aliarum dictarum provinciarum et sub iisdem legibus electionem fieri pro meliori ipsarum provinciarum regimine in Domino iudicaverit expedire) praemissa pro suo arbitrio et prudentiâ oratoribus indulgere valeat, modo tamen neutra ipsarum provinciarum pauciores quam octo conventus habeat, in quibus regularis observantia vigeat; ac praeterea ut in capitulo generali alios duos definitores, cum omnibus auctoritatibus, praeeminentiis et

praerogativis, quibus quatuor nunc existentes fruuntur et gaudent, adeo ut inter omnes sex numero esse debeant, in futurum eligere et superaddere possint, facultatem impertiri; in contrarium non obstantibus quibuscumque.

Romae XIV decembris MDCLVII.

M. cardinalis GINETTUS. »

§ 2. Cuius decreti vigore subinde venerabilis frater noster Martius episcopus Albanensis eiusdem S. R. E. cardinalis Ginettus nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, decretum edidit tenoris sequentis, videlicet:

« Martius, miseratione divinâ episcopus Albanensis, S. R. E. cardinalis Ginettus, SS. D. N. Papae vicarius generalis, totiusque Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum generalis protector, attentis expositis, petitam licentiam et facultatem ex praefatis duabus provinciis tertiam erigendi, ac provincialem aliosque officiales sub eiusdem Ordinis et ceterarum provinciarum legibus eligendi, dummodo nulli ex ipsis minus quam octo conventus, in quibus regularis vigeat observantia, assignentur, ac demum in capitulo generali duos alios definitores superaddendi et eligendi, ac in omnibus ad formam retroscripti decreti sacrae congregationis negotiis episcoporum et regularium praepositae, et non aliàs, concedimus et impertimur. Datum Romae ex aedibus nostris hac die x ianuarii MDCLVIII.

Cardinalis GINETTUS, protector. »

Apostolicâ auctoritate praeinsertum decretum confirmat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ludovicus procurator generalis dictum decretum eiusdem Martii cardinalis apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ludovicum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum memorati Martii cardinalis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis praefatorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodictae Congregationis, eiusque provinciarum et domorum regularium, seu conventuum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx ianuarii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. 30 ianuarii 1658, pontif. anno III.

CLXXXVIII.

Declarat modum habendum a generali in visitando Congregationem monachorum del Tardon [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus a Iesu, monachus ac procurator generalis Congregationis reformatae *del Tardon* nuncupatae in Hispania consistentis monachorum Ordinis S. Basilii, quod (licet per litteras felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super institutione seu approbatione eiusdem Congregationis die XXIII septembris MDCIII expeditas, quae incipiunt *Altissimi dispositione*, [2] etc., caveatur expresse monachos Congregationis reformatae huiusmodi abbati generali dicti Ordinis taliter subiacere, ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eâdem Congregatione reformatâ monachum, possit illos tam in capite quam in membris visitare, corrigere et emendare, non vero in aliquo contra reformationem seu constitutiones ab ipsis faciendas et a Sede Apostolicâ approbandas in communi vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare seu innovare, neque monachos reformatos a suis monasteriis aliâ quacumque de causâ auferre, seu alios ab ipsis et ad breve tempus recipi facere, vel aliud quidquam ordinare seu statuere, in quo ipsos possit perturbare seu quomodolibet inquietare) nihilominus dilectus filius modernus abbas generalis Ordinis praedicti, vigore quarumdam litterarum recolendae memoriae Innocentii Papae X praedecessoris pariter nostri, etiam in formâ Brevis die XXV iunii MDCXLVII expeditarum,[1] memoratam Congregationem reformatorum cum consilio et interventu monachorum assistentium non reformatorum eiusdem Ordinis visitare, quin, etiam ipse abbas generalis et monachi non reformati Ordinis huiusmodi monachos dictae Congregationis reformatos ad expensas pro exhibitione seu manutentione dictorum monachorum assistentium non reformatorum contribuere teneri respective praetenderunt et praetendunt. Quare praedictus Franciscus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Absolvit oratorem a censuris. § 1. Nos igitur, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem cardinales mature discussâ, quoad visitationem servandas esse litteras praedicti Clementis praedecessoris in formâ Brevis expeditas, ut scilicet fieri debeat per ipsummet abbatem generalem, et, eo impedito, per alium ex Congregatione *del Tardon*, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus.

Declaratio. § 2. Quoad contributionem autem pro assistentibus et eorum interventu in visitatione cum abbate generali, litteras memorati Innocentii praedecessoris non comprehendere dictam Congregationem seu provinciam *del Tardon*, ac proinde assistentes non posse intervenire in dictâ vi-

1 Vide supra pag. 174 (R. T.).

2 Quas vide tom. XI, pag. 39 (R. T.).

1 Quas vide tom. XV, pag. 515 (R. T.).

sitatione, nec dictam provinciam del Tardon teneri ad aliquam contributionem pro dictis assistentibus. Quo vero ad accessum ad capitulum generale, licere monachis *del Tardon* mittere eos tantum quos permittunt litterae in simili formâ Brevis eiusdem Innocentii praedecessoris, auctoritate et tenore praedictis declaramus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 februarii 1658, pontif. anno III.

CLXXXIX.

Commissio nuncio apostolico Neapolis causae excessuum, quos ministri regii Neapolis ab episcopo Ortonensi et Camplensi commissos fuisse praetendunt[1].

Venerabili fratri Iulio archiepiscopo Laodiceae, nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Committit nuncio apostolico Neapolis, ut informationem capiat super excessibus episcopi Ortonensis et Camplensis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater episcopus Ortonensis et Camplensis, qui ob nonnullas praetensas causas iussu ministrorum regiorum in arce Piscariae detinebatur, tibi consignatus fuerit, tuque eum in executionem mandatorum nostrorum nostro et Apostolicae Sedis nomine receperis, et ad praesens detineas seu detineri facias: nos, de excessibus, quos, ut pariter accepimus, ab eodem episcopo commissos fuisse ministri regii praedicti praetendunt, informationem capi volentes, fraternitati tuae causam seu causas excessuum huiusmodi contra memoratum episcopum Ortonensem et Camplensem, cum illius seu eorum[1] incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, usque ad sententiam exclusive committimus; mandantes tibi ut omni diligentiâ processum desuper dictâ auctoritate formes, seu formari et confici facias; nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad id facultatem tibi, harum serie, eâdem auctoritate, tribuimus et impertimur; tibique, ut nullam praemissorum occasione irregularitatem contrahas, concedimus et indulgemus. Ceterum volumus ut, si quid contra praedictum episcopum Ortonensem et Camplensem resultaverit, tu informationes et processum vel processus, quos in executionem praesentium feceris seu fieri curaveris, sub tuo sigillo clausos ad nos quamprimum transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, maturâ deliberatione habitâ, decernamus.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provinciali- Contraria tollit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan legendum *earum* (R. T.).

busque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, Ortonensis et Camplensis ecclesiarum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 februarii 1658, pontif. anno III.

CXC.

Erectio trium commendarum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ex bonis suppressae praeceptoriae seu commendae S. Mariae Fanensis dicti hospitalis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini inscrutabili divinae providentiae sapientiâ praesidentes, et attentâ mentis acie considerantes, hospitale S. Ioannis Hierosolymitani, in insulâ Melitae, beati Pauli apostoli hospitio et miraculis clarâ, ad praesens constitutum, firmissimum esse reipublicae christianae adversus Turcarum invasiones propugnaculum, eiusdemque hospitalis fratres milites tamquam veros Christi athletas pro fidei catholicae defensione iugiter laborare, dignum, quin potius debitum reputamus, ut Sedes Apostolica novas interdum praeceptorias seu commendas, etiam praeviâ alicuius opulentioris divisione, pro ipsis fratribus militibus erigat et instituat, quo pluribus ex fratribus militibus huiusmodi in suorum laborum praemium de opportunae[1] remunerationis beneficio valeat provideri, ipsique eo alacrius in tam laudabili eorum vocatione et instituto perseverent.

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, praeceptoria seu commenda S. Marci Fanensis hospitalis praedicti (de qua, aliàs per liberam et spontaneam cessionem venerabilis fratris nostri Antonii episcopi Tusculani cardinalis Antonii Barberini nuncupati, S. R. E. camerarii, qui illam tunc ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinebat, in manibus felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri factam vacante, idem Urbanus praedecessor dilecto filio Nicolao Barberino nobili Romano in quinto tunc suae aetatis anno constituto, et cum quo antea praedictus Urbanus praedecessor super defectu aetatis huiusmodi, ita ut, illo non obstante, ac licet habitum per fratres milites dicti hospitalis gestari solitum non suscepisset, nec professionem per eosdem emitti consuetam emisisset regularem, neque residentiam et caravanas aliaque ad id necessaria fecisset et adimplevisset, et quibuscumque aliis per statuta seu stabilimenta et ordinationes capitulares hospitalis huiusmodi apostolicâ auctoritate confirmata requisitis minime praeditus esset, nihilominus praeceptoriam seu commendam S. Marci Fanensis praedictam, si illi conferretur vel commendaretur, aut ipse aliàs de illâ provideretur, recipere, obtinere et retinere posset et valeret, dis-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ed. Main. legit *opportune* (R. T.).

peosaverat, apostolicâ auctoritate, sub certis modo et formâ tunc expressis, providit), ex eo quod Nicolaus praedictus nuper clericali militiae adscriptus, sacrum subdiaconatus ordinem suscepit, ac proinde inhabilis ad suscipiendum unquam habitum et emittendam professionem huiusmodi, quem suscipere et quam emittere cum primum ad aetatem triginta annorum pervenisset debebat, effectus sit, vacaverit et vacet ad praesens:

Erigit tres commendas hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ex bonis suppressae praeceptoriae seu commendae S. Marci Fanensis dicti hospitalis

§ 2. Nos, attendentes praeceptoriam seu commendam S. Marci praedictam valde pinguem et opulentam existere, ac eius bonis commode tres praeceptorias seu commendas pro totidem fratribus militibus linguae Italiae dicti hospitalis erigi et institui posse, necnon litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis super dispensatione et provisione praedictis emanatarum tenores et datas etiam veriores, ac ipsius praeceptoriae seu commendae S. Marci bonorum, fructuum, redditunm et proventuum quorumcumque valorem et quantitatem, aliaque etiam necessario hic exprimenda, praesentibus pro plene expressis et verbatim insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeceptoriam seu commendam S. Marci huiusmodi, sicut praefertur, vacantem, illiusque nomen, titulum et essentiam, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac ex nunc suppressa et extincta esse decernimus. Necnon ex bonis redditibus, fructibus, iuribus, obventionibus et proventibus universis praeceptoriae seu commendae sic suppressae et extinctae tres praeceptorias seu commendas, unam videlicet Fanensem, et alteram de Scapezzano, ac tertiam de Saxoferrato respective nuncupandas pro totidem fratribus militibus linguae Italiae et hospitalis praedictorum expresse professis, et requisita a statutis seu stabilimentis et ordinationibus capitularibus eiusdem hospitalis, auctoritate apostolicâ confirmatis, habentibus, qui ad easdem praeceptorias seu commendas, eveniente (hac primâ vice exceptâ) illarum vacatione, servatâ statutorum seu stabilimentorum et ordinationum huiusmodi formâ, assumi debeant, earumdem tenore praesentium itidem perpetuo, sine alicuius tamen praeiudicio, erigimus et instituimus. Tribusque praeceptoriis seu commendis huiusmodi sic erectis et institutis, illi videlicet, quae de Scapezzano vocatur, omnia et singula membri de Scapezzano, ac alteri, quae de Saxoferrato nuncupatur, omnia et singula membri de Saxoferrato, tertiae vero, Fanensi nuncupatae, reliqua omnia et singula praeceptoriae seu commendae S. Marci Fanensis per praesentes suppressae et extinctae[1] bona, res et proprietates quascumque in quibusvis rebus consistentia, et ubicumque ac cuiuscumque qualitatis, speciei, quantitatis et valoris existentia, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis universa[2], apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus, applicamus et appropriamus; ita quod liceat tres praeceptorias seu commendas ut praefertur erectas pro tempore obtinentibus, per se, vel alium, seu alios ipsorum et earumdem praeceptoriarum seu commendarum respective nomine, illorum omnium et singulorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem seu quasi possessionem, iuxta statuta seu stabilimenta praedicta, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia percipere, exigere et levare, ac in suos necnon trium praeceptoriarum seu commendarum huiusmodi respective,

1 Edit. Main. legit *suppressa et extincta* (R.T.).
2 Potius lege *universis* (R. T.).

adimpletis et supportatis prius exinde solitis et consuetis oneribus iuxta formam eorumdem statutorum seu stabilimentorum, usus et utilitatem convertere, magni magistri hospitalis praedicti et prioris cuiusvis prioratus, a quo praeceptoria seu commenda suppressa et extincta huiusmodi antehac forsan dependebat, necnon dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, sub praetextu quod magnus magister seu prior praedicti, vel quicumque alii in praemissis forsan interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, vocati non fuerint, seu ex quibusvis aliis praetextibus et causis quantumvis legitimis et iustissimis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, ex quovis capite vel causâ notari, impugnari, seu in ius vel controversiam vocari, aut contra eas quomodolibet opponi posse, sed semper et perpetuo, ac omni tempore firmas, validas et efficaces existere, nec sub ullis omnino similium vel dissimilium erectionum et aliarum gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori datâ per eos, quorum intererit, quandocumque eligendâ concessas, validasque et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac illis, ad quos pro tempore spectabit, perpetuo plenissime suffragari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon quaecumque tribunalia hospitalis praedicti et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque futuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praesentes litteras publicari et ab omnibus observari mandat.

§ 3. Quocirca dilectis filiis nostris modernis et pro tempore existentibus nostris et Sedis Apostolicae in Romandiola, ac civitate et ducatu Urbinatensi de latere legatis, eorumque vicelegatis, necnon causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praeceptorum seu commendatariorum trium praeceptoriarum seu commendarum per praesentes erectarum huiusmodi, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, non permittentes illos, vel quempiam ex eis, per magnum magistrum, seu consilium, aut priorem, aliosve quoscumque dicti hospitalis vel alios quoslibet desuper quoquo modo indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria rejicit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac de non tollendo iure quaesito, et de exprimendo vero valore in quibusvis suppressionibus et applicationibus de quibusvis fructibus ecclesiasticis, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis, ceterisque quibuslibet apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon hospitalis et linguae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, ordinationibus capitularibus, antianitatibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, magno magistro et conventui et quibuscumque prioribus et fratribus etiam antianis et aliis quomodolibet nuncupatis dicti hospitalis, tam per felicis recordationis Ioannem XXII, Martinum V, Eugenium IV, Sixtum etiam IV, Pium II, Paulum II, Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XIV, et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, quam nos et Sedem eamdem, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam de eiusdem S. R. E. cardinalium consilio, necnon ex certis causis tunc expressis et consistorialiter propositis ac diligenter examinatis, seu etiam ad quorumvis principum instantiam etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis (etiamsi in eis caveatur expresse quod non censeatur illis derogatum nisi derogatio huiusmodi de eorumdem cardinalium consilio et consistorialiter fiat, atque tunc magistri et conventus praedictorum ad id expressus accedat assensus, necnon litterae derogationis huiusmodi certis modo et formâ tunc expressis intimatae et notificatae fuerint); quibus omnibus et singulis, etiamsi[1] pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, illarum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter insertis, servatis et expressis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 26 februarii 1658, pontif. anno III.

CXCI.

Unio collegii, seu hospitalis Gregoriani de Urbe Ordinis sancti Benedicti congregationi Angliae eiusdem Ordinis[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Wilfridus abbas praesidens Expositio.

1 Edit. Main. legit *etiam* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

hospitii seu collegii Gregoriani nuncupati de Urbe monachorum exterorum Ordinis sancti Benedicti, quod dudum, cum monachi exteri Ordinis praedicti domum regularem in eâdem Urbe non haberent in qua ad ipsam Urbem devotionis aut studiorum negociorumve causâ accedentes reciperentur, sed ad diversoria publica cum habitus monastici dedecore, multorumque scandalo et suarum periculo animarum divertere cogerentur, quondam Constantinus Caietanus, dum vixit, hospitii seu collegii huiusmodi abbas praesidens, ut remedium tanto malo adhiberet, idem hospitium seu collegium pro excipiendis monachis exteris praedictis extruere coepit, illudque a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro sub certis modo et formâ tunc expressis erigi et institui obtinuit, et aliàs, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris desuper sub datum kalendas iunii anni Incarnationis Dominicae MDCXXI sub plumbo expeditis uberius continetur[1]. Postea vero, eodem Constantino prius defuncto quam hospitium seu collegium praefatum vel perficere vel eo perducere valuisset ut monachi in illo commode habitare possent, praedictus Ioannes Wilfridus, qui, ut asserit, in regimine memorati hospitii seu collegii dicto Constantino successit, quo id praestaret et per litteras et in Germaniam, non sine multis suis laboribus et expensis, profectus vivâ voce cum abbatibus diversarum congregationum dicti Ordinis egit, ut illi manus auxiliatrices operi tam pio atque Ordini huiusmodi tam proficuo darent. Sed iidem abbates prae calamitate temporum et bellorum id facere hactenus non potuerunt. Unde, cum spes non superesset dictum hospitium seu collegium nedum absolvendi, sed ne quidem eo promovendi, ut fini in illius erectione intento posset inservire, nisi alicui particulari dicti Ordinis congregationi uniretur, quae illi perficiendo curâ et sumptibus serio incumberet, eiusque rei onus, quod cum multorum esset a multis, ut assolet, non ita sedulo procurabatur, in se susciperet: idem Ioannes Wilfridus, postquam aliorum operam et auxilium frustra imploraverat, ne opus tantâ cum utilitate et honore dictorum monachorum exterorum susceptum, re desperatâ, concideret, dilectos pariter filios praesidem et monachos congregationis Angliae Ordinis praedicti rogavit, ut ipsi in hanc curam venire et quae possent subsidia praebere vellent. Quod idem praeses et monachi congregationis Angliae, multis dicti Ioannis Wilfridi precibus exorati, se facturos, notabilemque pecuniarum summam in usum fabricae memorati hospitii seu collegii praebituros, atque ea praestituros, quae ipsi possent, et necessaria viderentur, promiserunt, dummodo tamen idem hospitium seu collegium congregationi Angliae huiusmodi perpetuo uniretur.

§ 2. Quare praedictus Ioannes Wilfridus abbas praesidens necnon dilecti filii monachi in dicto hospitio seu collegio commorantes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Supplicatio.

§ 3. Nos igitur, eosdem Ioannem Wilfridum abbatem praesidentem, et monachos hospitii seu collegii praedicti, ac praesidem et monachos congregationis Angliae specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes Unit et incorporat collegium seu hospitium de Urbe Ordinis sancti Benedicti congregationi Angliae eiusdem Ordinis.

1 Quas vide in tom. XIII, pag. 537 (a. T.).

et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, si praenarrata vera sint, praefatum hospitium seu collegium Gregorianum nuncupatum de Urbe eidem congregationi Angliae promissa huiusmodi adimpleturae, citra alterationem tamen erectionis seu fundationis ipsius hospitii seu collegii a memorato Gregorio praedecessore factae, et cum eâdem obligatione suscipiendi monachos ultramontanos advenas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo unimus et incorporamus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedictis Gregorii praedecessoris litteris, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de exprimendo vero valore in unionibus, aliisve constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon hospitii, seu collegii, ac congregationis et Ordinis huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 martii 1658, pontif. anno III.

CXCII.

***Praeviâ annullatione privilegii, quod habebat civitas Anconitana celebrandi nundinas semel quotannis de novembri et decembri, concedit, ut nundinae huiusmodi celebrentur quotannis in mense maio per octo ante et per totidem dies post festum S. Cyriaci*[1].**

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quo dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Anconitanae nos et Romanam prosequuntur Ecclesiam promeretur, ut illis ea libenter concedamus, quae eorum utilitatibus conducere cognoscimus.

Concedit ut civitas Anconitana celebret in mense maio nundinas celebrari solitas quotannis in novembri et decembri.

§ 2. Cum itaque, sicut nobis nuper pro parte communitatis et hominum huiusmodi expositum fuit, e re non solum civitatis praedictae, sed etiam totius Status nostri Ecclesiastici plurimum foret, ac manutentioni commercii ob commoditatem portus eiusdem civitatis summopere conduceret, celebrationem nundinarum inibi quotannis semel antiquitus fieri consuetam in opportunius[2] tempus transferri; hinc est quod nos, eosdem communitatem et homines specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[2] Male edit. Main. legit *opportuni ius* pro *opportunius* (R. T.).

et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, revocantes in primis et annullantes ius communitati et hominibus praedictis pridem concessum, sive competens, celebrandi nundinas huiusmodi quotannis de mense novembri et decembri, ita ut ipsi eo iure in posterum nullo modo uti possint, eisdem communitati et hominibus, ut nundinas huiusmodi cum solitis et consuetis exemptionibus et immunitatibus semel quotannis mense maio per octo dies ante festum S. Cyriaci et per totidem dies post idem festum celebrare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque communitati et hominibus, aliisque quorum interest, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, civitatis praedictae, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 martii 1658, pontif anno III.

CXCIII.

Confirmatio decreti capituli generalis congregationis Hispaniae monachorum Ordinis sancti Benedicti, quo decernitur, quod nullus monachus monasterii S. Benedicti Vallisoletani dictae congregationis possit suscipere ullum gradum in universitate Vallisoletana, neque petere, aut contendere de cathedris [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Nevado, congregationis Hispaniae monachorum Ordinis sancti Benedicti in Romana curiâ procurator generalis, quod (cum aliàs nonnulli monachi monasterii S. Benedicti Vallisoletani eiusdem congregationis, in quo novitii coogregationis praedictae novitiatum gerere solent, publicas cathedras in universitate studii generalis Vallisoletanâ a quatuor tunc ultimis annis petiissent et occupassent, indeque regularis observantia in eodem monasterio non modice laederetur, dum monachi praefati cathedras huiusmodi sibi procurandi ergo se et monasterium inquietant, et illis more secularium regendis insistentes a choro et aliis exercitiis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

monasticis unâ cum sociis eximuntur, magnoque sibimetipsis sunt detrimento ac aliis scandalo et ad similia exemplo) capitulum generale dictae congregationis Vallisoleti die x maii MDCLII celebratum, ad tollendos abusus huiusmodi, pro summo studio, quo congregatio praefata semper incubuit, ut dictum monasterium, ex quo in reliqua memoratae congregationis monasteria sanctioris disciplinae initia prodiuntur, ieiunio, solitudine a mundanis negotiis, despectu honorum, et, quod novitiis recte instruendis maxime conducit, monachorum in eo professorum optimo exemplo, assiduâ chori frequentatione et aliarum observantiarum monasticarum continuo exercitio quantum fieri posset floreret, decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti. § 2. « Item ad conservandum singulare illud studium silentii et fugae honorum, quod semper viguit in regali monasterio S. Benedicti Vallisoletano, fonte et origine totius huius reformationis, definitum est, quod nullus monachus illius possit suscipere ullum gradum in universitate dictae civitatis, neque petere, aut contendere de cathedris illius; atque mens est congregationis, quod haec definitio confirmetur quousque vim legis obtineat, et praeterea concedit dicto monasterio S. Benedicti facultatem obtinendi a Suâ Sanctitate bullam, qua hoc decretum confirmet, atque inhibeat ne ullo unquam tempore congregatio possit in eo dispensare, aut portam aperire praefatis contentionibus de cathedris obtinendis, aut gradibus in praefatâ universitate suscipiendis ».

Supplicatio. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, congregatio praedicta alia octo collegia instituendis in theologiâ et philosophiâ monachis destinata habeat, dictusque Benedictus procurator generalis decretum praeinsertum, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum Benedictum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, in praemissis precibus a nobis ad congregationem cardinalium praedictorum remissis, reque per eosdem cardinales mature discussâ, praeinsertum decretum et omnia in eo contenta tamquam religiosae monachorum praedictorum quieti et humilitati perutilia, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, sublatâ omnimodâ facultate tam congregationi fratrum Ordinis huiusmodi, quam ipsorum superioribus pro tempore, super praedictis seu eorum aliquo dispensandi, vel aliter decernendi; omnesque tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intercesserint, supplemus; salvâ semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, congregationis et monasterii huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 martii 1658, pontif. anno III.

CXCIV.

Pro quiete et utilitate monialium Urbis regularium curae subiectarum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officii humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis impositi debitum exposcit, ut, paternam dilectarum filiarum monialium monasteriorum almae Urbis nostrae, quae, contemptis seculi illecebris, Domini nostri Iesu Christi obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, curam gerentes, illa, quae earum quieti, utilitatibusque quomodolibet obesse conspicimus, peculiari studio removere satagamus.

Recenset aliàs statuta pro quiete monialium. § 1. Aliàs siquidem, pro quiete et felici directione sanctimonialium regularibus subiectarum, provide ab hac sanctâ Sede statutum fuit, ne confessores, superioresve cuiuscumque gradus, visitatores, eorumque socii, concionatores, aliique regulares quicumque, confessionum generalium, visitationum, concionum, aliorumque exercitiorum intuitu, seu quovis alio praetextu, apud earumdem monasteria nedum pernoctare, verum neque refectionem aut cibum sumere possent, nisi ex urgenti necessitate ab Ordinario in scriptis approbandâ, et tunc quidem, nonnisi in mansionibus a monasteriorum clausurâ distantibus, ac prorsus segregatis. Praeterea monialibus prohibitum est, ne diurnum victum, seu refectionem, statutis ad functiones praedictas diebus, aliisque occasionibus ordinariis seu extraordinariis, imo neque lineam aliamve quamcumque supellectilem supradictis regularibus subministrarent, sed pro eorum sustentatione, intuitu servitii seu ministerii quod praestant, certam frumenti ac vini quantitatem constituerent ad rationem duorum iuliorum monetae romanae in singulos dies ministerii huiusmodi, procuratoribus conventuum ipsorum regularium respective assignandam. Vetitum quoque fuit monasteriis ac monialibus communiter vel privatim, quocumque sub praetextu, etiam eleemosynae, sumptuum, vel celebrationum missarum, aliove titulo, praedictis regularibus quidquam tribuere, tametsi superiores essent, et in actu visitationis versarentur.

§ 2. Quin etiam quamplurimis apostolicis constitutionibus interdicitur huiusmodi regularibus accessus ad locutoria sanctimonialium, necnon cum eisdem miscere colloquia ad crates, rotas, portas, et quovis alio in loco, sub poenis privationis vocis activae et passivae, aliisque etiam gravioribus pro rerum temporumque opportunitate inflictis, cum declaratione, quod easdem quoque poenas incurrant confessores ordinarii et extraordinarii, concionatores, superiores cuiuscum- Colloqui cum monialibus interdicit.

que gradus, seu visitatores, tam ordinarii, quam delegati, qui colloqui praesumpserint cum monialibus (etiamsi abbatissae, priorissae, aut officiales monasteriorum fuerint) extra actum confessionum, concionum aut visitationum huiusmodi; et aliàs, prout in diversis decretis desuper emanatis uberius continetur.

Prohibet superioribus, ne permittant confessarios, concionatores, etc. pernoctare intra septa monasteriorum.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, ordinationes praedictae, sub praetextu quod nimis rigorosae sint, in eâdem Urbe ut plurimum non observentur, indeque varia incommoda et perturbationes praedictis monialibus oriri doceat experientia: nos, opportunum huic malo remedium adhibere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum ac monasteriorum Urbis praedictae a nobis institutae deputatorum consilio, supradicta decreta innovantes, praemissaque in eis contenta de novo statuentes atque augentes, omnibus et singulis superioribus generalibus, provincialibus, abbatibus, praepositis, prioribus et superioribus localibus dictae Urbis cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti, tam mendicantium, quam non mendicantium, et clericorum regularium, etiam speciali notâ et expressione dignis, quibus sanctimonialium cura incumbit, sub privationis vocis tam activae quam passivae, necnon eorum officiorum et dignitatum, ac inhabilitatis ad ea amplius obtinenda poenis eo ipso incurrendis, adversus quas nemo nisi a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente reintegrari valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, mandamus et praecipimus, ut, intra terminum unius mensis a die publicationis earumdem praesentium computandum, confessores, eorumque socios, concionatores et alios quoscumque regulares, apud monasteria sanctimonialium in eâdem Urbe existentia vel continue vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos, ad claustra revocare debeant, neque de cetero amplius permittant eosdem seu alios regulares intra seu prope septa monasteriorum huiusmodi habitare; idque etiam sub eisdem poenis praestare et observare teneantur ipsimet superiores supra nominati, aliique pro tempore eorum successores, cuiuscumque gradus fuerint; quibus omnibus expresse prohibemus, nedum apud monasteria praedicta pernoctare, aut degere, verum etiam ne diurnam quidem refectionem sumere, praeterquam in casibus necessitatis a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice approbandae.

Praecipit alienari mansiones religiosorum prope monasteria monialium sitas.

§ 4. Et, ut tollatur omnis occasio transgressionis, praecipimus superioribus supradictis sub eisdem poenis, ut, intra eumdem terminum, quascumque cellas, mansiones, seu cubicula prope monasteria praedicta ad usum memoratorum regularium existentia, si clausurae monasteriorum earumdem sanctimonialium contigua fuerint, eisdem includi vel dirui omnino faciant, si vero extra septa, vendi, pretiumque in monasteriorum utilitatem converti, nec in posterum alia similia aptari, aedificari, aut emi respective permittant. Ad haec iisdem superioribus sub poenis praedictis mandamus et praecipimus, ut nullatenus patiantur coqui seu parari cibos a monialibus, sive lintea aliaque utensilia, tam propriis eorum, quam regularium quorumcumque usibus suppeditari. Confessores quoque et concionatores nihil omnino quovis praetextu a monialibus accipere possint, sub iisdem poenis, praeter duos iulios monetae praedictae in pecuniâ numeratâ, si per institutum regulare licuerit, pro quotidianis eorum alimentis ad tempus servitii praestiti, et non ultra, procuratori eorum conventus respective solvendos; sin minus,

aequivalentem vini frumentique portionem syndicis consignandam. Prohibemus pariter, sub poenis praedictis, ne dicti regulares, tam per se, quam per alios, mediate vel immediate, a monialibus earumque monasteriis dona seu munuscula, quantumvis exigui valoris, necnon esculenta aut non esculenta quaecumque accipiant, etiam recognitionis, debiti, contributionis, alimentorum, gratitudinis, mutui, eleemosynae, celebrationis missarum, fabricae, valetudinarii, vestiarii, legatorum piorum, aut quocumque alio titulo.

Contractus ne ineantur cum monialibus.

§ 5. Similiter, ne cum praedictis monialibus earumque monasteriis, ipsorum regularium curae mediate vel immediate subiectis, ullos inire possint contractus censuum, tam active quam passive, mutui, locationum, conductionum, emptionum, venditionum, aut alios quoscumque, tametsi eiusmodi contractus liciti forent, ac utiles, et de Sedis Apostolicae licentiâ inirentur, nisi expresse fuerit praesentibus litteris derogatum; aliàs, praeter nullitatem contractuum huiusmodi, tam contrahentes, quam superiores, mandantes aut quovis modo consentientes, incidant in poenam privationis vocis activae et passivae ac officiorum suorum eo ipso, reintegratione nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus reservatâ.

Interdicit locutionem regularium cum monialibus.

§ 6. Praeterea interdicimus omnibus et singulis praedictis sub eisdem pariter poenis colloquia quaecumque cum sanctimonialibus praedictorum monasteriorum (comprehensis etiam abbatissis, priorissis ac officialibus) extra actum confessionum, concionum, aut visitationum huiusmodi; adiectâ sub similibus poenis expressâ prohibitione, ne quoquo modo permittant, ut eorum socii, aliique regulares, tam professi quam non professi, sub quovis praetextu cum monialibus colloquantur. Contravenientes autem, praeter poenas praenarratas, gravioribus etiam nostro successorumque nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio punientur.

Fenestellas obserari iubet praeter communionis die vel aliis functionibus.

§ 7. Mandamus insuper omnibus et singulis superioribus supradictis ut feriis quadragesimalibus, Adventus Domini, Quatuor Temporum, vigiliarum, festorum solemnium cum totâ eorum octavâ, necnon diebus sanctissimae Eucharistiae sumendae destinatis, locutoria quaecumque praedictorum monasteriorum clausa remaneant, nullusque vir, quantumvis sanguine in quocumque gradu coniunctus, ad monialium colloquia hisce temporibus admittatur, nisi ob praecisam necessitatem a dilecto filio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis vicario in Urbe praedictâ in spiritualibus generali, vel eius vicesgerente, in scriptis approbandam. Et quia in quibusdam monasteriis abusus invaluit ut sacrae communionis et confessionum fenestellae locutoriorum loco deserviant, prohibemus omnibus et singulis abbatissis seu priorissis, confessoribus et ceteris superioribus regularibus, seu visitatoribus monasteriorum huiusmodi pro tempore existentibus, cuiuscumque gradus existant, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ne dictas fenestellas in alium, quam in sacrum, cuius causâ institutae sunt, usum vel adhibeant vel adhiberi permittant. Mandantes et praecipientes ut, exceptis communionum et confessionum diebus, dictae fenestellae semper obseratae sint, et quidem duplici clavi, internâ scilicet et externâ, quarum altera penes abbatissam, seu priorissam, altera vero penes confessorem asservetur: numquam vero aperiri possint nisi statis horis dumtaxat, atque temporibus ad sacrum ministerium destinatis. Liceat tamen confessori aut superiori, cum puellas ad habitum aut professionem admitti contigerit, huiusmodi functiones ad communionis fenestellam obire, iuxta ritum et consuetudinem monasterii,

Praesentes litteras statuto tempore in mensa perlegendas iubet.

§ 8. Ceterum, ut praesentes litterae debitae executioni demandentur, illarumque ignorantia a nemine praetendi possit, nec in oblivionem et desuetudinem abeant, memorato vicario nostro eiusque vicesgerenti iniungimus, ut earumdem praesentium tenorem in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatum imprimi, et sexto quoque mense, nempe dominicâ primâ Adventus et dominicâ tertiâ post Pentecostem in publicâ mensâ praedictorum monasteriorum respective perlegi curent, sub eisdem poenis privationis vocis activae et passivae ac officiorum, tam ab abbatissis et priorissis, quam a superioribus localibus, eo ipso incurrendis, ac reintegratione adversus poenas huiusmodi Sedi praedictae tantum reservatâ.

Decretum irritans.

§ 9. Decernentes ipsas praesentes litteras, et in eis contenta quecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali notâ et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aliove quolibet defectu notari, impugnari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari posse, sed dictas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 11. Volumus autem ut eaedem praesentes litterae, seu earum exempla, ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac cancellariae apostolicae necnon in acie Campi Florae de Urbe praedictâ per aliquem ex cursoribus nostris, prout moris est, publicentur et affigantur, quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent, utque ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCLVIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 martii 1658, pontif. anno III.

CXCV.

Breve, quo vicarius generalis Portugalliae Minorum de Observantiâ declaratur quod sit solummodo commissarius generalis ad instar aliorum commissariorum nationum.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Aliàs, per nos accepto quod provinciae tam de familiâ Observantium quam Reformatorum nuncupatorum Ordinis Minorum sancti Francisci regni Portugalliae et suarum conquistarum praesentiâ superioris, qui illas regeret, maxime indigebant, attentis difficillibus dispendiosisque recursibus, qui, non sine temporis diuturnitate, incommodo et labore, ab illis partibus ad hanc sanctam Sedem Apostolicam haberi possunt, praesertim bellorum et aliorum tunc expressorum de causis,

Recenset aliàs emanatum decretum. § 1. Subinde nos dilectum filium Ioannem Pereira, provinciae Algarbiorum dicti Ordinis professum, in vicarium generalem earumdem provinciarum dicti regni suarumque conquistarum fratrum Minorum huiusmodi cum facultatibus ad id necessariis ad triennium inde proximum, et interim ad nostrum beneplacitum, apostolicâ auctoritate constituimus et deputavimus, prout in nostris in simili formâ Brevis tunc desuper emanatis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut dilectus filius Michaëlangelus *della Sambuca*, totius dicti Ordinis minister generalis, nobis nuper exponi fecit, in eisdem provinciis dicti regni Portugalliae fratrum praedictorum nunquam extiterit officium vicarii generalis huiusmodi, nec etiam ab illis fuerit requisitum, exindeque schismata, perturbationes et alia incommoda in eodem Ordine possent exoriri; nobis propterea idem Michaëlangelus minister generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Statuit, quod vicarius generalis Ordin. Minorum de Observantiâ sit tantummodo commissarius generalis. § 3. Nos igitur, eumdem Michaëlemangelum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, mentis, intentionis et voluntatis nostrae fuisse et esse, ut praedictus Ioannes non vicarius generalis, sed solummodo commissarius generalis provinciarum praedictarum sit, nominarique, haberi et esse debeat ad instar aliorum quarumdam eiusdem Ordinis provinciarum commissariorum generalium, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, ipsique Michaëli-

angelo ministro generali facultatem interim expediendi negotia fratrum provinciarum regni praedicti praesentium in curiâ et aliorum absentium ad eumdem Michaëlemangelum pro expeditione recurrentium, auctoritate et tenore praedictis concedimus et impertimur.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praedictas litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus primodictis nostris litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV [1].

Dat. die 4 aprilis 1658, pontif. anno III.

1 Legendum anno *III* (R. T.).

CXCVI.

Translatio nundinarum civitatis Anconitanae, aliàs concessarum per octo dies ante et per totidem post festum S. Cyriaci, a die XV *maii usque ad diem primam iunii inclusive annis singulis in perpetuum, cum solitis exemptionibus et immunitatibus* [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Anconitanae nobis exposito, quod e ro non solum civitatis praedictae, sed etiam totius Status nostri Ecclesiastici plurimum foret, ac manutentioni commercii ob commoditatem portus eiusdem civitatis summopere conduceret, celebrationem nundinarum, inibi quotannis semel antiquitus fieri consuetam [2], in opportunius tempus transferri, nos, supplicationibus eorumdem communitatis et hominum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, revocantes in primis et annullantes ius communitati et hominibus praedictis perinde concessum sive competens celebrandi nundinas huiusmodi quotannis de mense novembri et decembri, ita ut ipsi eo iure in posterum uti nullo modo possent, ipsi communitati et hominibus, ut easdem nundinas cum solitis et consuetis exemptionibus et immunitatibus semel quotannis mense maio per octo dies ante festum sancti Cyriaci et per totidem dies post idem festum celebrare libere et licite possent et valerent, concessimus et indulsimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die X [3] martii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur [4].

A die XV maii usque ad diem I iunii praefatas nundinas celebrari mandat.

§ 2. Nunc autem, ne, si nundinae huiusmodi iuxta litteras nostras praedictas celebrentur, concursus personarum ad nundinas in aliis provinciae nostrae Mar-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *consuetum* (R. T.).
3 Supra legitur *XII* (R. T.).
4 Quas vide supra pag. 338 (R. T.).

chiae Anconitanae civitatibus celebrari solitas impediatur, providere volentes, dictorumque communitatis et hominum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatas nundinas in dictâ civitate Anconitanâ non per octo dies ante et per totidem dies post festum sancti Cyriaci huiusmodi, sed a die decimaquintâ maii usque ad diem primam iunii inclusive annis singulis in perpetuum, cum solitis et consuetis exemptionibus et immunitatibus praedictis, celebrare[1] debere, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reiicit.

§ 4. Non obstantibus litteris nostris praedictis, necnon omnibus et singulis, quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX aprilis MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 aprilis 1658, pontif. anno IV.

1 Potius lege *celebrari* (R. T.).

CXCVII.

Subsidium decem millium talerorum imperialium ab ecclesiasticis regni Poloniae regi tradendorum[1].

Venerabili fratri Petro episcopo Laudensi, apud carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Casimirum Poloniae et Sveciae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Subsidium decem millium talerorum ab ecclesiasticis regni Poloniae tradendum impont.

§ 1. Cum, sicut accepimus, dilecti filii clerus regni Poloniae, provide considerantes adeo exhaustas esse regni praedicti vires ut ad propulsandam hostilem potentiam et avertenda imminentia pericula tam laicis quam ecclesiasticis communia laicorum facultates nequaquam sufficiant, pro publicae salutis patriaeque defensione summam decem millium talerorum imperialium, subsidii nomine, carissimo in Christo filio nostro Ioanni Casimiro Poloniae et Sveciae regi illustri pro comparandis artileriae necessitatibus, nostrâ et Sedis Apostolicae ad id accedente licentiâ et consensu, sponte conferre, et, quia haec pecuniae summa tam cito, prout opus est, colligi non potest, Ordinarii locorum interim ex ecclesiis suarum dioecesum, accedente et ad hoc licentiâ et consensu praedictis, tot vasa et alia utensilia aurea vel argentea, ex quibus conflatis pecuniae huiusmodi cudi valeant, mutuo accipere, atque, ex pecuniis paulatim vigore licentiae sibi in vim praesentium concedendae usque ad praedictam decem millium talerorum summam in singulis dioecesibus eiusdem regni in totum colligendis, alia eiusdem valoris, ponderis et qualitatis vasa seu utensilia unicuique ecclesiae a qua mutuo sumpta

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

fuerint quamprimum poterunt restituere desiderent: nos, praedicti Ioannis Casimiri et dicti Poloniae regni necessitatibus huiusmodi consulere, periculisque praedictis quantum nobis ex alto conceditur occurrere volentes, tibi, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis ecclesiasticis eiusdem regni, ut pro necessitatibus huiusmodi memoratum decem millium talerorum imperialium subsidium praedicto Ioanni Casimiro regi sponte tamen et pro unâ vice dumtaxat tribuere, ipsi autem Ioanni Casimiro regi eiusque ministris, quod subsidium huiusmodi petere et recipere, absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, libere et licite possint, dummodo tamen subsidium huiusmodi in praedictos et non alios usus convertatur et erogetur, apostolicâ auctoritate indulgendi ac licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus dictam pecuniae summam absque Sedis Apostolicae praedictae licentiâ promiserint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis eâdem auctoritate absolvendi, ac insuper, quo promptius eadem summa haberi possit, singulis locorum Ordinariis, ut a suarum respective dioecesum ecclesiis tam secularibus quam cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, etiam Societatis Iesu et militiarum etiam hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, regularibus tot vasa et alia utensilia ecclesiastica aurea et argentea (calicibus, patenis et aliis sacrâ unctione delibutis exceptis), ex quibus conflatis praedictorum decem millium talerorum imperialium summa cudi possit, mutuo accipere valeant (eâ lege ut iidem Ordinarii prius in formâ iuris validâ sese debeant obligare de restituendo, intra triennium a te arbitrio tuo praefigendum, ex pecuniis quae paulatim subsidii nomine in vim licentiae per te vigore praesentium concedendae ab ecclesiasticis usque ad eamdem decem millium talerorum summam colligentur, alia vasa et utensilia aurea seu argentea, eiusdem valoris, ponderis et quantitatis, illis ecclesiis, a quibus respective mutuo accepta fuerint) permittendi facultatem et auctoritatem, tenore praesentium concedimus et impertimur. Tibique, ut ad exactionem praedictorum decem millium talerorum per personas ecclesiasticas tantum et non alias procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores et solvere recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia eâdem auctoritate compescendo.

§ 2. Non obstantibus concilii Lateranensis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quarumvis ecclesiarum monasteriorum, ordinum, congregationum, institutorum, etiam Societatis Iesu, ac militiarum et hospitalis praedictorum, et quibuslibet aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus, naturis et ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur aut derogari videatur nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis Contraria refert.

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem quod pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur. Praeterea volumus ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 iunii 1658, pontif. anno IV.

CXCVIII.

Confirmatio decreti domini cardinalis protectoris congregationis Hispaniae Ordinis Cisterciensis, ut eiusdem congregationis monachi, qui supplent vices visitatorum, procurator fiscalis, procuratores generales curiae Romanae et curiae regis catholici, cancellariae Vallisoletanae et auditorii Corunae habeant ius suffragandi in capitulis generalibus, ac promotor fiscalis intersit capitulis intermediis, et electio reelectioque praedictorum procuratorum sic pertineat ad definitorium, ut aliàs ius suffragari habere non possint[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Tenor expositionis et supplicationis monachorum Cisterciensium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Andreas de Avalos, reformator generalis, et definitores congregationis Hispaniae Ordinis Cisterciensium, quod ipsi aliàs in capitulo generali die V maii MDCLVI, et subinde in definitorio dictae congregationis die ultimâ ianuarii MDCLVII respective habitis, inter alia ad bonum congregationis huiusmodi regimen spectantia, statuerunt, eiusdem congregationis monachis suppletoribus, sive qui supplent vices visitatorum, promotori fiscali, procuratoribus generalibus curiae Romanae et curiae regis Hispaniarum catholici, cancellariae Vallisoletanae et auditorii Corunae concedendum esse ius suffragii in capitulis generalibus congregationis praedictae deinceps celebrandis instar aliorum capitularium, atque ut promotor fiscalis intersit etiam capitulis intermediis, ac electio et resolutio praedictorum procuratorum sic pertineat privative ad definitorium, ut aliàs ius suffragii habere non possint: deinde, ut eadem congregatio liberaretur a contributionibus extraordinariis quae singulis annis fiunt, ac ab expensis capitulorum generalium et intermediorum, atque ut stabiliretur redditus[1] pro Complutensi, Salamantino et Palazzuelos nuncupatis collegiis memoratae congregationis, ne redditum necessariorum defectu exercitia litteraria imminuerentur, iidem exponentes, nemine discrepante, definiverunt, quod monasterium S. Claudii in regno Galleciae positum ter mille, necnon monasterium de Melon congregationis praedictae bis mille ducatos monetae Hispaniae singulis annis respective solvere debeant, cum, his etiam solutis, habeant adhuc sufficientes redditus ad necessarium numerum monachorum alendum; praeterea, quod ex taxatione antiquâ triginta millia regalium singulis annis consignentur aerario dictae congregationis in sumptus communes mille ducati pares monasterio

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *reditus* (R. T.).

S. Annae oppidi Matriti Toletanae dioecesis eiusdem congregationis, et viginti sex millia regalium singulis trienniis in sumptus trium capitulorum, in quibus non fiant de cetero taxationes extraordinariae hucusque fieri solitae, neque contribuant monasteria, quae dictas capitulorum expensas solvere consueverunt; ac demum, quoniam dicta monasteria S. Claudii et de Melon debent, ex praescripto quarumdam litterarum felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis expeditarum, solvere congregationi praedictae septem millia ducatorum monetae Hispaniae, primum scilicet quatuor millia, alterum vero tria millia, ad stabiliendum redditum dictorum collegiorum, aerarii communis, et capitulorum, decreverunt petendum esse a nobis, ut velimus hoc suspendere, atque capitulo generali facultatem dare imponendi illis supradicta quinque millia ducatorum monetae praedictae in usum supra expressum eroganda; quibus stabilitis atque executioni mandatis eadem monasteria S. Claudii et de Melon immunia erunt a solutione annuâ duodecim millium regalium, quae ipsis in sumptus communes congregationis et capitulorum huiusmodi imponebantur: et aliàs, prout in actis praedictorum capituli generalis et definitorii, quorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Confirmat decretum domini cardinalis protectoris congregationis Hispaniae Ordinis Cisterciensis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, petitâ postmodum pro parte exponentium praedictorum a congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, praemissorum confirmatione, eadem cardinalium congregatio, attentis narratis, reque mature discussâ, per suum decretum die sextâ februarii proximi praeteriti emanatum, dilecto filio nostro Marco Antonio tituli S. Mariae de Pace eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Franciotto nuncupato, memorati Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectori, commiserit, ut, constito sibi de veritate expositorum, si et quatenus in Domino expedire iudicaret, petita, solummodo quoad vocales et praemissam contributionem ducatorum quinque millium a duobus praenominatis monasteriis S. Claudii et de Melon conferendorum [1] pro subventione et manutentione dictorum trium collegiorum, nempe Complutensis, Salamantini et de Palazzuelos, modo et formâ ac cum conditionibus in precibus expressis, pro suo arbitrio et prudentiâ concederet; cumque ipse Marcus Antonius cardinalis supradictum memoratae cardinalium congregationis decretum approbaverit et confirmaverit omni meliori modo et ita mandaverit in posterum observari; dicti vero exponentes decretum eiusdem Marci Antonii cardinalis super praemissis emanatum apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, attentis praemissis, ac viso per dictos cardinales decreto memorati Marci Antonii cardinalis in vim praefati alterius decreti congregationis dictorum cardinalium emanato,

1 Edit. Main. legit *conferen.*, nobis visum fuit legendum *conferendorum* (R. T.).

ipsum iuxta exponentium instantiam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus; salvâ semper in praemissis auctoritate dictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae congregationis, eiusque monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 iunii 1658, pontif. anno IV.

CXCIX.

Confirmatio concordiae inter episcopum et capitulum et canonicos ecclesiae Curiensis, necnon archiducem Austriae uti comitem Tyroli, super nonnullis iuribus ac iurisdictionibus [1].

Venerabili fratri Federico patriarchae Alexandrino, nostro et Apostolicae Sedis in dominio Helvetiorum et Rhetorum nuncio, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. Pro parte venerabilis fratris Ioannis episcopi Curiensis, ac dilectorum filiorum nobilis viri Ferdinandi Caroli archiducis Austriae ac comitis Tyrolis, necnon capituli et canonicorum cathedralis ecclesiae Curiensis, nobis expositum fuit nuper quod ipse Ferdinandus Carolus archidux ex unâ et Ioannes epscopus et nonnulli canonici dictae ecclesiae ex alterâ partibus ad transactionem seu concordiam super quibusdam controversiis, quae super nonnullis iuribus iurisdictionalibus [2] dictae ecclesiae Curiensis inter eos vertebant, devenerunt, prout continetur in instrumento desuper confecto tenoris qui sequitur, videlicet: « Nos Ferdinandus Carolus Dei gratiâ archidux Austriae, dux Burgundiae, Styriae, Carynthiae, Carniolae et Wittembergae, comes Tyrolis et Goritiae, landgravius Alsatiae; nos Ioannes Dei gratiâ episcopus Curiensis dominus in Grolhngstingensi, et nomine capituli ibidem nos Christophorus a Moro, praepositus ac vicarius generalis, Bernardinus Gaudentius decanus, Iacobus de Albertis, canonici eiusdem ecclesiae Curiensis, praesenti instrumento pro nobis et nostris respective haeredibus et successoribus notum facimus et attestamur, qualiter lites et controversiae, quae iam a multis annis, immo verius ab immemorabili tempore, inter serenissimam domum Austricam, uti comitem Tyrolis, ex unâ,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Praeposit. *per* hinc obiicimus (n. T).

necnon alterum[1] episcopatum Curiensem alterâ ex partibus, tum causâ et occasione hominum seu iurisdictionis sub Calvâ in Valle Venustâ, tum et aliarum praetensionum dicti episcopatus, contra et adversus serenissimos archiduces Austriae tamquam comites Tyrolis versae sunt et vertebantur, praeviâ, ex parte praelibati serenissimi archiducis, dominorum Caroli Fieger liberi Baronis ab Hirsperg Venipontani regiminis consiliarii, ac Ioannis Venerandi a Wittenbach iuris utriusque licentiati consiliarii ac camerae archiducalis procuratoris ad easdem controversias amicabiliter componendas deputatione, de earum scientiâ, consensu et voluntate nostrum utriusque partis maturâ praehabitâ actitatione et deliberatione consideratis[2] in hunc qui sequitur modum fuerint terminatae, diremptae[3], ac compositae, sequensque conventio desuper inita perpetuis futuris temporibus omni firmitate et robore duratura.

Tenor concordiae.

§ 1. Inter nos per espressum fuit conclusum, ut, sicut nos praefatus archidux per venditionem iurium in valle Schanfich sub anno MDCXLIX vel alienationem non secutam superioritatis criminalis et huic annexorum in valle Engadinae inferioris neutiquam episcopatui Curiensi quoad sua iura, privilegia et dominia, quae in eisdem locis idem episcopus habet, praeiudicare intendimus, ita nec in posterum debeant vel possint praefati venditionis et alienationis contractus eidem episcopatui in dictis suis iuribus, privilegiis et dominiis aliquod generare[4] praeiudicium.

§ 2. Quoad iurisdictionem, quae[5] sub Calvâ de et super hominibus ad ecclesiam Curiensem per Vallis Venuatae districtua Venotriensem, Gluinsensem, Malsensem et Sihlandrensem spectantibus attinere dignoscitur, nullum ius deinceps seu accessum bene memoratus[1] episcopatus super et adversus dictam iurisdictionem seu homines habeat seu praetendere valeat, sed[2] potius teneatur deinceps omnia iura hac in parte habita, quomodocumque demum appellentur, sicut etiam omnes homines eiusdem ecclesiae, qui in Tirolensi territorio habitant et habitabunt, harum tenore serenissimae domui cedere, et eidem totaliter renunciare.

§ 3. E contra vero tres pro horum recompensatione ecclesiae, et iurapatronatus tam parochiae Tirolensis quam beneficii de Burgstall in dominio Preifestain, iure proprietatis episcopatui ceduntur, ut mensae episcopali incorporatae seu incorporata esse debeant, pacto tamen, ut nullus pro administratione dictarum ecclesiarum ab episcopis Curiensibus, qui serenissimo loci principi acceptus non sit, substitui et praesentari valeat, quem ad finem substituendum seu praesentandum prius serenissimis archiducibus pro eorum *placet* et assensu insinuare et notificare iidem episcopi teneantur.

§ 4. Nos archidux, cum praefatus episcopatus ius haereditandi bona ecclesiastica cleri minoris per comitatus[3] Tirolensem aliaque bona[4] Austriaca dioecesis Curiensis praetendat (dummodo tamen patrimonialia, seu quasi, non sint), episcopum et eiusdem successores hac in iure[5] impedire seu perturbare quidem non volumus; libentius tamen videremus, ubi cum clericis et horum singulis, iuxta cu-

1 Vox *alterum* redundare videtur (R. T.).
2 An recta lectio iudicet scius (R. T.).
3 Edit. Main. legit *direptae* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *generari* (R. T.).
5 Vox *quae* nobis deesse visa fuit (R. T.).

1 Videtur legendum *praememoratus*, ut infra, pro *bene memoratus* (R. T.)
2 Perperam ut puto edit. Maie. habet *seu* pro *sed* (R. T.).
3 Videtur legendum *comitatum* (R. T.).
4 Ex infra dicendis potius lege *loca*.
5 Legendum *hac in re* vel *hoc in iure* (R. T.).

iusque praebendae qualitatem, in annuam, tolerabilem tamen, pensionem, scilicet quatuor, vel, in beneficiis pinguioribus, ad summum sex florenorum eo pacto conveniretur, ut, mox decedentibus clericis, eorum haeredes ex testamento vel ab intestato secundum consuetudinem cuiusque loci succedere valeant.

§ 5. Status conditioque officii pincernarum, quod communitates Tirolis, necnon archiduces Austriae uti comites eiusdem comitatus, ab episcopatu Curiensi in feudum olim receperunt et nunc quoque recipiunt, suis antiquis in terminis et firmitate manere babeat et debeat.

§ 6. Cum insuper ex parte saepedicti episcopatus, qualiter nos ac serenissima nostra domus praeter officium pincernarum nonnulla alia ab eodem episcopatu pro feudis recognoscere teneamur, asseratur res taliter inter nos etiam transacta, ut omnia Curientia feuda, quotiescumque eorum investiturae de more feudorum erunt renovandae, in genere, iuxta stylum hucusque consuetum, etiam imposterum recipere et agnoscere velimus;

§ 7. Indulgemus et facultatem facimus nos archidux domino episcopo ac successoribus eius, ut in lacubus in Malterheid, quotiescumque ipsos episcopos personaliter in arce Firstemburg existere contigerit, pro suae mensae usibus piscari valeant, eisque pari ratione, si, uti supra dictum est[1], Fistemburgi resederint, singulis annis cervus et duae cervae a nostris et nostrorum, tamen venatoribus solutis eorumdem venatariis regalibus, capiantur et tradantur.

§ 8. Quod arcem Firstemburg attinet, eiusdem arcis et iurisdictionis iura, quibus hucusque fruita est, tam ratione parium Curium, quam aliarum libertatum et privilegiorum, in suo debeant manere vigore.

1 Perperam edit. Main. legit *si uti supradictum* (R. T.).

§ 9. Cum contra et adversus nos archiducem praenominatus dominus episcopus nomine sui episcopatus multa millia florenorum sub nomine diversarum damnificationum occasione bellorum illatarum prout alia iura et bona, ex parte tamen serenissimae nostrae domus nunquam confessata aut agnita, praetenderit, taliter inter nos fuit concordatum, ut nos archidux spoponderimus moderno domino episcopo, praeviâ omnium impetitionum et praetensionum, cuiuscumque demum nominis, quae episcopatui[1] adversus laudabilem domum nostram competere videbantur, harum tenore factâ renunciatione, quatuor millia florenorum per provinciam Tirolensem sine contradictione persolvenda assignare, ac hunc ad effectum obligationem desuper quamprimum expediendam tradere, salvo nobis, tamquam cessionario, praefatas militares damnificationes seu alias praetensiones, a domino episcopo expetitas, suis loco et tempore, et a quibusvis possumus, exigendi, et compensationem petendi iure et regressu.

§ 10. Sicut domini episcopi necnon capitulum sub serenissimae domus Austriacae mundibundio et protectione extiterunt, ita nos Ioannes episcopus, necnon nos plenipotentiarii capitulares, iuxta regulares et investituras, ex parte serenissimae domus et episcopatus dari solitas, eamdem protectionem firmam habemus, prout omnia hisce confirmantur et notificantur.

§ 11. Quibus promittimus et spondemus nos saepedictus archidux Ferdinandus Carolus, uti dominus et princeps comitatus Tirolensis, sub et per principis verbum, necnon nos Ioannes episcopus Curiensis, ac nos praepositus, decanus et capitulum, pro nostris quibus episcopali

1 Male edit. Main. legit *episcopatus* (R. T.).

ac sacerdotali respective praefulgemus dignitale et gradu, pro nobis, nostris successoribus et haeredibus praesentem tractatum, nos perpetuis futuris temporibus, in omnibus suis punctis, periodis, articulis et tenoribus, firmum et ratum inviolabiliter habituros, eique in omnibus firmiter obsecundaturos et statuturos[1], nec unquam contraventuros, aut ut contraveniatur permissuros. Et isthaec omnia bonâ fide, sine fraude vel dolo. In quorum omnium et singulorum fidem ac robur, nos archidux Ferdinandus Carolus necnon nos Ioannes episcopus Curiensis propria, similiter nos praepositus, decanus et capitulum nostri capituli respective sigilla, pro nobis, nostris haeredibus et successoribus, duobus hisce confectis instrumentis, quorum quaelibet pars unum pro se asservavit[2], appendi curavimus. Datum et actum Œniponti, die VIII martii, anno Nativitatis Domini nostri Iesu Christi MDCLII ». Sequitur legalitas in formâ.

Impartitur facultatem nuncio retborum, etc. ut confirmet et approbet concordiam principum praedictorum.

§ 12. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes transactionem seu concordiam huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui praemissa mandatu[1] nostro consideraruni, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, si et postquam (vocatis, qui fuerint evocandi, ac praemissis omnibus et singulis, illorumque circumstantiis universis prius coram te specificatis) de dictâ transactione seu concordiâ, quodque illa in evidentem praefatae ecclesiae Curiensis cedat et cessura sit utilitatem tibi legitime constiterit, super quo conscientiam tuam oneramus, eamdem transactionem seu concordiam, quatenus quidem nulliter secuta sit, auctoritate nostrâ apostolicâ convalides; si vero validam factam esse appareat, illam eâdem auctoritate confirmes[2] et approbes, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate suppleas (hac tamen lege, ut duas conditiones, unam nempe, ut in provisione ecclesiarum a memorato Ferdinando Carolo archiduce dictae ecclesiae seu episcopatui Curiensi vigore transactionis seu concordiae huiusmodi cessarum *placet* seu assensus existentium pro tempore archiducum haberi debeat, et alteram, ut ius succedendi in bonis clericorum per comitatum Tyrolensem aliaque loca Austriaca Curiensis dioecesis episcopo Curiensi competens in annuae pensionis conventionem commutetur, quas praefatorum cardinalium congregatio dictae ecclesiae Curiensi praeiudiciales esse iudicavit, moderari facias eo modo, qui tibi hinc seorsim per epistolam significatus fuit); praeterea transigentes praedictos a censuris ecclesiasticis quibuslibet, in quas praemissorum occasione quomodocumque forsan incurrerunt, auctoritate praedictâ in utroque foro absolvendi, et aliàs super praemissorum executione quamcumque

1 Videtur legendum *staturos* (R. T.).
2 Forsan legendum *asserbabit* (F. T.).

1 Videtur legendum *mandato* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *confirmas* (R. T.).

necessariam et opportunam facultatem tibi, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Contraria refellit. § 13. Non obstantibus praemissis, nec non felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, praedictae ecclesiae Curiensis, aliisve quibuvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 iunii 1658, pontif. anno IV.

CC.

Confirmatio quarumdam ordinationum pro vitâ communi provinciae S. Bonaventurae in Galliâ Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ad illa, per quae felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum directioni consulitur, propensis[1] intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Serres, provinciae S. Bonaventurae in Galliâ Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum minister provincialis, quod (licet anno MDCXLIV, tunc existentis apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum Sedis Apostolicae nuncii auctoritate, necnon ministri generalis dicti Ordinis, qui tunc erat, mandato, vita communis in aliquibus provinciae praedictae conventibus iuxta sacri Concilii Tridentini decreta introducta et instituta fuerit; et postea anno MDCXLVII a tunc existente Ordinis huiusmodi ministro generali alterius praedicti successore ad eiusdem vitae communis conservationem et augmentum dispositum et ordinatum fuerit, ut novitii dictae provinciae in conventibus vitae communis reciperentur et educarentur, utque qui semel vitam communem suscepissent amoveri non possent de conventibus vitae communis in alios conventus, ubi eadem vita non colitur, nec e contra; denique ut non eligerentur guardiani in praefatis conventibus, nisi qui saltem per biennium praefatam vitam communem laudabiliter observasset) modicus nihilominus ex praemissis fructus provenit, quia illa executioni hactenus perfecte demandata non fuerunt.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Antonius eadem praemissa, quo intentius[1] per illa finis facilius posthac obtineatur, id etiam desiderante memorato Ludovico rege, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri, ac aliàs opportune desuper a nobis provideri plurimum cupiat:

[1] Videtur legendum *propensius* vel *propensis studiis* (R. T.).

[1] Videtur legendum *intentus* (R. T.).

Confirmat et approbat ordinationes circa vitam communem in conventibus provinciae S. Bonaventurae Ordinis Conventualium.

§ 3. Nos, ipsum Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac auditis per eosdem cardinales et consentientibus dilectis pariter filiis moderno ministro generali et procuratore generali Ordinis huiusmodi, ordinationes praemissas, tamquam regulari observantiae, necnon constitutionibus apostolicis et Ordinis praedicti consentaneas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac executioni demandari praecipimus. Addentes insuper ut de cetero novitii nonnisi sub lege vitae communis ad professionem admittantur; itemque, ut ex duobus fratribus, ab omnibus vocalibus conventuum, in quibus vita communis servatur, nominandis, a toto definitorio capituli provincialis unus eligatur, qui (absque diminutione tamen et praeiudicio facultatis ministri provincialis) super dictis novitiorum receptione et vitae communis observantiâ invigilet, quique de omnibus, quae circa praemissa emergerent, ministrum generalem certiorem facere teneatur, et ab eodem generali iustis de causis removeri, alterque (dum a definitorio capituli provincialis, ut praefertur, non eligatur) eius loco eligi et subrogari possit.

Decretum irritans.

§ 4. Ac decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus, praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae provinciae, eiusque conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iunii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 iunii 1658, pontif. anno IV.

CCI.

Constitutio contra religiosos congregationis Montis Virginis dignitates, praelaturas et officia dictae congregationis a quibuscumque personis, tam secularibus quam ecclesiasticis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus procurantes[1].

1 Consimilem prohibitionem habent fere omnes religiones, ut videre poteris in repertorio, verbo *Ambitus*.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam

Sacrosancti apostolatus officio, quod auctore Deo gerimus, admonemur, ut paternam christifidelium, qui, seculi vanitati renunciantes et humilitatis spiritui adhaerentes, Altissimi obsequiis sese sub suavi monasticae vitae iugo devoverunt, curam gerentes, ambitiosum earum personis ad dignitates et officia accessum intercludere studemus [1].

Prohibet et interdicit, ne monachi Montis Virginis sancti Benedicti dignitates et honores procurent.

§ 1. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis monachis congregationis Montis Virginis Ordinis sancti Benedicti, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, nunc et pro tempore quandocumque existentibus, ne de cetero, pro praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis quibusvis eiusdem congregationis consequendis, ad principum, seu praelatorum, et aliarum personarum quarumlibet de gremio dictae congregationis non existentium, etiam cardinalatus honore, vel quacumque seculari dignitate et excellentiâ, etiam imperiali, regali, aut ducali fulgentium, favores vel suffragia recurrere, illosque seu illa sibi procurare, aut etiam sponte oblatis et a se minime procuratis uti, directe vel indirecte, seu aliàs quoquo modo, audeant vel praesumant, sub perpetuae privationis vocis activae et passivae, absque ullâ spe reintegrationis, necnon excommunicationis maioris, a qua nemo a quocumque praeterquam a nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit, poenis, eo ipso absque ullâ aliâ declaratione incurrendis, tenore praesentium prohibemus et interdicimus.

Praecipit abbati et superioribus, ne ad instantiam personarum de gremio congregationis non existentium ullam dignitatem concedant.

§ 2. Mandantes propterea et districte praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ac sub simili excommunicationis poenâ dilectis filiis abbati generali, ceterisque superioribus congregationis praedictae modernis et pro tempore existentibus, ne ad instantiam et requisitionem praedictarum personarum de gremio congregationis huiusmodi non existentium cuicumque ipsius congregationis monacho ullam praelaturam, ullumve officium, gradum, honorem, dignitatem, functionem vel administrationem eiusdem congregationis quovis modo concedant.

Decretum irritans.

§ 3. Ac decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces, existere et fore, et ab illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria removet.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et congregationis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomo-

1 Aptius lege *studeamus* (R. T.).

dolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

In singulis capitulis generalibus praesentes litteras legi ipsisque fidem adhiberi iubet.

§ 5. Ut autem praemissorum notitia ad omnes dictae congregationis monachos facilius deveniat, volumus ipsas praesentes litteras in singulis capitulis generalibus eiusdem congregationis publice legi, et sic lectas omnes et singulos, ad quos spectat et spectabit, perinde afficere et arctare, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu scribae capituli generalis congregationis huiusmodi vel alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo abbatis generalis ipsius congregationis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 iunii 1658, pontif. anno IV.

CCII.

Quod in provinciis cismontanis fratrum de Observantiâ ac Reformatorum sancti Francisci non eligantur amplius vocales seu discreti a familiâ conventuum mittendi ad capitula provincialia [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosancti apostolatus nobis divinitus commissi ratio postulat, ut ad ea, per quae controversiae inter religiosos viros, qui, contemptis seculi illecebris, vota sua sub arctioris vitae regulâ Altissimo reddere iugiter satagunt, exortae perpetuo sopiantur, peculiari paternae charitatis nostrae studio intendamus.

Prohibet electionem vocalium in provinciis cismontanis fratrum de Observantiâ fieri.

§ 1. Itaque, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, visis per eosdem cardinales supplicibus libellis porrectis nomine plurimorum fratrum Minorum, tum de Observantiâ, tum Reformatorum nuncupatorum cismontanae familiae Ordinis sancti Francisci, instantium pro restitutione assertae consuetudinis eligendi vocales seu discretos a conventibus mittendos ad capitula provincialia; auditisque saepius in particulari dictorum cardinalium congregatione dilectis filiis fratribus commissariis generali et curiae, necnon procuratore generali Reformatorum Ordinis praedicti, partibusque hinc inde tam verbo quam scripto informantibus, cum omnibus pro utrâque earum deductis, ac postmodum toto negotio in plenâ praedictorum cardinalium congregatione, dilecto filio nostro Ioanne Baptista tituli S. Petri ad Vincula eiusdem S. R. E. presbytero cardinale Pallotto nuncupato referente, diligenter et mature

1 De hac materiâ vide, quae notavi ad Constit. CLXIII (*al.* CL) Urbani VIII, *Sacrosanctum*, tom. XIII, pag. 373, circa abrogationem concessionum contrariantium statutis Ordinis et eius regulae.

discusso, in provinciis cismontanis tam Observantiae quam Reformatorum dicti Ordinis non esse locum praefatae discretorum electioni, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, ac proinde perpetuum desuper silentium imponimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces, existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reficit.

§ 3. Non obstantibus decreto felicis recordationis Innocenti Papae X praedecessoris nostri et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 iulii 1658, pontif. anno IV.

CCIII.

Declaratio super actibus et functionibus occasione electionis moderni imperatoris factis et faciendis[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Acceptis nuper a carissimo in Christo filio nostro Leopoldo Hungariae et Bohemiae rege illustri litteris, quibus nobis significabat se in conventu electorali Francofurti habito in regem Romanorum futurum imperatorem electum esse; idcirco in cappellâ pontificiâ in nostrâ et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium praesentiâ sacrosancto missae sacrificio solemniter celebrato, respectu eius electionis gratiae Deo omnipotenti actae fuerunt. Praeterea, sicut nonnullae aliae functiones praemissorum occasione fieri solitae iussu etiam nostro factae extiterunt, ita etiam reliqua per Romanos Pontifices praedecessores nostros peragi consueta, benedicente Domino, peragere[1], praefatisque et aliis eiusdem Leopoldi electi litteris ad nos datis et dandis respondimus, ac respective respondere intendimus, etiam illum regem Romanorum in imperatorem electum appellando.

Decernit actus praedictos et alios non significare confirmationem electionis.

§ 2. Verumtamen, ne ex praedictis et quibuscumque aliis actibus et functionibus, tam nostris, quam quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae officialium ac ministrorum, ac quorumcumque S. R. E. cardinalium, etiam de latere legatorum, tam publicis quam privatis, quandocumque et ubicumque ac quomodocumque factis et faciendis, ac inde sequutis et sequuturis quibuscumque possit unquam praetendi nos[2] electionem praedictam approbasse et confirmasse, etiamsi talis praetensio minime subsistat, cum apostolica confirmatio huiusmodi, tam de iure, quam de more, nonnisi prius coram nobis exhibitis electionis et

1 Subintellige *intendimus*, quod postea sequitur, vel *peregimus et peragere* forsan legendum (R. T.).

2 Perperam ed. Main. puncto interposito legit *praetendi. Nos* (R. T.).

aliorum ad id requisitorum instrumentis, et praeviâ maturâ causae cognitione in nostro consistorio secreto, et sub bullâ consistoriali concedi et expediri consueverit, nihilominus, omnem in praemissis ambigendi materiam praecidere, mentemque et intentionem nostram palam facere volentes, omniumque et singulorum praemissorum, ac quorumcumque aliorum actuum et functionum hactenus et deinceps quandocumque, ubicumque et quomodocumque a nobis et aliis quibuscumque, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus et conditionis et individuâ expressione digna[1] extiterint et pro tempore existant, etiam de mandato nostro et aliàs quovis modo tam cum eodem Leopoldo electo quam cum eiusdem Leopoldi electi oratore et oratoribus ac ministris etiam in Romanâ curiâ factorum et faciendorum, et inde sequutorum et sequuturorum, aliorumque hic forsan exprimendorum et inserendorum, etiam particulari mentione dignorum, tenores, circumstantias et quaslibet singularitates, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene expressis et insertis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium serie attestamur, declaramus et decernimus nostrae mentis, intentionis et voluntatis incommutabilis semper fuisse et esse, ac deinceps fore, per omnes et singulos actus, functiones, receptiones, recognitiones et tractatus quoscumque verbo, scriptis, etiam per litteras apostolicas sub plumbo ac in formâ Brevis sub annulo Piscatoris et missivas, ac facto a nobis et respective a dilecto filio nostro Flavio[2] tituli S. Mariae de Populo S. R. E. presbytero cardinale Chisio nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano

1 Potius lege *digni* vel *dignae* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *Flavis* (R. T.).

nepote, totiusque Status nostri Ecclesiastici ac quorumcumque nostrorum et Sedis Apostolicae negotiorum generali superintendente, et a quocumque alio S. R. E. cardinale, etiam de latere legato, ac etiam a nunciis apostolicis, etiam apud eumdem Leopoldum electum nunc et pro tempore nomine nostro et Sedis Apostolicae residentibus, et a quibuscumque aliis nostris et Sedis praedictae officialibus et ministris ubicumque residentibus, etiam individuâ mentione dignis, etiam de mandato nostro quandocumque, ubicumque et quomodocumque factos et factas, et pro tempore faciendos et faciendas, ac inde sequuta et sequutura quaecumque, etiam pluribus vicibus iteratos, iteratas et iterata, ac[1] effectum sortitos, sortitas et sortita, quotcumque et qualiacumque sint et pro tempore fuerint, etiam cum oratore et oratoribus nunc et in posterum etiam apud nos Sanctamque Sedem praedictam nomine eiusdem Leopoldi etiam uti Romanorum imperatoris electi pro tempore residente et residentibus, ac cum quibuscumque aliis ipsius Leopoldi electi officialibus et ministris, procuratoribus et plenipotentiariis, quavis occasione et causâ, etiam ratione foederis universalis, ac defensionis et propagationis fidei catholicae, et quavis aliâ etiam particulari expressione dignâ, hactenus et pro tempore facta, tractata et gesta, faciendaque, tractanda et gerenda; necnon per quascumque denominationes, inscriptiones, appellationes, nuncupationes et narrativas in favorem praedicti Leopoldi in regem Romanorum futurum imperatorem electi per quoscumque etiam nomine nostro et Apostolicae Sedis, ac etiam per nos, quomodolibet factas et pro tempore faciendas, illum etiam regem Romanorum in imperatorem electum appellando, ac etiam per quamcumque oratoris et oratorum ad

1 Male edit. Main. legit *ad* pro *ac* (R. T.).

nos et Sedem Apostolicam ab eodem Leopoldo electo destinati et destinatorum, missique et mittendorum receptionem et admissionem ad audientiam nostram et ad osculum pedum nostrorum cum quibuscumque apparatibus, caeremoniis, circumstantiis, praerogativis, antelationibus, etiam publicis, etiam extraordinariis et insolitis, quomodolibet, expresse vel tacite, hactenus concessis et datis, concedendisque et in posterum dandis, etiam tamquam oratori et oratoribus Romani imperatoris electi, non intellexisse nec voluisse, minusque in posterum intelligere nec velle praefatam eius electionem approbare, nec confirmare, quin imo nostrae mentis et voluntatis fuisse, ac deinceps fore, ut iuxta consuetum confirmatio apostolica buiusmodi per praedictum Leopoldum electum petatur, et per litteras apostolicas consistoriales a nobis et S. R. E. cardinalibus subscriptas expediri impetretur, et interim nedum omnem approbationem et confirmationem, sed etiam cuiuscumque approbationis et confirmationis expressae et tacitae concessionem et quemcumque eius effectum suspendimus, suspensamque et suspensum fuisse et esse ac deinceps fore declaramus, ac pro suspensis haberi volumus et decernimus.

Praesentibus litteris contravenientes punit. § 3. Praesentesque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes et habere praetendentes, cuiuscumque status, gradus, qualitatis, dignitatis et conditionis existant et extiterint, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, notari, impugnari, infringi seu redargui nullatenus posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus, ac quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros faciendis comprehendi, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus quibuscumque, tam apostolicis quam imperialibus, ac cancellariae apostolicae regulis, etiam individuam derogationem requirentibus; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua et de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, tenores huiusmodi, etiam maiores et veriores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 augusti 1658, pontif. anno IV.

CCIV.

Constitutio super resignationibus dignitatum cum reservatione fructuum et administrationis ad favorem resignan-

tium hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Constituit et decernit, ut super resignationibus dignitatum reservetur fructus et administratio ad favorem resignationum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani

§ 1. Cum, sicut accepimus, in renunciationibus et cessionibus titulorum, seu, ut dicitur, iurium prioratuum ac baiulivatuum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quae inter fratres eiusdem hospitalis cum reservatione fructuum ac omnium redditium et plenae administrationis illorum unà cum aliis praeeminentiis fieri consueverunt, nonnulli abusus obrepserint, quibus ipsorum priorum ac baiulivorum decus et existimatio valde diminuitur, dignitatum eiusdem hospitalis iura et praerogativae confunduntur, et rectus ordo iustitiae, qui in electionibus ad praefatas dignitates, iuxta dicti hospitalis statuta seu stabilimenta et laudabiles consuetudines apostolicâ auctoritate confirmata[2], servari debet, valde perturbatur, dum per reiteratas huiusmodi titulorum renunciationes nedum duo, sed quandoque tres fratres unius prioratus vel baiulivatus nuncupatione eodem tempore censentur, et magnae crucis honore, qua in suo antianitatis turno nonnisi post plures annos potiri potuissent, illico decorantur, aliquando etiam cessionarii seu resignatarii ipsi (non expectatâ successione in redditus et administrationem prioratus vel baiulivatus, quae illis in tituli acquisiti[3], cum primum per cessum vel decessum illius qui resignavit eum vacaro contigerit, omnino debetur), titulis iisdem quos antea affectaverant sponte dimissis, ad alias convolent dignitates; unde in titulis sic dimissis alii fratres subrogantur, et eo nomine pariter magnae crucis dignitatem assequuntur; et insuper, dum cessionariis seu resignatariis praefatis unà cum titulo datur expectativa seu ius futurae successionis ad plenam administrationem eiusdem prioratus vel baiulivatus, privilegium expectativae et iuris huiusmodi (quod specialiter baiulivis conventualibus dumtaxat per praefatae[1] eiusdem hospitalis stabilimenta concessum est in remotionem oneris et impensarum quas subire tenentur pro alendis fratribus suae linguae in conventu residentibus, seu, ut vulgo dicitur, tenendi albergiam) per huiusmodi praeventivas titulorum cessiones, resignationes et translationes fit etiam commune aliis fratribus onera praedicta minime sustinentibus, qui etiam quandoque, hac viâ indirectâ, iisdem baiulivis conventualibus in praedictis dignitatibus cum magno illorum praeiudicio praeferuntur; multaque alia damna et incommoda ex nimis frequenti usu praedictarum cessionum et renunciationum, tam publicae ipsius hospitalis tranquillitati, quam singulorum fratrum privatis iuribus praeiudicialia in dies oriuntur: hinc est quod nos, volentes, pro eo quem gerimus erga dictum hospitale paternae charitatis affectu, praedictis malis, quantum cum Domino possumus, occurrere, ac praefatos abusus abolere, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis porrectae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, auctoritate apostolicâ statuimus et decernimus, ac districte prohibemus, ne renunciationes, resignationes, ac cessiones titulorum, seu, ut dicitur, iurium prioratuum et baiulivatuum, ac quarumcumque dignitatum dicti hospitalis cum reservatione fructuum, redditium, ac administrationis illorum ad favorem cedentium seu resignantium de cetero fieri, nec per dilectum filium modernum et pro tempore existentem hospitalis praedicti magnum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *confirmatae* (R. T.).

3 Videtur legendum *titulo aquisito* (R. T).

1 Videtur legendum *praefata* (R. T.).

magistrum et illius consilium admitti ullo modo possint, nisi causâ prius per eosdem magnum magistrum et consilium cognitâ et mature examinatâ, et per suffragia quatuor partium ex quinque eorum qui tunc in consilio reperiantur[1] ac ius ferendi suffragii habebunt concorditer approbatâ, et nisi antequam de dictis renunciationibus in consilio tractetur praecesserit expressus[2] consensus in scriptis baiulivi conventualis capitis illius linguae, ad quem[3] spectabit prioratus vel baiulivatus de cuius cessione vel resignatione agendum erit; et aliter factae vel admissae renunciationes, resignationes seu cessiones titulorum, ac iurium huiusmodi sint ipso facto irritae et prorsus invalidae, ac nullius roboris et momenti.

§ 2. Praeterea eâdem auctoritate prohibemus ne quicumque fratres dicti hospitalis, qui semel per huiusmodi cessiones ac resignationes cum reservatione fructuum alicuius prioratus, baiulivatus vel alterius dignitatis titulum obtinuerint, durante administratione illorum, qui titulis huiusmodi cesserunt, vel illos resignaverint, ad nullum alium prioratum vel baiulivatum promoveri possint, sed omnino in ipso titulo, quem assecuti fuerunt, permanentes, teneantur expectare vacationem seu cessationem administrationis fructuum per cessum vel decessum illius qui in renunciatione tituli eam sibi reservaverit, statimque, eveniente vacatione seu cessatione huiusmodi, praedicta administratio, unâ cum redditibus et fructibus ipsius prioratus vel baiulivatus, ipso facto, absque aliâ declaratione, unita, incorporata et consolidata intelligatur cum titulo iam cesso in personâ ipsius cessionarii vel resignatarii, per cuius tantum mortem, non autem per mortem cedentis vel resignantis ac reservatarii dictae administrationis, praefatus titulus vacabit et vacasse censebitur. Et quoties ante huiusmodi unionem et consolidationem, vivente adhuc reservatario dictorum administrationis et fructuum, idem titulus per obitum ipsius resignatarii seu cessionarii vel quovis alio modo vacaverit, nullâ ratione liceat fratribus linguae vel prioratus, ad quem seu quam spectabit, ad tituli huiusmodi smutitionem procedere nisi praevio expresso consensu baiulivi conventualis capitis eiusdem linguae de cuius interesse agetur, ac etiam praevio decreto praedictorum magni magistri et consilii, per quod, concurrentibus et concordantibus quatuor partibus ex quinque suffragiorum eorum qui tunc erunt praesentes et ius ferendi suffragii habebunt, in consilio declaratum fuerit expedire ad illius tituli smutitionem deveniri; alioquin ipse titulus, non obstante quacumque illius smutitione vel provisione aliter factâ, censeatur eo ipso absque aliâ declaratione unitus et consolidatus cum administratione et fructibus in cessione reservatis, nec ad illius aliquam aliam novam smutitionem vel provisionem procedi possit absque novâ renunciatione seu cessione iuxta formam, ut supra a nobis praescriptam, faciendâ.

§ 3. Decernentes easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam speciali notâ et expressione digni, illis non consenserint, nec ad illa vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut Decretum irritans.

1 Aptius lege *reperientur* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *expressos* (R. T.).
3 Potius legendum videtur *ad quam* (R. T.).

interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu sa iuvari[1] posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempora quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, necnon magnum magistrum et consilium et quaevis tribunalia hospitalis praedicti, aliasque quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, eiusque linguarum et prioratuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti deragatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, farmas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 augusti 1658, pontif. anno IV.

1 Potius lege *iuvare* (R. T.).

CCV.

Declaratio nullitatis et invaliditatis edicti ducis Sabaudiae, quo enunciat se supremum dominum aliquot castrorum directi dominii episcopatus Astensis in praeiudicium Sedis Apostolicae, ad quam spectat eiusmodi supremum dominium[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Tenor edicti ducis Sabaudiae.

§ 1. Accepimus nuper sub nomine dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis ducis Sabaudiae et Pedemontium principis prodiisse praeceptum sive edictum tenoris sequentis videlicet:

Carlo Emanuel, per grazia di Dio, duca di Savoia, principe di Piemonte, conte d'Asti, principe e vicario perpetuo del S. R. I., re di Cipro. Avendoci fatto sapere l'illustre e molto reverendo orator nostro don Paolo Vincenzo Roero, vescovo d'Asti, che gli convenga, come diretto signore delle diecisette castella che ap-

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

partengono al feudo e ragioni della mensa episcopale, rinnovare alli vassalli di dette castella le investiture e ricevere da essi il giuramento di fedeltà ed omaggio vassallizio; noi pertanto, cui fu sempre a cuore, seguendo l'esempio dei serenissimi nostri antecessori, il proteggere e difendere le ragioni della Chiesa, e quelle in particolare che al detto vescovato appartengono, in virtù delle presenti, come principe, signore, sovrano e vicario imperiale nel contado d'Asti, al quale le detta castella appartengono o soggiaciono, abbiamo stimato ispediente, per troncare qualsivoglia difficoltà e pretesto che potesse nell'animo de' suddetti feudatari difficoltare o prolongare l'effetto sopraddetto, che giammai da noi nè dai serenissimi nostri antecessori fu impedito di comandare, come in virtù dello presenti di nostra certa scienza, piena possanza ed autorità assoluta, col parere del nostro consiglio, e come principe sovrano e vicario imperiale suddetto, comandiamo a tutti li cavalieri e ad ogni altro che rilevi ragione di feudo o sia d'utile dominio dal detto vescovato in dette diecisette castella, cioè Magliano, Govone, Vezza, Piobesi, Castagnito, Castellinaldo, Monteu, San Stefano, Corveglia, Santa Vittoria, Monticolli, Cortanze, Piea, Cellarengo, Montaldo-Roero, Pocapaglia e Casambra[1], di dovere, per quanto stimano cara la grazia nostra, quando a ciò fare saranno dal detto vescovo chiamati, prestargli l'omaggio e riportarne da esso le dovute investiture, mediante il giuramento di fedeltà vassallizia, e di fare verso di esso tutto ciò che come a diretto si sono obbligati; al qual effetto comandiamo ai nostri magistrati, ministri, offiziali di tener mano, acciocchè questa volontà nostra si adempisca, ed in particolare al governatore ed altro che sarà per comandare alla città e contado d'Asti, di assisterli, se ne sarà richiesto, col braccio regio. Volendo che le presenti nostre vengano pubblicate nella città e luoghi sopraddotti, acciocchè non vi sia chi possa pretendere ignoranza, e che alla copia stampata dal nostro stampatore ducale Sinibaldo si presti tanta fede quanto all'istesso originale. Dato in Torino li 11 giugno 1658.

Carlo Emanuel. — V. Monozzo.

§ 2. Cum autem castra memorata in huiusmodi edicto variis temporibus ab episcopis tunc existentibus Astensibus diversis personis in feudum concessa etiam ex confessione ipsiusmet ducis ad venerabilem fratrem episcopum Astensem eiusque mensam episcopalem ex liberà et irrevocabili donatione imperatorum, regum ac piorum fidelium, aliisque legitimis titulis, non autem ad alium quemcumque spectasse et spectare dignoscantur, ac proinde sub alto et supremo dominio ac superioritate nostrà et Romanae Ecclesiae, non autem dicti ducis aut alterius cuiuscumque fuerint ac sint et debeant censeri, necnon feudatarii, vassalli et homines eorumdem castrorum nullius alterius praeterquam nostrae et Apostolicae Sedis superioritati fuerint ac sint vere subiecti, et quemadmodum ipsi nullum alium in supremum dominium recognoscere teneantur vel debent, ita nemini nisi nobis et dictae Sedi liceurit vel liceat iura superioritatis et alti dominii in castra ipsa, vassallos et homines exercere, ideoque assertiones et enunciativae praeiudiciales contentae in praedicto edicto minime subsistineantur, nec deceat illas absque nostrà et eiusdem Sedis animadversione, impugnatione, ac revocatione praetermitti: propterea nos, qui, in suprèmo iustitiae solio a Domino constituti, universarum orbis ecclesiarum gerimus curam, quique iurium illarum et Sedis Apostolicae su- Abolet et annullat praedictum edictum.

1 Forsan legendum *Cossombrato* (R. T.).

mus assertores, ne pastorali officio nostro hac in re quoquo modo deesse videamur, motu proprio, ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictum edictum, seu praeceptum, et in eo asserta ac enunciata quaecumque praeiudicialia, praesertim in illis verbis « come principe, signore, sovrano e vicario imperiale nel contado d'Asti, al quale le detta castella appartengono o soggiaciono, ecc. »; et in illis « e, come[1] principe, sovrano e vicario imperiale suddetto, comandiamo, ecc. », tenore praesentium decernimus et declaramus erroneas et erronea, nulliusque momenti et efficaciae fuisse aut esse, neque per illud, illas et illa, tamquam inania, frivola et inefficacia, ullum vel minimum praeiudicium iuribus nostris et dictae Sedis et ecclesiae Astensis, eiusque episcopis, ac Romanis Pontificibus illatum fuisse, vel esse, neque inferri potuisse, nec ullo unquam tempore posse; et, pro maiori dictae Sedis et ecclesiae cautelâ, eadem praeiudicialia penitus et omnino annullamus, revocamus, cassamus et abolemus, viribusque et effectu quocumque prorsus evacuamus, ac motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus nulla et invalida, revocata, cassa et irrita, viribusque et omni effectu plane vacua fuisse, esse et perpetuo fore et censeri debere, decernimus itidem et declaramus; ita ut, illis minime obstantibus, iura nostra et Apostolicae Sedis dictaeque Astensis ecclesiae semper et omni tempore remaneant, sint et serventur, ac censeri debeant sarta tecta et integra, illaesa et illibata in omnibus et per omnia quemadmodum erant ante editionem praedicti edicti seu praecepti, et perinde ac si illud non emanasset.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes sic, et non aliter, in[2] praemissis omnibus et singulis censeri ac[1] ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac nostram cameram, eiusque officiales quomodocumque nuncupatos, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, necnon legibus imperialibus et municipalibus, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri constitutione de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litterae, etiamsi in eâdem camerâ nullo unquam tempore praesententur et registrentur, nihilominus valeant plenamque roboris firmitatem obtineant, necnon dictae ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo et quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesen-

1 Praeposit. *a* hinc abiicimus (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *ac* pro *in* (R. T.).

1 Male ibid. legit *in* pro *ac* (R. T.).

tibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem, et eâdem auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exempla, etiam impressa, in hac almâ Urbe nostrâ affigantur per aliquem ex cursoribus nostris ad valvas basilicae Principis Apostolorum, vel per quemcumque alium in civitate Astensi, quae sic affixa ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 augusti 1658, pontif. anno IV.

CCVI.

Confirmatio privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum, gratiarum, indulgentiarum etc. fratrum eremitarum Ordinis sancti Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini, necnon communicationis privilegiorum quomodolibet concessorum patribus Ordinis Carthusiensis [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, constituti, privilegia, gratias et indulta, religiosorum virorum, qui spretis seculi illecebris in humilitatis spiritu et vitae regularis observantiâ vota sua Altissimo reddere iugiter satagunt, ordinibus pie provideque concessa, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communimus, et aliàs desuper providemus, prout maturâ consideratione praeviâ, conspicimus in Domino rationi esse consentaneum.

Recenset praecedentes Constitutiones. § 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum prioris generalis et fratrum Ordinis sancti Pauli primi eremitae sub regulâ sancti Augustini nobis expositum fuit, quod dudum ad eiusdem Ordinis favorem emanarunt a felicis recordationis Urbano VIII praedecessore nostro litterae sub plumbo expeditae, quibus aliorum nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum litterae reperiuntur insertae, tenoris qui sequitur, videlicet:

Urbani VIII. § 2. *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Ad apostolicae dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divinâ dispositione vocati, gratos Domino et christianae reipublicae utiles fructus, qui ex religiosis sancti Pauli primi eremitae sub regulâ sancti Augustini, tam ex piâ et religiosâ eorum vivendi normâ, quam ex sollicitis ipsorum religiosorum studiis ac continuis laboribus pro divini nominis gloriâ, ac crebris verbi Dei praedicationibus, necnon sacramentorum ecclesiasticorum administrationibus provenire noscuntur, intra cordis nostri arcana revolventes, ea, quae pro eiusdem Ordinis conservatione et felici gubernio provide statuta fuisse dicuntur, necnon quaecumque privilegia, immunitates, exemptiones, libertates et indulta, praefato Ordini a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quomodolibet concessa,

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] perpetuo firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, et desuper apostolici favoris auxilium impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ioannes XXII regulam sancti Augustini concesserat.

§ 3. Dudum siquidem, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII praedecessorem nostrum accepto quod fratres S. Pauli primi eremitae Ordinis sancti Augustini in Hungariâ et aliis partibus constituti, per austeritatem piae vitae, bonorumque operum actiones, adeo sese reddebant in conspectu Dei et hominum gratiosos, quod eorum exemplo plurimi ad pietatis opera inducerentur, ipsique fratres secundum B. Augustini regulam desiderabant virtutum Domino perpetuum impendere famulatum, dictus Ioannes praedecessor, huiusmodi pium, laudabile, et meritorium propositum et obsequium eorumdem fratrum digne in Domino commendans, et gloriosae memoriae Caroli Hungariae regis et dictorum fratrum supplicationibus annuens, eisdem fratribus regulam antedictam, per eos et eorum successores in suis locis quae habebant et praestante Domino in posterum habituri erant perpetuis futuris temporibus observandam, auctoritate apostolicâ concessit.

Et varia privilegia.

§ 4. Insuper fratribus, eorumque successoribus praedictis, quod in capitulo ipsorum, quoties expediret celebrando, aliquem de eis idoneum in eorum priorem generalem eligere, electum recipere, idemque prior, sic electus, receptus et habitus, in dictos fratres et successores visitationis et correctionis debitae officium exercere, ac ipsos ab excommunicationis sententiâ, si quam eos propter violentam manuum iniectionem in seipsos vel propter statuta dictae regulae violanda incurrere contingeret, iuxta formam Ecclesiae consuetam absolvere valeret; et denique quod ipsi fratres et successores eorum in terris et vineis, quas propriis suis manibus excolebant, et in posterum excolerent, decimas solvere, et ad synodos dioecesanorum eorum venire minime tenerentur, neque ad id inviti compelli possint, indulsit, prout in litteris apostolicis piae memoriae Clementis Papae VII[1] praedecessoris nostri, pro eo quod originales litterae ipsius Ioannis praedecessoris amissae erant, desuper confectis, quarum tenor sequitur, videlicet:

Constitutio Clementis VI.

§ 5. *Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus S. Pauli primi eremitae sub regulâ S. Augustini in Hungariâ et aliis partibus constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.* Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Hinc est quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Ioannis Papae XXII praedecessoris nostri in regestro ipsius praedecessoris repertarum, pro eo quod, sicut vestra petitio nobis nuper exhibita continebat, originales litterae sunt amissae, de regestro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad vestrae supplicationis instantiam praesentibus annotari fecimus, qui[2] talis est:

Item Ioannis XXII.

§ 6. *Ioannes episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Per sanctae contemplationis studium, innocentis vitae meritum, et exercitium laudabilium actionum in fidei fragantiâ, devotionis existentiâ[3], et abundantiâ charitatis Deus omnipotens caput Ecclesiae sanctae suae colitur, et in cultu sui beatissimi nominis suaviter et devote sanctorum memoria renovatur, rependiturque divina gratia his qui supernae maiestatis excellentiae variis et devotis affectibus obse-

1 Heic deest partic. *ut* vel *quo* (R. T.).

1 Legendum *VI* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *quae* pro *qui* (R. T.).

3 Nisi legend. sit *exhibentiâ*, vel simile (R. T.).

quuntur, pro quorum laboribus centuplum et ipsis aeternae vitae gaudium tribuit pro mercede. Sic igitur in sponsâ Christi Ecclesiâ militante fideles Domini virtutum aromatibus redolentes a Romano Pontifice successore B. Petri et Iesu Christi vicario in bonis foveantur[1] operibus, ad illa favorabiliter promoveantur, gratiosis tractentur favoribus, et opportunae tutelae munimine roborentur, ut in pacis pulchritudine quiescentes liberis et quietis mentibus pensum exsolvant Altissimo debitae servitutis; sacramque religionem suprema plantat Apostolicae Sedis auctoritas, et plantatam nutrit dulcedine charitatis, pietatis lenimento prosequitur, et eo libentius et benignius ianuam ei pandit spiritualium gratiarum, quo fidelius et sedulius per viam graditur Domini mandatorum, et, per longanimitatis, humilitatis et patientiae meritum, virtutum tendit ad culmina, et sibi aliisque fidelibus thesaurum impetrat caelestium praemiorum.

Conceditur ut supra relatum fuit.

§ 7. Sane ad nostrum apostolatus auditum relatio fide digna perduxit, quod dilecti filii fratres S. Pauli primi eremitae in Hungariâ et aliis partibus constituti per austeritatem piae vitae bonorumque operum actiones adeo se reddunt in conspectu Dei et hominum gratiosos, quod eorum exemplo plurimi ad pietatis opera inducuntur, quodque ipsi secundum B. Augustini regulam desiderant virtutum Domino perpetuum impendere famulatum. Nos igitur, huiusmodi pium, laudabile, ac meritorium propositum et obsequium eorumdem fratrum, Dei et sanctorum suorum prosequentium laudem et gloriam, in Domino commendantes, et attendentes illa salubria et efficacia fore ad perennis salutis bravium impetrandum, et ut eo libentius dicti fratres divinis beneplacitis se occupent, seque diligentius exerceant in operibus sanctitatis, qui[1] invenisse gaudebunt nos et dictam Sedem sibi gratiosos, propitios et benignos: carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Hungariae illustris, quem ad fratres ipsos specialis devotionis affectum habere percipimus, apostolicam pro fratribus praedictis in hac parte gratiam humiliter implorantis, et eorumdem fratrum devotis supplicationibus annuentes, praelibatis fratribus, auctoritate apostolicâ, regulam concedimus antedictam, per eos et successores ipsorum in locis suis quae habent et praestante Domino habebunt in posterum perpetuis futuris temporibus observandam; memoratis insuper fratribus, eorumdemque successoribus, quod in capitulo ipsorum, quoties expedierit celebrando, aliquem de eis idoneum in eorum priorem generalem eligere et electum recipere valeant et habeant; idemque prior, sic electus, receptus et habitus, in dictos fratres et successores visitationis et correctionis debitae officium valeat exercere, ac ipsos ab excommunicationis sententiâ, si quam eos propter violentam manuum iniectionem in se ipsos vel propter statuta dictae regulae violanda incurrere contigerit, iuxta formam Ecclesiae absolvere consuetam; denique ut praefati fratres, successores eorum, de terris, vineis, quas propriis suis manibus excolunt, et ipsi successores praefati excolent in posterum, decimas solvere et venire ad synodos dioecesanorum eorum minime teneantur, neque ad id compelli possint invitis eisdem fratribus et successoribus et priore, de Sedis eiusdem clementiâ et benignitate solitâ, tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indi-

1 Forsan *foventur*, et sic deinceps alia verba indicativo modo legenda sunt (R. T.).

1 Videtur legendum *quo* pro *qui* (R. T.).

gnationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, XXVI kalendas decembris, pontificatus nostri anno III, Incarnationis vero Dominicae anno MCCCXIX.

§ 8. Ceterum, ut earumdem litterarum tenor praefatus, sic insertus, omnimodam rei seu facti certitudinem habeat, apostolicâ auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterae supradictae, et eadem prorsus eidem tenori fides adbibeatur, quandocumque et ubicumque sive in iudicio vel alibi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nullum ius de novo vobis acquiri volumus, sed antiquum, si quod habetur, tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae annotationis, constitutionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno I, Incarnationis vero Dominicae anno MCCCXLIII.

Gregorii XI concessiones enarrantur.

§ 9. Et deinde piae memoriae Gregorius Papa XI, etiam praedecessor noster, prioris generalis et fratrum tunc existentium huiusmodi[1] tunc inclinatus, eorum domus, in quibus divino vacabant obsequio, sub beati Petri et suâ protectione suscepit, statuens, ut Ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in domibus ipsis auctoritate apostolicâ institutus esse dignoscebatur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observari deberet;

1 Deest *precibus* aut simile (R. T.).

§ 10. Praeterea, ut quascumque possessiones et bona, quae praefatae domus tunc iuste et canonice possidebant, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis poterant adipisci, fratribus praefatis eorumque successoribus firma et illibata permanerent, unà cum ecclesiis, decimis, hortis, vineis, olivetis, pratis, terris, nemoribus, wadis, pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et in omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis, novalium, aut quae propriis manibus aut sumptibus colebant, de quibus aliquis hactenus decimas non perceperat, sive de animalium suorum nutrimentis, nullus ab ipsis fratribus decimas exigere vel extorquere auderet seu praesumeret; liceret quoque iisdem fratribus clericos vel laicos liberos et absolutos a seculo fugientes ad conversionem accipere, et eos absque contradictione aliquâ retinere.

§ 11. Prohibuit insuper, ut nulli fratrum praefatorum post factam in domibus huiusmodi professionem fas esset, nisi prioris sui licentiâ arctioris religionis obtentâ, de iisdem domibus discedere, discedentem vero absque communi litterarum apostolicarum cautione nullus auderet retinere. Praeterea inhibuit ne ullus episcopus vel quaelibet alia persona ad synodos vel ad alios conventus forenses ipsos fratres venire, nec iudicio seculari de propriâ substantiâ vel possessionibus eorum subiacere compelleret, nec ad domos praefatas causâ ordinationis celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publice convocandi venire praesumeret, nec regularem dicti prioris electionem impediret, aut de instituendo vel revocando eo qui pro tempore foret contra statuta eorum Ordinis se aliquatenus intromitteret, illud adiiciens, ut scilicet priores ipsi episcopo, salvo ordine

suo, obedire deberent, et contra statuta Ordinis praefati nullam obedientiam facere compellerentur.

§ 12. Pro conservationibus vero altarium vel ecclesiarum, ordinationibus clericorum, seu pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a dictis fratribus sub praetextu consuetudinis vel alio modo, quicquam auderet extorquere, sed illis haec omnia gratis episcopi dioecesani impenderent, alioquin liceret eis quoscumque mallent catholicos adire antistites, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, qui apostolicâ fieri[1] auctoritate dictis fratribus, quod postularent, impertirentur. Quod si sedes dioecesanorum episcoporum forte vacarent, interim omnia sacramenta ecclesiastica a vicinis episcopis accipere libere absque contradictione possent; ita tamen, ut ex hoc imposterum propriis episcopis nullum praeiudicium generaretur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habeant, si quos episcopos Romanae Sedis gratiam et communionem habentes, et de quibus plenam notitiam haberent, per eos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum et vestium et consecrationes altarium auctoritate apostolicae Sedis recipere valerent.

§ 13. Cum autem generale interdictum terrae adesset, liceret eisdem fratribus, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dedissent interdicto, submissâ voce divina celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines forent promovendi, a dioecesanis susciperent episcopis, si catholici forent, ac gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis haberent, et ea vellent sine pravitate aliquâ exhibere.

1 Forsan legendum *freti* pro *fieri* (R. T.).

§ 14. Prohibuit similiter, ut infra fines suorum locorum nullus, sine consensu dioecesanorum episcoporum et dictorum fratrum, cappellam seu oratorium de novo adstruere auderet, salvis privilegiis Romanorum Pontificum; et ad hoc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibusque personis a dictis fratribus omnino fieri vetuit; sepulturam quoque in ecclesiis ipsorum fratrum liberam esse decrevit, itaut eorum devotioni et extremae voluntati qui se in ecclesiis eisdem sepeliri deliberassent, nisi forte excommunicati vel interdicti aut etiam publici usurarii essent, nullus absisteret; salvis tamen iuribus illarum ecclesiarum, a quibus corpora mortuorum assumerentur.

§ 15. Decimas praeterea et possessiones ad ius ecclesiarum dictorum fratrum spectantes, quae a laicis detinebantur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinebant revocandi, libera esset eisdem fratribus de apostolicâ auctoritate facultas; obeunte vero generali priore praedicto, suorum quomodolibet successorum nullus ibidem qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ praeponeretur, nisi quem dicti fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris, secundum Deum et B. Augustini regulam providerent eligendum. Paci quoque et tranquillitati dictorum fratrum paternâ in posterum sollicitudine providere studens, auctoritate apostolicâ prohibuit, ut inter clausuras locorum dictorum fratrum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam exercere auderet. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus suis Romanis Pontificibus locis dictorum fratrum concessas, necnon liber-

tates et exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter eisdem fratribus indultas, confirmavit. Decernens[1], quod nulli omnino hominum liceret praefatas domos temere perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed ea omnia integra conservarentur illis, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa erant, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicae auctoritate et dioecesanorum episcoporum canonicâ iustitiâ, et in supradictis decimis moderatione concilii generalis, prout in litteris ipsius Gregorii praedecessoris in hunc qui sequitur modum;

Litterae Gregorii XI ex integro recensentur.

§ 16. *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali et fratribus S. Pauli primi eremitae, in Hungaria et aliis mundi partibus constitutis sub regulâ S. Augustini, tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis.* In perpetuum religiosam vitam eligentibus apostolicam[2] convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sanctae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et domos vestras, in quibus divino vacatis obsequio, sub divi Petri et nostrâ protectione suscepimus[3] et praesentis scripti privilegio communimus.

§ 17. In primis siquidem statuentes, ut Ordo canonicus, qui secundum Deum et divi Augustini regulam in domibus ipsius auctoritate apostolicâ institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones et quaecumque bona, quae praedictae domus impraesentiarum

1 Male edit. Main. legit *decernentes* (R. T.).
2 Videtur legendum *apostolicum* (R. T.).
3 Videtur legendum *suscipimus* (R. T.).

iuste et canonice possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, loca ipsa, in quibus praedictae domus sitae sunt, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet cum ecclesiis, decimis, hortis, vineis, olivetis, pratis, terris, nemoribus, wadis, pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et in omnibus aliis libertatibus et immunitatibus, seu novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus decimas non percepit, sive ad[1] vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

§ 18. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliquâ retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in domibus vestris professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentâ licentiâ, de iisdem domibus discedere, discedentem vero absque communi litterarum nostrarum cautione nullus audeat retinere. Insuper etiam auctoritate apostolicâ inhibemus ne ullus episcopus vel quaelibet alia persona ad synodos vel ad alios conventus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propriâ substantiâ vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causâ ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire praesumat, nec regularem prioris vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Ordinis vestri se aliquatenus intromittat; illud adiicien-

1 Supra in loc. parall. legitur *de* pro *ad* (R.T.).

tes, ut scilicet priores ipsi episcopo, salvo Ordine suo, obedire debeant, et contra statuta Ordinis sui nullam obedientiam facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium, vel ecclesiarum, ordinationibus clericorum, pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis, sub praetextu consuetudinis vel alio modo, quicquam audeat extorquere, sed haec omnia gratis vobis episcopi dioecesani impendant; alioquin liceat vobis quoscumque malueritis catholicos adire antistites, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentes, qui, nostrâ freti auctoritate, vobis quod postulatis impendant. Quod si sedes dioecesanorum episcoporum forte vacaverint, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere absque contradictione possitis; sic tamen, ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum praeiudicium generetur.

§ 19. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quos episcopos Romanae Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentes, et de quibus plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictiones vasorum et vestium, et consecrationes altarium, auctoritate Apostolicae Sedis recipere valeatis.

§ 20. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressâ voce divina officia celebrare; chrisma etiam, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi a dioecesanis suscipietis episcopis, si quidem catholici fuerint, et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerint, et ea vobis voluerint sine pravitate aliquâ exhibere.

§ 21. Prohibemus insuper, ut infra fines locorum vestrorum nullus sine consensu dioecesanorum episcoporum vestrorum cappellas seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum, et ad hoc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis seu decanis et aliis omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus; sepulturam quoque in ecclesiis vestris liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se in iisdem ecclesiis sepeliri deliberarint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen iustitiâ illarum ecclesiarum, e quibus corpora mortuorum assumuntur.

§ 22. Decimas praeterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostrâ auctoritate facultas.

§ 23. Obeunte vero generali vestro priore, suorum quomodolibet successorum nullus ibidem qualibet subreptionis astutiâ seu violentiâ proponatur, nisi quem fratres communi consensu fratrum, vel maior pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestrae paternâ imposterum sollicitudine providere studentes, auctoritate apostolicâ prohibemus, ut intra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

§ 24. Propterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus locis vestris concessas, necnon libertates et exemptiones secula-

rium exactionum, a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolicâ confirmamus et praesentis scripti privilegio communimus.

§ 25. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatas domos temere perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed ea omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolicae auctoritate et dioecesanorum episcoporum canonicâ iustitiâ, et in supradictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congruâ satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio excommunicationis existere de perpetratâ iniquitate dignoscat, et a sanctissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremâ exterminatione districtae subiaceat ultioni.

§ 26. Cunctis autem eisdem domibus sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Avenione, per manum Petri tituli S. Anastasiae presbyteri cardinalis sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, XII die mensis septembris, indictione IX, anno ab Incarnatione Domini MCCCLXXI, pontificatus vero dicti Gregorii XI Papae anno I.

Subscriptiones. Item praedictus sanctissimus pater Gregorius XI propriâ manu se subscripsit, signum suum apponendo; et omnes domini cardinales etiam propriis manibus se subscripserunt ad maiorem efficaciam et certitudinem concessorum; item Guido Portuensis tituli S. Rufinae, episcopus; item Raymundus episcopus Praenestinus; item frater Guilielmus episcopus Ostiensis et Velletriensis; item Ægidius Tusculanus; item Ioannes tituli S. Mariae presbyter cardinalis; item Guilielmus tituli S. Stephani in Caelio Monte presbyter cardinalis; item Guilielmus tituli S. Clementis presbyter cardinalis; item Stephanus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis; item Franciscus tituli S. Sabinae presbyter cardinalis; item Petrus S. Praxedis presbyter cardinalis; item Ioannis tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis; item frater Bernardus tituli S. Priscae presbyter cardinalis; item Robertus basilicae XII Apostolorum presbyter cardinalis; item Guilielmus tituli S. Vitalis presbyter cardinalis; item Ioannes tituli S. Marcelli presbyter cardinalis; item Petrus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis; item Ioannes tituli S. Ioannis in Lucina presbyter cardinalis; item Raynaldus diaconus cardinalis; item Guilielmus S. Angeli diaconus cardinalis; item Iacobus S. Georgii ad Velum Aureum, diaconus cardinalis; item Petrus S. Eustachii diaconus cardinalis; item Ugho S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis; item Petrus... S. Mariae in Viâ Latâ diaconus cardinalis.

§ 27. Et successive piae memoriae Bonifacius Papa VIII[1] similiter praedecessor noster, omnia et singulas[2] libertates, immunitates, privilegia et indulgentias et facultates abbati pro tempore existenti ac monachis Ordinis Carthusiensis, eorumque monasteriis seu locis, ab Apostolicâ Sede quomodolibet concessa seu indulta, eisdem fratribus sancti Pauli, eorumque monasteriis et locis, dummodo

Deinde Bonifacius Papa IX concessit fratribus S. Pauli privilegia Carthusiensium.

1 Ex datâ inferius positâ lege potius *IX* (R. T.).
2 Potius lege *singula* (R. T.).

essent canonice instituta, communicavit. Et quod prior generalis et ceteri priores seu locatenentes Ordinis fratrum Eremitarum praedictos suos fratres novitios et conversos absolvere, et cum eis dispensare in casibus, in quibus abbas et priores dicti Ordinis Carthusiensis poterant, libere et perpetuo possent indulsit, prout in ipsius Bonifacii praedecessoris litteris tenoris sequentis, videlicet:

Constitutio Bonifacii IX refertur.

§ 28. *Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali et fratribus sancti Pauli I eremitae Ordinis S. Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.* In sinu Sedis Apostolicae cum Ordo ac sacra religio, sub qua virtutum Domino devotum impenditis famulatum, consistentes, sic splendent[1] per virtutum incrementa, quod digne merentur praecipuis attolli favoribus et spiritualibus gratiis confoveri; nos quidem Ordinem ipsum libenter prosequimur praerogativâ favoris, et augmenta suorum processuum paternis affectibus promovemus.

§ 29. Hinc est quod nos, volentes quod idem Ordo felicioribus exinde augeatur auspiciis, et tanto salubrius possitis reddere Domino vota vestra, quanto potioribus fueritis gratiis et libertatibus a Sede Apostolicâ communiti, vestris hac in parte supplicationibus inclinati devotis, omnia et singula libertates, immunitates, privilegia, indulgentias et facultates, quae hic ex certâ scientiâ praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, dilectis filiis patri abbati pro tempore existenti ac fratribus monachis Ordinis Carthusiensis eorumque monasteriis seu locis ab Apostolicâ Sede quomodolibet concessa, seu indulta, vobis et monasteriis ac locis vestris, dummodo sint canonice instituta, ut eis uti et gaudere, et quod prior generalis ac ceteri priores seu locatenentes dicti vestri Ordinis possint suos fratres novitios et conversos absolvere, et cum eis dispensare in casibus, in quibus pater abbas et priores dicti Ordinis Carthusiensis possunt, libere et perpetuo valeatis, vobis auctoritate apostolicâ de speciali gratiâ (constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus, tam praefatarum quam omnium aliarum ordinationum, ac aliis contrariis non obstantibus quibuscumque) tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, VIII kalendas martii, pontificatus nostri anno XII, Incarnationis vero Dominicae MCCCXC.

§ 30. Ad hoc dictus Gregorius praedecessor, intuitu et contemplatione gloriosae etiam memoriae Ludovici regis Hungariae, monasteria, prioratus et loca dictorum fratrum sancti Pauli, quae tunc habebant et iustis modis in posterum obtinerent, cum ecclesiis seu oratoriis eorumdem ac personis in eis degentibus, a iurisdictione ac dominio et potestate dioecesanorum et quorumcumque ordinariorum iudicum exemit et totaliter liberavit, districtius inhibens dioecesanis et aliis Ordinariis quibuscumque, ne in monasteria, prioratus vel loca huiusmodi, aut ecclesias et oratoria eorumdem, vel personas in illis degentes, iurisdictionem aliquam exercere praesumerent; ac decernens[1] monasteria, prioratus ac loca, necnon ecclesias, oratoria et personas huiusmodi sibi et Apostolicae Sedi immediate subiecta esse, prout in infrascriptis eiusdem

Iterum Gregorius IX immunitates Ordinis ampliavit.

[1] Forsan legendum *splendeant* (R. T.).

[1] Male edit. Main. legit *decernentes* (R. T.).

Gregorii praedecessoris, quarum tenor sequitur:

Gregorii XI aliae litterae recensentur.

§ 31. *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali et fratribus sancti Pauli primi Eremitae sub regulâ S. Augustini in Hungariâ et aliis mundi partibus constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.* Sacrae vestrae religionis, sub qua mundanis abiectis illecebris devotum ac sedulum impenditis Domino famulatum, promeretur honestas, ut, vos et loca vestra specialibus gratiis et favoribus prosequentes, illa vobis libenter concedamus, per quae divinis obsequiis ac studio piae vitae quietius et liberalius vacare possitis.

§ 32. Hinc est quod nos, consideratione carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Hungariae illustris nobis super hoc humiliter supplicantis et vestris in hac parte supplicationibus inclinati, monasteria, prioratus, ac loca vestra, quae impraesentiarum habetis, et praestante Domino iustis modis in posterum obtinebitis, cum ecclesiis seu oratoriis eorumdem, ac personis in eis degentibus praesentibus et futuris, a iurisdictione ac dominio et potestate dioecesanorum et quorumcumque ordinariorum iudicum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, eximimus et totaliter liberamus: districtius inhibentes dioecesanis et aliis ordinariis quibuscumque, ne in monastreria, prioratus, vel loca vestra, aut ecclesias et oratoria eorumdem, vel personas in illis degentes, praesentes vel futuras, iurisdictionem aliquam exercere praesumant; ac decernentes, auctoritate praefatâ, monasteria, prioratus, ac loca, necnon ecclesias, oratoria, ac personas huiusmodi, nobis et Apostolicae Sedi immediate subesse, ac irritum et inane, si secus super hoc a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae[1], XVI kalendas octobris, Pontificatus nostri anno VII, Incarnationis vero Dominicae MCCCLXXVII.

Martinus V transitum ad alias religiones prohibuit.

§ 33. Et denique per felicis memoriae Martinum Papam V praedecessorem nostrum accepto quod antea dictus Bonifacius Papa VIII[2] praedecessor, ipsorum prioris et fratrum precibus annuens, et cupiens ut praefatus illorum Ordo eo felicioribus proficeret incrementis, quo maioribus gratiis foret ab eâdem Sede Apostolicâ communitus, auctoritate apostolicâ et irrefragabili constitutione prohibuerat, ne aliqui vel aliquis, cuiusvis status, gradus seu conditionis existeret vel existerent, aliquam personam religiosam vel fratrem dicti Ordinis professum vel conversum de dicto Ordine in fratrem alicuius alterius Ordinis paris seu etiam arctioris recipere, seu aliàs ad professionem admittere, sine speciali licentiâ et Apostolicae Sedis potestate faciente plenam et expressam de verbo ad verbum de prohibitione huiusmodi mentionem, de cetero sub excommunicationis poenâ quovis modo praesumeret seu praesumerent, prohibitionem praesentem, ac inde secuta quaecumque, eâdem apostolicâ auctoritate approbavit et confirmavit; et, per alias litteras, personas dictorum fratrum et loca, in quibus divino essent mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quae tunc rationabiliter possidebant, aut in futurum iustis modis adipisci poterant, sub S. Petri protectione suscepit, atque decimas, terras, possessiones, domos, vineas, hortos et alia bona

1 Sic legit edit. Main. (R. T.).

2 Ex supra et infra diversis legendum IX (R. T.).

eorumdem fratrum, necnon omnes immunitates et libertates eis a praedecessoribus suis Romanis Pontificibus concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus, principibus et aliis christifidelibus rationabiliter ipsis fratribus et eorum locis huiusmodi concessas confirmavit, prout in ipsius Martini praedecessoris, quarum tenor sequitur:

Litterae Martini V.

§ 34. ***Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*** Sedis Apostolicae providentia circumspecta personas sub regulari observantiâ vacantes assiduo studio piae vitae, benigno favore prosequimur[1], et quae pro ipsarum complectendis indemnitatibus ac religionis perseverantiâ pariter et augmento providâ deliberatione facta fuere, ut illibata persistant, solidiorem apostolici roboris consuevit adiicere firmitatem. Dudum siquidem Bonifacius, in suâ obedientiâ, sub qua dilecti filii prior et fratres S. Pauli primi eremitae Ordinis sancti Augustini tunc persistebant, IX nominatus, ipsorum prioris et fratrum precibus annuens, ac cupiens ut Ordo praefatus eo felicioribus proficeret incrementis, quo maioribus gratiis foret ab eâdem Sede communicatus[2] auctoritate apostolicâ et irrefragabili constitutione prohibuit, ne aliquis vel aliqui, cuiusvis status, gradus seu conditionis existeret vel existerent, aliquam personam religiosam vel fratrem dicti Ordinis professum vel conversum de dicto Ordine in fratrem alicuius alterius Ordinis paris seu etiam arctioris recipere, seu aliàs ad professionem admittere, sine speciali licentiâ Sedis praefatae faciente plenam ac expressam ac de verbo ad verbum de prohibitione huiusmodi mentionem, de cetero sub excommunicationis poenâ, quam contrafacientes incurrere voluit eo ipso, quovis modo praesumerent, prout in suis litteris desuper confectis plenius continetur.

§ 35. Quare pro parte dictorum prioris et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut prohibitionem ac litteras huiusmodi potioris Sedis Apostolicae muniminis praesidio fulcire benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, prohibitionem ac litteras praedictas ac inde sequuta quaecumque rata habentes et grata, illa eâdem auctoritate approbamus pariter et confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis et communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Constantiae, III kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

§ 36. Et in aliis eiusdem Martini praedecessoris, scilicet:

Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali, vicariis et prioribus, ac universis fratribus S. Pauli primi eremitae Ordinis sancti Augustini ubicumque consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam etiam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducuntur[1] effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, quibus licet habere possessiones et proprium in communi ex indulto Sedis Apostolicae speciali, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et loca in quibus divino estis mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quae

1 Videtur legendum *prosequi* (R. T.).

2 Ex supradictis legendum *communitus* (R. T.).

1 Potius lege *perducatur* pro *perducuntur* (R. T.)

in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostrâ speciali auctoritate decimas, terras, possessiones, domos, vineas, hortos et alia bona vestra, necnon omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegium vel alias indulgentias vobis et locis vestris concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum, a regibus, principibus vel aliis christifidelibus rationabiliter vobis et iisdem locis vestris concessas, sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos eisdem locis vestris apostolicâ auctoritate confirmamus et praesentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis et communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum de Cennis, VII kalendas iunii, pontificatus nostri anno I, Incarnationis vero Domini nostri MCDXVII.

Prout[1] singulis praeinsertis litteris plenius continetur.

Urbanus VIII praedicta confirmat. § 37. Quare pro parte dilecti filii moderni prioris generalis et fratrum S. Pauli huiusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus litteras praefatas, ac privilegia et indulta, facultates, libertates, aliaque praemissa, pro firmiori eorum subsistentiâ, apostolicâ auctoritate approbare et confirmare, aliaque in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 38. Nos igitur, qui iustis et honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, modernos priorem praefatum et fratres S. Pauli huiusmodi et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, super causis ad episcopos et regulares spectantibus praepositorum, dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscae presbytero cardinale Mulo nuncupato referente, singulas litteras praedictas, ac privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, praerogativas, praeeminentias, concessiones, indulgentias, favores et alias gratias universas spirituales et temporales priori generali et fratribus S. Pauli, eorumque Ordini, ac ecclesiis, cappellis, oratoriis, domibus et aliis locis, bonis et rebus praefatis, tam per praedictos, uti praemittitur, ac alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam per viam extensionis et communicationis, quam per quoscumque imperatores, reges, duces et alios principes ac personas seculares quomodocumque et qualitercumque concessas[1], cum omnibus et singulis inde legitime secutis et sequendis (quatenus privilegia huiusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa, et salvâ Concilii Tridentini quoad exemptionem a iurisdictione episcoporum et ordinariorum, et circa accessum ad synodum, benedictiones vasorum ac vestium, necnon altarium consecrationes, dispositione, et circa novitio-

1 Particulam *prout* et distinctionem nos addimus; etenim heic prosequitur bullae Urbani VIII (R. T.).

1 Aptius lege *concessa* (R. T.).

rum receptionem salvâ pariter dispositione constitutionum apostolicarum et institutionum generalium et praeterquam quoad agriculturam propriis eorum manibus faciendam), apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, grataque et rata habemus, ac denuo concedimus, necnon illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quarumcumque de iure usu vel consuetudine aut aliàs quomodolibet requisitarum vel necessariarum, et quosvis alios quantumvis substantiales defectus, si qui quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possit in eisdem, dictâ auctoritate apostolicâ supplemus.

His addit firmitatem. § 39. Decernentes litteras, privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, praerogativas, praeeminentias, concessiones, indulgentias, licentias, favores et alias gratias praedictas perpetuo validas et efficaces, ac valida et efficacia esse et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere, necnon priori generali et fratribus sancti Pauli et eorum Ordini, illiusque ecclesiis, cappellis, oratoriis, domibus et aliis locis, rebusque et bonis praedictis suffragari, illasque et illa, tam per priorem generalem, provinciales, eorumque vicarios, definitores, aliosque superiores et officiales nunc et pro tempore existentes dicti Ordinis sancti Pauli, quam quoscumque alios, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere, ab illisque resiliri et recedi nunquam posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 40. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de gratiis et indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis sancti Pauli, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illi, illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda, aut quaevis alia espressio habenda, vel aliqua esquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantia tollit.

§ 41. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, vel impressis, ac sigillo alicuius praelati, aut generalis eiusdem Ordinis sancti Pauli, vel personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, ac in Romanâ curiâ et extra eam, ac si originales litterae forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum suppletionis, decreti derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipoten-

tis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII [1], idibus februarii, pontificatus nostri anno I.

Nova fratrum petitio.

§ 42. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ordo sancti Pauli primi eremitae, et seu eius prior generalis et fratres in litteris praeinsertis Ordinis sancti Augustini per errorem denominentur et nuncupentur, quippe qui sub regulâ quidem eiusdem sancti Augustini ex concessione Sedis Apostolicae vivant, non tamen dicti Ordinis sancti Augustini existant; cumque firmiora et illibatiora persistant illa, quae saepius apostolici muniminis constabiliuntur praesidio, nobis propterea praedicti prior generalis et fratres exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Petitis annuit Alexander VII.

§ 43. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[2] fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Ordinem sancti Pauli primi eremitae huiusmodi, et seu eius priorem generalem et fratres in praeinsertis litteris Ordinis sancti Augustini per errorem denominatos et nuncupatos fuisse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, ipsosque priorem generalem et fratres proinde Ordinis sancti Pauli primi eremitae, sub regulâ eiusdem S. Augustini, non autem Ordinis sancti Augustini denominari, dici et nuncupari debere statuimus et decernimus.

Confirmat litteras Urbani VIII.

§ 44. Praeterea singulas Urbani et aliorum praedecessorum litteras apostolicas praeinsertas, ac privilegia, indulta, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, praerogativas, praeeminentias, indulgentias, favores et alias gratias universas, spirituales et temporales, dicto Ordini sancti Pauli primi eremitae, eiusque priori generali et fratribus, necnon ecclesiis, cappellis, oratoriis, domibus et aliis locis, bonis et rebus praefatis, tam per praedictos, ut praefertur, et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros tam[1] per viam extensionis et communicationis, quam per quoscumque imperatores, reges, duces et alios principes ac personas seculares quomodocumque et qualitercumque respective concessas et concessa, cum omnibus et singulis inde legitime secutis et secuturis (quatenus tamen privilegia huiusmodi sint in usu, nec hactenus revocata, aut sub aliquâ revocatione comprehensa) et aliâs iuxta praeinsertas Urbani praedecessoris litteras (sublato et correcto dumtaxat errore circa denominationem et nuncupationem dicti Ordinis sancti Pauli primi eremitae et seu eius prioris generalis et fratrum, sicut praemittitur, commisso) auctoritate et tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in iisdem, supplemus.

Decretum irritans.

§ 45. Decernentes easdem praesentes, ac praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac praedicto Ordini sancti Pauli primi eremitae, eiusque priori generali et fratribus, et aliis ad quos quoquo modo spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari,

1 Oportet legere 1624 (R. T.).

2 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

1 Potius lege *etiam* (R. T.).

sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales et de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio obstantium.

§ 46. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus quomodolibet adversantur, praeinsertis litteris, necnon omnibus et singulis quae in eisdem litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 47. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo prioris generalis dicti Ordinis sancti Pauli primi eremitae vel alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 septembris 1658, pontif. anno IV.

CCVII.

Breve confirmationis contractus unionis seu consortii ecclesiae S. Iuliani, ac modi eligendi officiales inter universitates cauponum, seu hospitum et albergatorum Urbis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Ex commissae nobis divinitus dispensationis officio controversias inter universitatem stabulariorum seu albergatorum ex unâ, et universitatem cauponum, seu hospitum, necnon hospitum albergatorum mixtorum de Urbe ex alterâ partibus, de et super praetensâ rescissione sive nullitate contractus unionis seu consortii ecclesiae S. Iuliani, et aliis hinc inde deductis praetensionibus, et signanter super electione guardianorum et officialium earumdem universitatum subortas dirimere cupientes,

Statuit ut in rubrica.

§ 1. De congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum Urbis praedictae a nobis institutae deputatorum consilio, auditis pluries, per venerabilem fratrem Marcum Antonium episcopum Hierapolitanum unum ex praelatis et exequutorem decretorum eiusdem congregationis, partibus praefatis, earumque rationibus et iuribus ponderatis, ad conservandam unitatem, concordiam et pacem inter easdem universitates, illarumque homines, et ut omnis inter eos dissensionis fomentum de cetero praecidatur, ac illi in unum fraternâ charitate convivant,

§ 2. Instrumentum unionis et concessionis consortii antedictae ecclesiae S. Iuliani, licet nondum Sedis Apostolicae auctoritate in vim litterarum felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis expeditarum confirmatum, inter partes praedictas servandum esse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus.

§ 3. Praeterea, quod fructus locorum quinque montis salis secundae erectionis, provenientes ex pretio communicationis dictae ecclesiae soluto per universitatem hospitum seu cauponum, spectent et sint proprii ac ad liberam dispositionem antedictae universitatis albergatorum, reliqui vero fructus aliorum duorum locorum eiusdem montis, quae remanent et continentur in litteris patentibus die XXVIII aprilis MDCXLIV et die XVI novembris MDCXLV expeditis, sint pariter et spectent ad libe-

ram dispositionem universitatis hospitum seu cauponum, ita tamen ut fructus praedicti erogari non possint nisi in usum et beneficium dictae ecclesiae olim S. Iuliani, nunc autem sub invocatione Ss. Martini et Iuliani, auctoritate et tenore praedictis, statuimus et ordinamus.

§ 4. Volentes quod in futurum eligantur sex guardiani, duo scilicet ex simplicibus albergatoribus, alii duo ex hospitibus seu cauponibus, reliqui vero duo ex hospitibus albergatoribus mixtis: et ad effectum praedictum fieri debeant tres pyxides, seu bussolae, in quibus ponantur, seu imbussolentur personarum universitatum huiusmodi nomina, extrahenda solitis temporibus; et idem proportionabiliter servetur in ceteris officialibus earumdem universitatum. In reliquis vero observentur ipsarum universitatum statuta, necnon conventiones et disposita in praedicto instrumento consortii, quibus nullatenus censeatur derogatum.

§ 5. Ceterum praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, illisque ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, memoratarum universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 septembris 1658, pontif. anno IV.

CCVIII.

Super contributione ecclesiasticorum regnorum Castellae et Legionis in decem novem millionibus et dimidio pro defensione fidei catholicae dictorum regnorum, et praesertim adversus invasiones Anglorum haereticorum quas rex catholicus sustinet[1].

Carissimo in Christo filio nostro Hispaniarum regi catholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus ac singularis in nos et Apostolicam Sedem devotio, aliaque catholici nomine optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro eiusdem fidei et dominiorum tuorum, praesertim adversus haereticorum conatus defensione, a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio, adiuvemus. Prooemium.

§ 1. Cum itaque[2], sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum regnorum Castellae et Legionis in eorum comitiis seu curiis in- Supplicatio

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similes vide tom. XV, pag. 347 et 665 (R. T.).

frascriptum subsidium maiestati tuae praestare prompte obtulerint, et ad praedictum effectum consenserint impositioni gabellarum seu sisarum super vino, aceto, oleo et carne, videlicet octavae partis specierum vel pretii vini, aceti et olei, ac, ultra sisas super carne antea impositas, et trium regalium[1] pro quolibet capite pecudum, et trium morapetinorum pro qualibet librâ carnis quae minutatim venditur, sexdecimque morapetinorum pro qualibet mensurâ *arroba* nuncupatâ vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensurâ *acumbre* nuncupatâ vini etiam sisati, ac sexdecim morapetinorum pro qualibet mensurâ olei *arroba* nuncupatâ, et quatuor morapetinorum pro qualibet librâ candelarum de sevo, et saponis, vel aliàs verioribus quantitatibus impositarum et auctarum, quae sunt exigendae et percipiendae duranto sexennio incepto a primâ die mensis augusti MDCLVI, nempe pro summâ decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ad rationem trium millionum et ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetae Hispaniae quolibet anno praedicti sexennii solvendâ ex praedictis gabellis seu sisis super praedictas rerum species, ut praefertur, impositis et auctis, ita ut omnes tam laici quam ecclesiastici praedictorum regnorum non solum ementes et vendentes, sed etiam illi qui praedictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis vel affictibus, aut respective emunt in uvis vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habent et consumunt, ita ut omnes laici cuiuscumque status, gradus, conditionis ac praeeminentiae ad id subsidium contribuere, ac gabellas seu sisas huiusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis aut exemptus esset; ecclesiastici quoque eorumdem regnorum, si et postquam nostra et huius sanctae Sedis licentia et approbatio accesserit, in subsidio huiusmodi scilicet in praedictis gabellis super eisdem speciebus impositis et auctis contribuere, ac gabellas seu sisas praedictas iuxta litterarum nostrarum in formâ Brevis super praedictâ licentiâ seu approbatione expediendarum formam, continentiam et tenorem persolvere deberent: idcirco pro parte eiusdem maiestatis tuae nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris cleri, ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum ad contribuendum in praedicto sexennio, incepto a praedicto mense augusti anni MDCLVI et ut sequitur usque ad mensem augusti MDCLXII finiendo, in praedictis sisis et gabellis iam, ut praefertur, impositis et auctis pro solutione praedictorum millionum decem et novem cum dimidio alterius millionis, attento quod, ut maiestas tua asserit, hactenus actum fuerit, et de praesenti agatur de communi defensione et interesse tam laicorum quam cleri, ecclesiarum, locorum piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, quodque facultates laicorum ad summam praedictam conficiendam eâ qua expedit celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

Imponit contributionem decem novem millionum ecclesiasticis regnorum Castellae.

§ 2. Nos igitur, nedum promptam et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam maiestatis tuae erga fidem catholicam zelum commendantes, et ad ingentes sumptus, quibus maiestas tua gravatur ob assidua quae pro defensione fidei catholicae, tuorumque regnorum et dominiorum iugiter in pluribus orbis partibus et praesertim adversus invasiones Anglorum haereticorum sustinet bella, paternae dirigentes considerationis intuitum; motu

[1] Perperam ed. Main. legit *regularium* pro *regalium* (R. T.).

proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeviâ etiam respectu exactorum hactenus a praedictâ primâ die augusti absolutione a quibuscumque censuris et poenis quam tenore praesentium concedimus, volentes maiestatem tuam favore prosequi gratioso, clerum, omnesque et singulas ecclesias, loca pia, personasque ecclesiasticas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis, etiam exempti, etiam Societatis Iesu, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus, et collegia, ac capitula quarumcumque ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis praedictorum, ac in eisdem regni commorantes et commorantia et respective consistentes et consistentia, ad conferendum et contribuendum pro eorum ratâ ad instar laicorum in dictis gabellis seu sisis, quoad praedictam summam dumtaxat decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis praedictorum monetae illorum regnorum, mediante scilicet solutione praedictarum gabellarum seu sisarum in praedictâ quantitate tantum et super praedictis rerum speciebus dumtaxat in dictis regnis colligendis et consumendis, ut praefertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a praedicto mense augusti anni MDCLVI ut praemittitur inchoato et ut sequitur finiendo, et non ultra, teneri et obligatos esse (non tamen quoad praedictas rerum species, quas clerus, ecclesiae, locaque pia praedicta et personae ecclesiasticae praedictae ex propriis terrenis seu decimis et aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis et erogatis ac ipsis traditis percipiunt, et pro divino cultu seu propriis vel familiarum suarum usibus, iuxta taxationem, ubi super his partes discordes fuerint, ad instantiam cuiuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos seu ab eis deputatos faciendam, consumunt, pro quibus omnino immunes et exempti sint), et, elapso praedicto sexennio, exactio respectu ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis praetextu vel causâ continuari possit, etiamsi integra summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis huiusmodi adhuc non fuisset exacta, quodque, si ante finem sexennii praedicti summa decem et novem millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum huiusmodi confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictas gabellas seu sisas, ut praefertur, solvere non debeant, sed praesens gratia expiret, nullaque sit eo ipso;

Clerum, ecclesias, etc. gravari minime aliis oneribus indicat et decernit.

§ 3. Quodque clerus, ecclesiae, loca pia et personae ecclesiasticae praedictae durante praedicto sexennio non possit gravari ratione cuiusvis alterius novi augmenti praedictarum gabellarum et sisarum super eisdem, ac novae impositionis aliarum gabellarum et sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus *iuros* nuncupatis, de laicorum tantum consensu aliàs erectis et impositis, eorumque fructibus, nisi si et postquam beneplacitum nostrum seu a successoribus nostris concessum fuerit, aliàs, in quolibet casu contraventionis, quilibet contraveniens eo ipso absque aliâ monitione et declaratione sententiam excommunicationis maioris, reservatâ illius, ut infra exprimitur, absolutione, incurrat, et ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur, tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus. Volentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praefati solvere recusantes, opportunis iuris et facti remediis, per Ordinarios locorum ecclesiasticos tan-

tum ad solutionem huiusmodi cogantur, non autem coram iudicibus laicis sive exactoribus earumdem gabellarum sive sisarum, neque coram quibusvis aliis iudicibus laicis aut ministris (sub poenâ excommunicationis maioris et aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis ipso facto sine aliâ monitione et declaratione incurrendis, a quibus a nemine praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente absolvi etiam vigore quorumcumque privilegiorum apostolicorum, etiam cruciatae sanctae, nequeant) conveniri ullo modo possint seu debeant, sed a praedictis ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant, quibus ordinariis sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a divinis, necnon omnibus et singulis eiusdem maiestatis tuae officialibus et ministris, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis et praeminentiae fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali notâ dignis, etiam Apostolicae Sedis delegatis et commissariis, etiam cruciatae praedictae, ceterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, sub praedictâ excommunicationis maioris poenâ, ut praefertur, eo ipso incurrendâ, eius absolutione itidem ut supra reservatâ, ac sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae districte praecipiendo mandamus, ne ecclesias et loca praedicta, ac clerum et ecclesiasticos, aliosque praedictos, indebite, neque ultra, praeter aut contra continentiam et tenorem praesentium nostrarum litterarum, gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et nedum contra quoscumque contravenientes et quomodolibet inobservantes ad sententiarum et poenarum praedictarum declarationem et promulgationem respective, sed etiam contra eosdem ecclesiasticos et regulares etiam exemptos, nobisque et Sedis Apostolicae immediate subiectos, etiam Societatis Iesu, solvere recusantes, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, etiam executive, ac quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant.

Subsidium in millionibus alias cessare iubet.

§ 4. Volumus autem quod istud subsidium respectu contributionis cleri et ecclesiarum, locorumque piorum et personarum ecclesiasticarum praedictorum regnorum, scilicet decem et novem millionum praedictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis, succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum et impositionum, etiam pro militibus et aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per felicis recordationis Innocentium Papam X aliosque praedecessores nostros hactenus approbatorum et concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a clero, nec a quoquam ecclesiarum, locorumque piorum et ecclesiasticorum praedictorum exigi possit, quodque pecuniae, ex praedictis subsidiis et gabellis seu sisis, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis exigendae, in praedictos et non alios usus convertantur, super quo eiusdem maiestatis tuae eiusque ministrorum et officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque, et non aliter, quovis praetextu, ratione vel causâ, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ quacumque omnibus et singulis, cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, praeeminentiae et dignitatis etiam ecclesiasticae, etiam individuâ mentione dignis, quomodolibet in contrarium iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari, interpretari et

definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ecclesiis, regnis, personis, capitulis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 septembris 1658, pontif. anno IV.

CCIX.

Confirmatio facultatis cognoscendi certas causas appellationum praesidentibus collegii doctorum iuris utriusque civitatis Perusinae a Leone X concessae et a Clemente VIII confirmatae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Procemium. Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Perusinae erga nos et Romanam gerere comprobantur Ecclesiam, promeretur, ut eos specialis favore gratiae prosequamur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt communitas et homines praedicti, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXX iulii MDXCIII expeditas litteras, inter alia, concessionem super facultate cognoscendi per praesidentes collegii doctorum iuris utriusque universitatis studii generalis civitatis praefatae causas appellationum a sententiis vicelegatorum, gubernatorum et aliorum quorumcumque eiusdem civitatis iudicum, summam centum ducatorum non excedentes, a recolendae memoriae Leone Papa X praedecessore pariter nostro factam, ac ipsius Leonis praedecessoris litteras desuper expeditas, quatenus essent in usu, confirmavit et approbavit; inhibens legatis, vicelegatis et gubernatoribus praedictis, in virtute sanctae obedientiae, ne ex tunc in posterum ipsi vel eorum aliquis causas huiusmodi, postquam coram dictis praesidentibus introductae fuissent, avocare et aliis iudicibus committere, aut quoquo modo iurisdictionem ipsam impedire valerent seu praesumerent; ac decernens omnia et singula contra praemissa acta, proces-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

sus et sententias nullius roboris vel momenti fore, minimeque exequi posse aut debere.

Confirmat facultatem cognoscendi causas aliàs concessam praesidentibus collegii doctorum civitatis Perusinae.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, qui novissimis temporibus fuerunt civitatis praefatae gubernatores memoratas causas appellationum in ipsis concessionis supra expressae terminis a praefatis praesidentibus avocare tentaverint; dictique exponentes propterea, ne concessio huiusmodi, quae, ut asserunt, adhuc in usu est, et publicae eiusdem civitatis utilitati valde conducit, labefactetur[1], opportune sibi a nobis in praemissis provideri summopere desiderent: nos, eorumdem exponentium votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon praefatarum Leonis et Clementis praedecessorum litterarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, supplicationibus dictorum exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem praefati Leonis praedecessoris super facultate cognoscendi causas appellationum praedictas emanatam et a memorato Clemente praedecessore confirmatam ut praefertur, necnon, in quantum illam concernunt dumtaxat, supradictas Leonis et Clementis praedecessorum litteras, quatenus sint in usu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus; inhibentes pariter legatis, vicelegatis et gubernatoribus praefatis in virtute sanctae obedientiae, ne imposterum ipsi vel eorum aliquis causas huiusmodi, postquam coram dictis praesidentibus introductae fuerint, avocare et aliis iudicibus committere, aut quoquo modo iurisdictionem ipsam impedire valeant seu praesumant.

Decretum irritans.

§ 3. Ac decernentes omnia et singula contra praemissa acta, processus et sententias nullius roboris vel momenti fore, minimeque exequi posse aut debere; easdem quoque praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac exponentibus praedictis plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos, ac dictae civitatis gubernatores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis, quae in praedictis memoratorum Leonis et Clementis praedecessorum litteris respective concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 septembris 1658, pontif. anno IV.

CCX.

Quod non extrahantur libri et scripturae ex archiviis et conventibus ac bibliothecis canonicorum regularium Congregationis S. Augustini in regno Portugalliae existentibus.

[1] Edit. Main. legit *labefactatur* (R. T.).

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Conservationi et manutentioni librorum, scripturarum bibliothecarum et archiviorum publicorum omnium et singulorum conventuum Congregationis canonicorum regularium S. Augustini in regno Portugalliae existentium, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium modernum priorem conventus S. Crucis Colimbriensis, qui totius Congregationis praedictae regni Portugalliae prior generalis ex consuetudine existit, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem prioris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Prohibet ac interdicit extractionem librorum e bibliothecis canonicorum regularium congregationis sancti Augustini.

§ 1. Ne de cetero quisquam, quavis auctoritate, officio vel dignitate fungens[1], libros, quinterna, folia, litteras apostolicas sub plumbo vel in formâ Brevis expeditas, indulta et privilegia, aliasque scripturas publicas et privatas, tam impressa quam manuscripta, tam hactenus in quavis et quovis bibliothecarum et archiviorum conventuum et collegii Colimbriensis Congregationis huiusmodi in regno Portugalliae praedicto existentium collocata, et illis per quoscumque fideles donata et assignata, quam in posterum forsan in eis collocanda et illis donanda et assignanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quaesito colore, ingenio, causâ, ratione aut occasione ex quacumque conventuum Congregationis huiusmodi bibliothecarum et archiviorum in dicto regno existentium extrahere et asportare, seu ut commodentur et asportentur permittere aut consentire audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Contraria tollit.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventuum et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in valvis singularum et singulorum cuiusvis conventus huiusmodi bibliothecarum et archiviorum, vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 24 septembris 1658, pontif. anno IV.

CCXI.

Constitutio super reformatione capituli generalis Congregationis Portugalliae canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini[1].

1 Edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis impositum postulat, ut circa ea, per quae felici [1] religiosorum virorum vota sua Altissimo reddere iugiter satagentium directioni consulitur, sollicitis studiis intendamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum canonicorum regularium Congregationis Portugalliae Ordinis sancti Augustini nobis expositum fuit, quod capitulo generali eiusdem congregationis viginti et unus [2] dumtaxat religiosi ipsius Congregationis [3] cum iure suffragii seu voti ferendi interesse hactenus consueverunt, nempe rector collegii Colimbriensis eiusdem Congregationis, duodecim priores totidem conventuum, qui Congregationem huiusmodi constituunt, ac octo procuratores, duo ex conventu S. Crucis Colimbriensis, et sex alii ex totidem aliis conventibus dictae Congregationis, quibus solis competit praerogativa mittendi ex conventibus huiusmodi respective unà cum prioribus ipsorum conventuum ad praedictum capitulum generale procuratores a capitulis conventualibus eorumdem conventuum electos. Verum experientiâ compertum est hanc singularitatem Dei servitio dictaeque Congregationis utilitati plurimum adversari, quia priores dictorum conventuum privilegiatorum, sibi obnoxios seu partiales in procuratores eligi [4] ordinarie desiderantes, variis artibus (ut evenire visum est) procurant, ut electis [5] huiusmodi in personas aetatis immaturae nec qualitatibus ad hoc muneris necessariis praeditas cedat. Unde disciplinae regularis detrimentum semper consequitur et tumultus, turbulentiaeque saepe oriuntur. Hacque de causâ de anno MDCXL vir religiosus Martinus Monis frater Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo, tunc temporis, seu aliàs, Congregationis praedictae visitator auctoritate apostolicâ deputatus, congregationi tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae retulit, se in visitatione dictae Congregationis Portugalliae a senioribus ipsius Congregationis religiosis accepisse, hoc praecipue punctum reformatione indigere, ut capitulum generale Congregationis huiusmodi personis dignioribus et maturioribus componatur.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes Congregationis praedictae quieti consultum iri sperent, si, abrogatâ memoratorum procuratorum conventualium electione, duo collegae superioris generalis eiusdem Congregationis, qui etiam visitatores totius Congregationis huiusmodi existunt, necnon eiusdem superioris generalis substitutus, ac tres definitores, qui etiam supradicti conventus S. Crucis Colimbriensis, qui saepedictae Congregationis caput existit, visitatores sunt, et vicarius [1], quae [2] secunda a praefato superiore generali persona dictae Congregationis existit, magisterque novitiorum conventus huiusmodi in eorumdem procuratorum conventualium locum vocales dicti capituli generalis fiant; eisque adiungantur eiusdem Congregationis procuratores generales curiae Ulyssiponensis et civitatis Portugallensis, qui omnes cum in capitulo generali Con-

1 Pessime edit. Main. habet *fel. rec.* pro *felici* (R. T.).

2 Perperam eadem legit *unius* pro *unus* (R. T.).

3 Contra rationem contextus eadem fert *Congregatis* pro *Congregationis* (R. T.).

4 Ed. Main. habet *elegi* pro *eligi* (R. T.).

5 Videtur legendum *electio* pro *electis* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *vicarium* (R. T.).

2 Aptius lege *qui* pro *quae* (R. T.).

gregationis huiusmodi eligi[1] consueverint, praestantissimique dictae Congregationis religiosi esse soleant ab ipsâ Congregatione in exercitio munerum eis respective demandatorum probati, sperandum est eorum ministerio inconvenientibus praenarratis remedium adhibitum iri: nobis propterea eorumdem exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio. § 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut Congregationis Portugalliae huiusmodi paci et tranquillitati, eiusdemque regimini, quo melius in Domino fieri potest, pro pastorali nostrâ vigilantiâ consulamus, necnon, ut ab eâ iurgia, dissensiones et querimoniae removeantur; advertentes quod electio octo procuratorum conventualium, qui unâ cum prioribus conventuum, qui eo iure potiuntur, ad capitulum generale ipsius Congregationis pergere et in eo vota reddere hucusque consueverunt, minus opportuna, praemissis de causis, reperiatur, ex quo bonum religionis et regularem disciplinam non leve detrimentum pati saepe contingit; inhaerendo relationi aliàs de anno MDCXL ad praefatam cardinalium congregationem factae per memoratum Martinum dictae Congregationis Portugalliae visitatorem, auctoritate apostolicâ sicut praemittitur deputatum, praefatam octo procuratorum electionem eiusque usum et consuetudinem abrogandos et abolendos esse duximus, prout ex nunc, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, abrogamus et abolemus. Ac eius loco ius, facultatem et praerogativam interveniendi et suffragia reddendi in capitulis generalibus eiusdem Congregationis transferimus et translata esse volumus in totidem alios dictae Congregationis professores, scilicet in ambos collegas superioris generalis ipsius Congregationis, qui totidem totius Congregationis huiusmodi visitatores existunt, item in substitutum eiusdem superioris generalis, in tres definitores, necnon in vicarium et magistrum noviciorum memorati conventus S. Crucis Colimbriensis, qui insimul eumdem numerum octonarium perficiunt, omnes ex gravioribus et dignioribus religiosis in ipso generali capitulo eligendi, prout respective eligi dicuntur. Ac insuper, quo huiusmodi capitula celebriora et magis conspicua reddantur, praefatis vocalibus, qui numero viginti et uno suffragiis seu votis firmis esse dicuntur, cum paribus praerogativis et iuribus, quibus ceteri praefati potiuntur, auctoritate et tenore praedictis superaddimus, ac de cetero superadditos esse volumus procuratores generales curiae Ulyssiponensis et civitatis Portugallensis praefataque omnia in eâdem Congregatione exinde perpetuo observari mandamus et praecipimus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, Decretum irritans.

[1] Edit. Main. habet *elegi* pro *eligi* (R. T.).

si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria relicit.

§ 5. Non obstantibus memorato usu procuratorum conventualium et aliis praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis, eiusque conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die x octobris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 octobris 1658, pontif. anno IV.

CCXII.

Confirmatio quarumdam Ordinationum pro provinciâ Matris Dei in Indiis Orientalibus Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Inscrutabili divinae providentiae arcano, meritis licet imparibus, ad Ecclesiae catholicae per totum orbem diffusae regimen vocati, ad ea, per quae religiosorum virorum in humilitatis spiritu et arctioris vitae observantiâ Altissimo vota sua reddere iugiter satagentium quieti et felici directioni consulitur, libenter intendimus, illaque nonnunquam apostolico munimine roboramus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Hyacinthus de Deo minister provincialis et totum definitorium provinciae Matris Dei in Indiis Orientalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod ipsi, ut prospero eiusdem provinciae regimini et regularis observantiae conservationi opportune prospiciatur, multaeque vexationes fratribus provinciae huiusmodi per commissarios generales inferri solitae cessent, plurimum cupiunt auctoritatis nostrae patrocinio communiri ordinationes et capitula tenoris qui sequitur, videlicet:

Capitula proposita.

I. Quod patres commissarii generales nullatenus quae ad ordinarium provinciae regimen spectant sibi usurpare possint; quod nec in aliquo, nisi per veram et iustam appellationem, in secundâ instantiâ se intromittant; nec illam accipere vel cognoscere valeant, quin prius a pleno definitorio provinciae nostrae provincialem nimiâ procedere passione iudicatum sit; quia levi causâ et ad libitum praedicti patres commissarii generales appellationes accipiunt, et nullo servato ordine iuris res[1] penitus absolvunt.

II. Quod in ipsâ appellatione commissarii generales ad voluntatis placitum iudices nominare nequeant; sed in omni re iudicandâ et in dubiis omnibus quidquid fuerit conveniens a definitorio determinetur.

III. Quod si commissarii generales, a provinciali praemoniti, completo provincialis triennio capitulum seu congregationem celebrare et in illis assistere ac

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur *reos* pro *res* esse legendum (R. T.).

praesidere nolint, ipse provincialis capitulum seu congregationem celebret ac in illis praesideat: quia patres commissarii, si ad suae voluntatis nutum electiones efficere non possunt, dilitant[1], et longo tempore, magnâ reformationis distrnctione ac libertatis electionum praeiudicio, differunt.

IV. Quod patres commissarii generales in electionibus omnibus iam minis iam[2] promissionibus ad suum beneplacitum movendo electorum libertatem non tollant: quia hoc ntuntur medio in suffragiis, postulamus, quod praedicti commissarii generales ante capitulum nullum vocalem sententiare nec iudicare possint; sed capitulo facto vocalem audiant, et actitato processu et definitorio tradito, ipsum definitorium in primâ instantiâ praeter privationis officii vel vocis alicuius poenam reum iudicet.

V. Quod in electione commissarii generalis in India factâ, utriusque definitorii, nempe nostrae provinciae Matris Dei et provinciae S. Thomae, voces adsint aequales, quatuor videlicet definitores, duo provinciae patres, antiquior scilicet et modernior qui provinciales extiterunt, custos et provincialis. Et quod ex defectu, seu aliquorum absentiâ, filii eiusdem provinciae, ille scilicet, cui ad ceteros definitionis actus in tali provinciâ convenit subrogatio, subrogetur, et nullo pacto, ad alicuius vocem supplendam, alterius provinciae filius admittatur, nisi eiusdem provinciae filius unde absentia contigerit. Si tamen casus fuerit quod electionis tempore pater aliquis non inveniatur, vel qui definitor extiterit, tunc ad huiusmodi electionem commissarii guardianus dignioris conventus eiusdem provinciae ubi suffragator absens erat filius absentis suppleat vocem.

1 Verbum *dilitant* non intelligo (R. T.).
2 Forsan *tam minis tam* (R. T.).

VI. Quod electio commissarii generalis sit alternativa, scilicet in uno triennio eligatur ex nostrâ provinciâ filius, et in alio ex provinciâ S. Thomae. Et quod mortuo commissario eiusdem provinciae unde erat ipse defunctus commissarius filius, principalis guardianus electioni praesideat. Item quod finito tempore commissariatus, per spatium trinm dierum alius eligatur, et quod commissarii praedicti duodecim annos habeant interstitii, nec reeligi possint, nisi transacto tempore, nec in tali officio sint nisi triennales.

VII. Quod commissarii generales fratribus domicilia assignare non valeant, nec eorum translationes a provinciali quocumque tempore factas impedire; sed provincialis omnia disponat; quia multi vocales et alii, sublimescentes se a patribus commissariis, si iuxta eorum placitum suis suffragiis non concurrunt, in partes proiici remotissimas, sententiam permutant, et minus dignis assentiunt in eligendo. Etiam quod commissarii generales, qui nostrae provinciae fuerint filii, nullo pacto, finito commissariatus officio, in provinciâ S. Thomae manere et incorporare se possint, ad quod non valeat aliqua facultas.

VIII. Cum usque adhuc nullus commissarius fuit visitatus, qua de causâ effraenatâ audaciâ omnes incredibilia perpetrant absurda, postulamus quod commissarius electus de ipso commissario transacto sindicationem faciat, et provinciae definitorium, unde talis commissarius est filius, indicet et sententiam fulminet.

XI. Et cum patres commissarii generales omnia apostolica privilegia et mandata (ultra religionis leges) spernent[1], Vestrae Sanctitatis pedibus inhaerentes et cernui postulamus, ut omnia ista a nobis postulata suum habeant vigorem et effectum, praecipiat, sub obedientiae prae-

1 Videtur legendum *spernant* (R. T.).

cepto et poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendâ, a praedictis commissariis serventur.

x. Denique, quod ab omnibus molestiis ac violentiis, quas nobis et huic provinciae commissarii generales fecerint, ac si iustitiae ordinem, iuris et nostrorum provincialium statutorum non servaverint, et super omnia dubia nullitatis electionum, vel alterius cuiusque rei, ad dominos inquisitores apostolicos contra haereticam pravitatem in istâ Indiâ commorantes et pro tempore commorandi[1], ut nostros iudices, conservatores et protectores, recurri[2] possimus, et quod ipsi potestatem habeant omnimodam ut omnia iudicent et determinent.

Confirmat ordinationes in provincia Matris Dei Ordinis Minorum de Observantia in Indiis Orientalibus.

§ 3. Nos igitur, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, auditisque per eosdem cardinales partibus ac relatione dilecti pariter filii viceprocuratoris generalis Ordinis huiusmodi, praeinsertas ordinationes et capitula, tamquam bono regimini et regulari observantiae, necnon praefatarum provinciarum Matris Dei Indiarum Orientalium Ordinis Minorum Excalceatorum de Observantiâ sancti Francisci tranquillitati et paci valde consentanea et opportuna, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac iuxta illorum tenorem deinceps exequi et observari mandamus et praecipimus, irritum et inane decernentes quidquid secus in praemissis a quolibet, quavis auctoritate, hucusque vel exinde actum seu statutum fuerit; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictarum provinciarum et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique lo-

1 Legendum *commorandos* vel *commoraturos* (R. T.).

2 Legendum foret *recurrere* (R. T.).

eorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 octobris[1] 1658, pontif. anno IV.

CCXIII.

Confirmatio decreti magni magistri et consilii hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani circa expensas albergiarum per baiulivos conventuales in eorum a conventu absentiâ sustinendas[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae a militiarum regularium, in eâdem Ecclesiâ sapienter institutarum, et non solum laudabilis in subeundis adversus christiani nominis hostes periculis fortitudinis gloriâ, sed etiam regularis observantiae decoribus fulgentium, superioribus provide constituta esse conspicimus, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dicti filii Martinus de Rediu, magnus magister, et consilium hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod ipsi ante paucos menses decretum ediderunt tenoris sequentis, videlicet: « Frater D. Martinus de Rediu Dei gratiâ sacrae domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et militaris Ordinis sancti Sepulchri Dominici magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos, universis et singulis praesentes nostras

1 Edit. Main. ad marg. habet 25 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

litteras visuris, lecturis, salutem, etc. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur qualiter infrascriptum decretum unà cum sequenti relatione extractum fuit ex libro eonciliorum[1] in cancellariâ nostrâ conservato, in quo similia notari et registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi et redigi inssimus, ut ubique, tam in iudicio quam extra, eidem plena et indubitata fides adhibeatur, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Die XVII mensis iulii MDCLVIII, venerandi magnus cancellarius frater D. Ioannes Ximenes de Vedoya, prior Tolosae frater Dionysius de Pollastron Laillière, prior Daciae frater Christianus de Osterhausen, et baiulivus Cremonae frater Pompeus Rospigliosus, commissarii super providendo albergiarum sustentationi in absentiâ venerandorum baiulivorum conventualium die XI instantis mensis deputati, retulerunt ut sequitur, videlicet:

Eminentissimo signore, e sacro Consiglio.

Considerando, in conformità della commissione dataci da vostra eminenza e sacro Consiglio sotto li 11 del presente mese, la impossibilità che li luogotenenti dei venerandi baiulivi conventuali hanno di sostentare l'albergi, non abbastando per le spese la quantità di danaro che essi venerandi baiulivi li contribuiscono nella conformità dell'ordinazione seconda de' baiulivi dichiarata da questo sacro consiglio sotto il primo di decembre prossimo passato, siamo nel parere seguente.

I. Che d'oggi avanti detti venerandi baiulivi conventuali, che sono di presente, o saranno in futuro, ancorchè, nella conformità che gli permette detta ordinazione, siano assenti da convento, devano fare intieramente tutte le spese dell'al-

1 Videtur legendum *consiliorum* (R. T.).

bergi loro per mezzo de' suoi procuratori, senza che li detti luogotenenti abbiano da partecipare in dette spese, nè ingerirsi nel mantenimento dell'albergi, e che non avendo in convento procuratori pronti, condannerà a quest'effetto il comun tesoro abbia da somministrare per essi tutto il denaro, che sarà necessario per sostentare gl'albergi, incaricando il far le spese alli procuratori di detti venerandi baiulivi, che avranno procura sufficiente, o ad altre persone a detti venerandi procuratori ben viste.

II. Che, a fine che il comun tesoro possa comodamente far questo sborso, detti venerandi baiulivi devano consegnare in mano dei ricevitori ogni sei mesi anticipatamente la somma, che per altro tempo da essi sarà domandata, conforme l'ordine di detti venerandi procuratori per dette spese, e tralasciando di farlo, li ricevitori, senz'altro ordine del convento, procedano subito a sequestrarli le commende e altri beni che avranno della religione, e altrimenti li stessi ricevitori siano caricati di detta quantità.

III. Che in casi di promozioni di detti venerandi baiulivi ad altre dignità, se[1] per dette somme da loro sborsate si troveranno debitori del comun tesoro, s'intendano incapaci a conseguirle se non avranno prima delle smutizioni e stazioni soddisfatto, e avendosi promosso se li restituisca il denaro che anticipatamente avranno depositato quella parte che avanzerà delle spese fatte in fin al tempo delle promozioni.

IV. Che le cose suddette s'intendano per tutte le venerande lingue, eccetto quella d'Alemagna, stante gli accordi particolari che sopra le spese dell'albergo sono in essa.

E finalmente che V. E. resti servita di rappresentare il tutto per lettera a Nostro Signore, supplicandoli a nome del venerando Consiglio la confirmazione, rimettendoci sopra questo nostro parere alla prudenza di V. E. e questo venerando Consiglio.

Il gran cancelliere Fr. D. INNOCENZO XIMENEZ de Vedoya.

Il prior di Tolosa Fr. D. DE LALLIÈRE.

Il prior di Dacia Fr. CRISTIANO D. OSTERHAUSEN.

Il baiulivo di Cremona Fr. POMPEO ROSPIGLIOSI.

Qua relatione auditâ et mature perpensâ excellentissimus ac reverendissimus dominus magnus magister et venerandum consilium cum suffragiorum scrutinio praeinsertam venerandorum commissariorum opinionem laudaverunt, approbaverunt, et apostolicâ confirmatione confestim postulandâ muniri decreverunt.

Et quia ita se habet veritas, factaque fideli cum originali collatione concordare comperimus, ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro die XVII mensis iulii MDCLVIII. Registratum in Cancellariâ.

Fr. PETRUS BASUGA, Vicecancellarius.

(Locus bullae).

Praedictum decretum confirmat

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum

1 Male edit. Main. legit si pro se (R. T.).

serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum in singulis eius partibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis, robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac quaevis dicti hospitalis tribunalia[1], iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, necnon, quatenus opus sit, confirmatione a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanatâ, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem hospitalis, eiusque linguarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 31 octobris 1658, pontif. an. IV.

CCXIV.

Bulla sive litterae decretales canonizationis S. Thomae de Villanova archiepiscopi Valentini.

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Sanctissimum regem et prophetam, cum Dei spiritu plenus omnia creatarum rerum genera et creatorem suum laudandum dulcissimis psalmis invitat, hominum praecipue causâ id facere haud obscure cognoscitur. Etenim angelicae mentes, quas primo vocat, animantia item cuncta atque inanima, quae deinceps appellat, nihil admodum eiusmodi sive iussu sive incitamento indigebant; quippe illae beatitudinis suae necessitate per sanctum hymnum incessabili voce proclamant; ista vero suo modo auctorem suum, dum silent, laudant, aliisque divinitatem opificis contemplantibus laudandum[1] praebent. Igitur fideles propheticis vocibus potissimum excitantur, quibus maxime dicitur: *Laudate Dominum in Sanctis eius;* honorantes

1 Edit. Main. legit *tribunalium* (R. T.).

1 Syntaxis *laudandam* requirit (R. T.).

videlicet viros sanctos factos amicos Dei: glorificantes in terris, quos ille gloriâ et honore coronavit in caelis; domesticos Dei vestris in difficultatibus suppliciter advocantes; denique Dominum agnoscentes et colentes in servis eius. Atque hoc ipsum catholica Ecclesia, Spiritu Sancto docente, praeclare intelligit, dum filiis suis quotidie fere Sancti alicuius memoriam divino officio ac precibus recolendam offert celebrandamque, et dum temporis intervallis nonnullos egregiae sanctitatis et miraculorum luce inter alios veluti sidera coruscantes, divino instinctu, apostolicâ pontificali auctoritate Sanctorum adscribit numero, populisque fidelibus venerandos proponit; nimirum ut eâ ratione omnipotentis Dei laus et gloria magis magisque increbrescat, eiusdemque bonitati ac benignitati simul agantur gratiae, qui dedit virtutem et potestatem talem hominibus. Quod vero idem Deus in haec tempora, quibus ineffabili providentiâ, nullis nostris meritis, Ecclesiae suae praeesse nos voluit, reservarit, ut sanctissimus sibique maxime dilectus sacerdos Thomas de Villanova eo titulo, atque honore decoraretur, nobisque hanc mentem inspiraverit, sedulo felicitatem in Domino gratulamur, quod novum ac salutare sanctitatis exemplum intueri propius, novumque apud Dei misericordiam interpretem et intercessorem praesentibus in periculis atque necessitatibus invocare praecipue possit, eiusque precibus pacem et tranquillitatem in diebus suis, placato Domino, sperare. Seorsum autem nostro nomine pro eo, ut debemus immortales gratias humillime habemus, atque agimus eidem divinae benignitati. Iam vero ut Thomae sanctitas testimonio etiam nostro innotescat:

Ortus S. Thomae de Villanova.

§ 1. Vir iste sanctissimus ortum habuit in castro Fontisplani Toletanae dioecesis anno a salute orbis reparatâ MDLXXXVIII, ex honestis et catholicis parentibus, Alphonso Thoma Garcia de Villanova eiusdem dioecesis oppido, et Lucia Martinez Castellana, adeo charitati deditis, ut nunquam ab se vacuo sinu egenum abire permiserint.

Pietas in pauperes.

§ 2. Ac veluti ingenito quodam pietatis et misericordiae sensu ex matris alvô secum delato, et sub huiusmodi parentibus educatus, antea visus est se Deo dicare, quam Deum posset per aetatem cognoscere. Nunquam negavit pauperibus Christi quod peterent, et oculos viduae expectare non fecit, nec buccellas suas solus comedit, sed comedit pupillus ex eâ; nam ientacula ad gymnasium proficiscenti dari solita esurientibus partiebatur, ac pauperum nuditatem commiseratus, saepe domum repetebat sago, thorace, pileo, caligis et pallio denudatus; matrem quandoque enixe precatus, ut pauperi supervenienti consuetae ac quotidianae eleemosynarum distributioni paratum sibi prandium adiiceret, spondens eâ die se minime comesturum; quo obtento, et innocenti ieiunio satur, mentem divina esurientem caelestibus dapibus recreabat. Et exinde ad xenodochia reficiendis languentibus ova recens edita deferebat; usque adeo a teneris unguiculis in egenos effusus, ut pullos ipsos gallinae sublatos Christi Domini pauperculis distribueret; ac messoribus aliquando praefectus, egenis spicas colligentibus, non illorum solum, sed proprium ac sibi destinatum cibum partiretur; semper tamen parentum imperio aeque subditus, quantum charitas in Deum laudabiliter suaderet, ab eorum mandatis non declinabat.

Corporis castigatio.

§ 3. Optavit enim, et datus est ei sensus, invocavit et venit in eum spiritus sapientiae, quo agente, Patrem luminum et domi et in templis assidue precabatur, et concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctitatis rigore calcavit, casti-

gans corpusculum suum et in servitutem redigens, cilicio et flagellis domans; quibus ab eo per oblivionem in cubili quandoque relictis, et a matre non sine admiratione repertis, evidenter patuit in eo a triturâ sementem, a vindemiâ palmitem, a pomis radicem praeveniri. Quam sane in se ipsum privatam et tacitam severitatem pari etiam modestiâ condiebat; adeo enim modestus fuit, ut nunquam e terrâ oculos levare consueverit; adeoque castus et pudicus, ut ad extremum usque spiritum virgo permanserit, neque unquam ex eius ore verbum prodierit, quod puritatem pectoris non redoleret.

Doctrina.

§ 4. Intelligens autem fore ut ii qui docti fuerint quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellae in perpetuas aeternitates fulgeant; Compluti in collegio S. Idelphonsi in disciplinis et facultatibus, omnique virtutum genere doctores ipsos facile superavit. Logicas subinde et theologicas quaestiones explanavit. Iam vero satis in christianâ palaestrâ edoctus, ac evangelici memor effati: *Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus*, audito parentis obitu, se cathedrae ornamento et commodis abdicavit, ac integrum patrimonium virginibus alendis addixit: quo illis erectum fuit xenodochium in oppido Villaenovae, adhuc *hospitale archiepiscopi* nuncupatum.

Ordinem Eremitarum sancti Augustini reformatorum ingreditur.

§ 5. Interim inclinavit aurem suam, ut audiret loquentem in se Dominum, et dicentem: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui*. Unde, cum annum septimum et vigesimum ageret, ne secularium strepitu curarum a perfectâ cum Deo unione distraheretur, duxit eum Dominus in solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor eius; ibique Ordini Eremitarum S. Augustini in Salamantino conventu nomen dedit die XXIV novembris MDXVI, ac, peractis per annum mirâ austeritate vitae religionis rudimentis, recurrente mox eâdem die XXIV novembris ibidem solemnem professionem emisit, et aemulatus charismata meliora, eam brevi religiosae perfectionis metam attigit, ut, vix biennio elapso,[1] eiusdem conventus S. Augustini Burgensis, visitatoris provinciarum Castellae et Beticae, provincialis definitoris eiusdem provinciae Castellae, et prioris conventus Vallisoletani munia iis vitae ac morum exemplis obivit, eoque zelo labefactatam regularis disciplinae integritatem restituit, ut numero reformatorum Ordinis adscribi promeruerit.

In Salmaticensi conventu discipulos instruxit.

§ 6. Inter haec, volente Altissimo rigare montes de superioribus suis, iussus est talentum sibi a Domino creditum non abscondere in terrâ, sed ut sapientissimus dispensator in communem utilitatem convertere. In praedicto igitur percelebri Salamantino conventu ex obedientiâ Magistrum sententiarum et religiosis sui Ordinis et exteris advenientibus exposuit, S. Thomae doctrinam sequutus; ad quod et nominis similitudo et religionis consuetudo eum hortabantur; eoque doctore tantus fuit discipulorum profectus, ut, cum sanctum bellum principibus et potestatibus tenebrarum indicere decrevisset, eos dignos invenerit quos ad expugnandas Mexicanas infidelitatis arces, dum ipse postea provincialis officio fungeretur, ad apostolicam formam plene conformatos, ut angelos veloces ad gentem christianae religionis penitus ignaram transmitteret; eos accendens proposito gaudio aut futurae illarum a Deo aversarum mentium conversionis, aut proprii pro Christo effusi sanguinis laureae consequendae; quorum primum non sine magno christianae reipublicae emolumento clementissimus Dominus felicissimo eventu per illos comprobare dignatus est.

1 Videtur deesse vox *prioris* (R. T.).

Divinum verbum dispensat.

§ 7. Dum in istis versatur, Spiritus Domini super eum pauperibus evangelizare misit eum. Nam e cathedrâ ad suggestum ex obedientiâ translatus, visus est populis tuba vitae et vox caelorum, ac proinde vas electionis, ut portaret nomen Iesu coram regibus et principibus. Propterea Carolus V imperator eum sibi a concionibus singulariter elegit; cuius apostolicus spiritus omnibus omnia factus sapientibus et insipientibus verbi divini pabulum erogavit, ita ut unâ omnium voce Spiritus Sancti organum proclamaretur.

Granatensem ecclesiam recusat, Valentinam ex praecepto suscipit.

§ 8. His permoti idem Carolus V et Philippus II Hispaniarum rex catholicus labefatactam Valentinae ecclesiae ex diuturnâ viduitate disciplinam Thoma tantum praesule ad eam proposito[1] restitui posse pie crediderunt. Verum, ne, ut antea Granatensis ecclesiae infulas[2] recusaverat eo quod elegisset abiectus esse in domo Dei sui, etiam Valentinae curam suscipere abnueret, ubi imperatoris ac regis voluntatem non satis urgere compertum fuit, iisdem petentibus a suo superiore adactus, cellam cum lacrymis deserens, Valentiam sese contulit, et in conventu S. Mariae de Succursu Ordinis S. Augustini eque[3] descendens, fastu solemnis ingressus vitato, pedes cum socio, simplicis religiosi habitus indutus, ad cathedralem perrexit; atque haec humilitatis fundamenta iecit, ut ecclesiastici praesulis culmen quo profundius stabiliret, eo solidius et sublimius eveheret.

Ecclesiasticam disciplinam et laicorum mores instaurat.

§ 9. In hoc cathedrae fastigio bonus iste pastor animam suam posuit pro ovibus suis, et licet gladius persecutoris eum non abstulerit, martyrii tamen palmam non amisit; ecclesiasticam enim disciplinam et laicorum mores coactâ synodo provinciali multis affectus iniuriis instauravit; mox ad ovium suarum salutem promovendam conversus, plurimos ad vitae semitam, aeque prudentis ac ignitae charitatis vi, exhortando, ieiunando, orando, proprium etiam sanguinem iteratis flagellationibus fundendo, revocavit, ut vere dicere posset: *Die noctuque aestu vigebat et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Ecclesiasticae libertatis propugnator.

§ 10. Et quamvis suaviter animos ad honestatem sectandam allicere studuisset, fortiter tamen finem attingere non praetermisit; nam et invictum animum in tuendis Ecclesiae iuribus, et ecclesiasticâ restituendâ et conservandâ auctoritate ostendit, illis verbis usus: *Se gloriosam magis mortem, quam odibilem vitam amplecti, nec supplicia pro ecclesiasticâ immunitate ex debito pastoralis officii in libertatem vindicandâ timere aut fugere.* Quod ex animo dictum ostendit, quum regio ministro, minitanti rerum temporalium exspoliationem, imperterritâ mente respondit: *Tunc magis locuples ero, cum temporali subsidio libero ad cellam laetus remigrabo, ubi D. Augustinum parentem meum inveniam, a quo nonnisi invitus et lacrymans discessi.* Delinquentes debitam poenam subire censuris coëgit ecclesiasticis, eximiâ charitate exaestuans, et se pro suis[1] holocaustum offerens, quos obsecrando et arguendo corrigere non posset; iisdem enim adstantibus se usque ad sanguinem flagellando, semetque cum lacrymis increpando, cuius peccatis fieri dicebat si non respicerent[2], sic compungebat, ut eos ad poenitentiam et meliorem frugem reduceret.

Pauperum amator impudicos detestatur.

§ 11. Ita tamen mirâ benignitate, charitatis excellentiâ, prudentiae suavitate plures tum e clero tum e populo in viam timoris Domini reduxit, ut, ubi malo

1 Forsan legendum *praeposito* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *insulas* (R. T.).
3 Videat lector an legendum *equo* vel quid aliud pro *eque* (R. T.).

1 Forsan legendum *iis* pro *suis* (R. T.).
2 Videtur legendum *resipiscerent* (R. T.).

suorum familiarium exemplo ne alii inficì possent vereretur egregius puritatis amator, neque ad horam ullum impudicitiâ foedatum domi suae detinuerit; quin et ipsum fratris filium, lasciviae culpâ notatum, domo expulit, et patriam repetere sine morâ coëgit.

Totus in Dei et proximi charitate flagrabat.

§ 12. Quapropter sic in labore et aerumnis, in vigiliis et ieiuniis, arguens, obsecrans, increpans in omni patientiâ et doctrinâ, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, et alter veluti Paulus, divinus intellectus et divini amoris cereus nuncuparetur; adeoque Dei amore flagrabat, ut passim dicere soleret, sibi propemodum tolerabilius videri se in infernum dimitti, quam non diligere Deum, et prae ignibus et tormentis illud unum expavescere quod, qui cruciantur in inferno, Deum oderunt.

In pauperes liberalis, erga seipsum parcus.

§ 13. Et ecce data est ei pax foederis Domini, et fuit illi pactum sacerdotii sempiterni[1], quia zelatus est pro Deo suo et expiavit scelus filiarum[2] Israel; et quia misericordiam habuit, erudivit quasi pastor gregem suum, Christo Domino dilectus et obtemperans pavit agnos, pavitque oves ipsius. Adeo enim fuit in pauperes liberalis, et parcus erga se ipsum, ut, quo egenis, quorum se parentem gerebat, largius subveniret, laceras indueret vestes, quas propriis manibus sarciebat, unicum pileum proprio usui domi asservaret, cubiculum storeis vestitum incoleret, super sarmentis in terrâ quiesceret, et saepe pauperes convivas ex eâdem patinâ cibum sumere permitteret; ipse vero adeo parce comederet, ut senio et infirmitate confectus, unico eoque modico ferculo mensam instrui permiserit, et oeconomo secus cum[3] precibus suadenti saepius responderit: *Iniquum esse, ut servus pinguiori cibo, quam domini sui pauperes, vesceretur:* lintea e proprio cubili desumens, et indusiis se ipsum exuens, ea pauperibus largiebatur, ratus ea, quae pauperum erant, citra iniuriam illis denegari non posse, in quo sui sanctissimi patriarchae Augustini perfectus extitit imitator et filius, quod nil suum aestimavit, imo totum reputavit commune cum fratribus; unde et sancti Gregorii Magni vestigia sequutus, catalogum pauperum omnium penes se retinebat, ut singulis pro egestate consulere posset. Praeterea puellis egenis dotem pro conditione suppeditabat. Cumque Mauri praedati essent oppidum Collera suae dioecesis, et plurimos incolas captivos duxissent, ingentem aureorum vim in illis e iugo servitutis redimendis liberaliter profudit. Cumque experientiâ didicisset pauperes feminas natorum in publicâ viâ proiectorum vitam negligere, ad se pueros afferri curavit et grandem pecuniae summam in iis alendis impendit.

Tria erexit collegia.

§ 14. Tria erexit collegia, quae pinguibus dotavit proventibus: primum Valentiae, alterum Compluti, tertium Oriolae; e quibus viri tum probitate tum doctrinâ praestantes plurimi prodiere.

Deus triticum multiplicavit in horreo.

§ 15. Insignem hanc viri secundum cor suum pietatem ille idem piissimus Dominus, qui et facit mirabilia magna solus et est mirabilis in sanctis suis, singularibus testimoniis divinae suae dexterae, praeter consuetum causarum secundarum ordinem operantis, acceptissimam sibi esse confirmavit. Ad sublevandam enim miserabilis feminae familiam factum est, ut subcustos frumenti archiepiscopalis ab eo mitteretur ad horreum, quod paulo ante vacuum penitus reliquerat, quo cum pervenisset, e ianuae rimis grana exuberantia cum suboeconomo et aliis conspicatus est, et dum ianuam aperire student, magnâ

1 In vulgata num. xxv, 13 legitur *sempiternum* (R. T.).

2 Legendum *filiorum* ut num. xxv, 13 (R. T.).

3 An legi debeat *cum* pro *cum*, incerta res est (R. T.).

vi frumenti compressam vix totis viribus impellentes reserare potuerunt; quamobrem stupore perculsi magnis vocibus inclamant miraculum. Tumque Thomas eo accurrens, cunctis silentium praecipiens, mulieri triticum elargitus: *Vescere, ait, et Omnipotenti gratias age, qui tibi illud paravit.*

Paralyticum sanat.

§ 16. Ad haec conscius se missum, ut mederetur contritis corde, producto super pauperem quemdam Caesaraugustanum, quadraginta iam annis paralysi laborantem et fulcimentis insistentem signo sanctissimae crucis dicens: *Confide, et dic gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impertiri*, consolidavit bases et plantas eius, ita ut paralyticus se erigeret undique validus, reiectisque fulcimentis ad pedes eius procumberet: cui sanctus archiepiscopus silentium indixit, ac Deo gratus ut esset et pro se preces funderet hortatus est.

Quamplurimos ad poenitentiam revocavit, et mira de divinae Trinitatis mysterio exposuit.

§ 17. Memor etiam promissionis Christi Domini: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, nunquam ad conciones habendas perrexit, aut conversionis alicuius provinciam suscepit, nisi Deum prius effusis precibus exorasset, ut divinâ gratiâ dura peccatorum corda emollire dignaretur; mox ab huiusmodi oratione consurgens eo fervore, ardentique zelo peccatores corripuit, ut quamplurimos ad poenitentiam et perfectioris vitae semitam revocaverit; quos tactos dolore cordis intrinsecus ad confessarii pedes illico accurrere impellebat. Contigit etiam, ut, coram dicto rege Philippo II agens de ineffabili Sanctissimae Trinitatis mysterio, eo usque erexerit mentem, ut archiepiscopus Granatensis, vir doctrinâ ac pietate praeditus, dixerit se non putasse eo illum sese potuisse attollere, quod, quae audisset, humanum intellectum longe excederent. Huiusce vero et aliarum quamplurimum[1] concionum codex, se superstite, nunquam Thomae singularis modestia ut typis committeretur praebuit assensum.

In Ascensionis Dominicae celebritate a terrâ elevatus est.

§ 18. Continuam insuper Dei servus mentis elevationem patiebatur, ita ut a concionibus, aliisque sacris functionibus abstinere cogeretur, exinde mundi gloriam eâ ratione devitans. Quem tamen, in novissimo loco interius recumbentem, altius, qui eum ad nuptias invitaverat, non sine magnâ gloriâ coram discumbentibus ascendere compulit. In ipsâ enim Ascensionis Dominicae celebritate, cum divinis officiis interesset, ad antiphonam Nonae, et, videntibus illis, elevatus est, et ipse quo e terrâ sublatus prorsus immobilis integro duodecim horarum spatio omnibus videntibus permansit; quasi iam felix illa anima suo itineri ad Deum se accingeret. *

Aegrotus lectum suum pauperi largitur.

§ 19. Tandem his multisque aliis meritis plenus in febrim incidit, ac, cum peculium domesticum iamdiu in piis usibus consumpsisset, quae pauperrimae suppellectili supererant inter pauperes familiares partitus est; oblitus vero cuiusdam Commentariensis patrisfamilias egeni, cubile quo aegrotans iacebat, cum nil aliud ipsi superesset, ei donavit, et tunc[1], ut quod suum erat ferret, hortabatur; at, renuentibus familiaribus ipsum super stoream ponere ut fieri postulabat, mirâ humilitate per viscera Iesu Christi a Commentariensi eiusdem cubilis usum ad mortem usque precatus est, ut, qui aliis pauperibus totus vixerat, in alieno decedens pauperrimus moreretur.

Pecuniâ in pauperes distributa, omnibus ecclesiae sacramentis munitus, clerum hortatus est.

§ 20. Cumque orans et vigilans expectaret adventum Domini sui, episcopus Segobricensis ultimum adventare vitae terminum nunciavit, cui exhilaratus gratias egit et addidit: *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus;* usurpans etiam illud S. Martini: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non*

1 Forsan *quamplurimarum* (R. T.).

1 Forsan legendum *hunc* (R. T.).

recuso laborem; sin minus, cupio dissolvi et esse tecum. Tunc vero, cum per oeconomum quinque millium aureorum summam superesse significaretur, eam pauperibus distribui mandavit; cumque intellexisset omnibus civitatis pauperibus abunde esse subventum, et adhuc mille et quingentos aureos reliquos esse, ad immortalitatis bravium terrenis omnibus affectibus exspoliatus anhelans, sic conquestus est: *Cur me hic detinetis adhuc, ne ad fruendum bono, quod mihi paravit Dominus, evolem? properate, opus absolvite, ne ipse diutius hic in labore anxius detinear, sed tandem in pace Christi requiescam.* Et certior factus iam omnia consummata, ipse suum iam consummaturus cursum, Deo gratias agens addidit: *Nunc laetus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens unde tenear, strenue luctaturus;* iussitque se sacro oleo muniri et clerum vocari, cui, sumpto sanctissimae Eucharistiae sacramento, sanctitatem vitae et perpetuam erga sanctam Sedem Apostolicam obedientiam ex testamento legavit.

Spiritum Deo commendans expiravit die VIII septembris MDLV. Planctus magnus super eum.

§ 21. Demum semel adhuc sub speciebus sacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem sese intuiturum sperabat, in suo cubiculo sanctum sacrificium confici, et interim sibi Dominicae Passionis Evangelium secundum Ioannem legi voluit; eoque cum altâ contemplatione audito, ac mirâ pietate et humilitate augustissimo sacramento, erga quod semper devotissimus extitit, ad elevationem adorato, prae gaudio vim lacrymarum profundens, inchoavit canticum: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace;* eoque absoluto, subdidit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum;* quae cum diceret, expiravit, die VIII septembris, vespere Nativitatis Beatissimae Virginis, cuius, dum viveret, amore languebat, anno salutis MDLV, aetatis suae LXVIII.

Locus sepulturae.

§ 22. Clerus et populus, qui ad Deum confugerant indictâ supplicatione generali pro suo languente pastore, in ecclesiâ S. Thomae apostoli stationem peregerunt; adeoque universalis ploratus invaluit, ut cleri cantus non audirentur; et ad antiphonam: *Non sumus digni a te exaudiri,* cantores, dolore et commiseratione commoti, illam prae lacrymis absolvere nequiverint. Mox, audito pulsu campanae illius obitum nunciantis, ita planctus omnium crupit, ut cuiusvis conditionis homines, quasi amentes per vias discurrentes patrem se amississe conquererentur.

Corporis emortui gratia.

§ 23. Corporis vero aspectu in tam ingenti iacturâ idem populus adeo se levari posse putabat, ut illud pontificalibus indumentis et florum coronâ, virginitatis eius insigni, ornatum ad praefatam ecclesiam S. Mariae de Succursu Ordinis sancti Augustini delatum, humo tradi non permisisset, nisi fratres eiusdem monasterii sepulturae clanculum mandassent. Talis autem erat gratia eius corporis emortui, ut viventi haud absimile appareret.

Miracula post mortem.

§ 24. Successive tamen multa sunt eius suffragantibus meritis edita miracula, Domino cooperante, et servi sui usque ad mortem fidelis vitae sanctitatem confirmante sequentibus signis.

Duo etenim mortui ad vitam revocati fuere: Paulus Franciscus Cardona post septem mensium febrim extinctus, et Sperantia Valeria decem quoque mensium febri consumpta, non solum vitae sed etiam integrae sanitati restituti sunt.

Marcella de Lizania tertium annum agens trimestri morbo distillationis in pectore affecta, vehementi et assiduâ tussi ita afflicta, ut erumpente e pectore sanguine cibum sumere, aut sumptum retinere non posset, distillatione etiam ad eius oculos descendente, remediis omnibus ad

eius curam adhibitis, spe ad salutem pristinam redeundi prorsus destituta, ad sepulchrum Thomae delata, posterâ die, horâ qua sacrum pro eius sanitate celebrabatur, sanata est, et de cubili surgens ad matrem incolumis, quasi nunquam passa fuisset ophthalmiae morbum, clarissimis oculis festiva contendit.

A carcinomate Franciscam Nadal liberavit, et Catharinae Vincentiae Roselon innumerabilibus plagis per quinquennium cruciatae insperatam salutem reddidit.

Petrum Antonium, sutorem, ex nervorum contractione per biennium claudicantem, iamque inutilem, sanavit.

Iacobus Cervera, caementarius, ulceribus insanabilibus plenus, ab eo sanatur. Vincentius Cyprer, nervis ex paralysi solutis, sanitatem pariter impetravit.

Arida ubera Catharinae Montaltae, admotis floribus quibus servi Dei sepulchrum respersum erat, ad infantulum sustentandum lacte illico affluere visa sunt.

Ludovico Lemosy, per sex annos adeo pedibus laboranti ut saepissime cubili immobiliter inhaereret, bases et plantas consolidavit.

Quatuordecim annorum herniâ Ioannem Tibicinem afflictum pristinae sanitati restituit.

Septennem puellam Vincentiam Mattheù in puteum delapsam, in aquis per tres horas submersam eripuit incolumen.

Quibus coruscantibus signis lux effulsit, ostenditque venerandum esse in terris, quem in caelis adeo acceptum advocatum humana haberet infirmitas.

Pontifex gratias agat Deo.

§ 25. Agimus igitur omnipotenti Deo quammaximas possumus gratias, et repletum est gaudio cor nostrum et lingua nostra exultatione, quod nullis nostris suffragantibus meritis, sed inscrutabili sapientiae suae arcano hanc servi sui canonizationis celebrationem per nostrae humilitatis ministerium toti orbi splendescere praeordinavit. Cum enim iam ab eius felici occasu per universas gentes et nationes ipsius sanctitas celebraretur, et ipsius nomen apud christifideles magno in honore esset, operante Domino per intercessionem eius tot miracula, quae etiam in dies unâ cum eius veneratione augebantur, via parabatur a Patre luminum Thomae clarificationi.

Processus et instantia procanonizatione.

§ 26. Propterea ab Ordinario processus informativus sacrae congregationi rituum exhibitus fuit anno MDCVIII, et accedentibus precibus etiam clarae memoriae Philippi III Hispaniarum regis catholici, necnon praesulum et procerum deputatorum regni Valentiae ac totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini tertio repetitis, ceterisque de more peractis, responsum fuit a praedictâ congregatione plane constare de validitate processuum, de virtutum excellentiâ, de fidei puritate, vitae sanctimoniâ, miraculorum operatione, famâ sanctitatis, et frequentiâ populi ad servi Dei sepulchrum; ac propterea posse (si Summo Pontifici placuisset) imposterum nuncupari Beatum, et de eo tamquam de Confessore Pontifice quotannis in regno Valentiae a religiosis utriusque sexus Ordinis sancti Augustini, et in civitate Valentiâ clero tam seculari quam regulari recitari officium et missam celebrari. Quibus annuit felicis recordationis Paulus V praedecessor noster, ac desuper litteras in formâ Brevis concessit, et praedictum indultum mox extensum fuit ad omnes utriusque sexus religiosos praedictos regnorum Castellae, Aragoniae et Cataloniae, necnon ad oppidum Villaenovae, et tandem ad omnes pariter utriusque sexus religiosos Ordinis sancti Augustini ubique terrarum existentes.

Votum sacrae Congregationis.

§ 27. Eodem quoque anno, duobus aliis insuper approbatis miraculis, censuit eadem congregatio tota, posse Sedem Apo-

stolicam ad solemnem eiusdem Beati canonizationem quandocumque iuxta sanctae Romanae Ecclesiae ritum et sacrorum canonum dispositionem procedere.

Causae reassumptionis.

§ 28. Verum supervenientibus novis decretis recolendae memoriae Urbani Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, siluit causa, usquequo fuit facta praemissorum omnium relatio similis memoriae Innocentio X itidem praedecessori nostro, et ab eo deputatus in relatorem tunc in humanis agens bonae memoriae Fridericus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Cornelius nuncupatus, et signata commissio reassumptionis causae. Demandatum etiam fuit dicto cardinali Cornelio relatori cum dilecto filio Hilarione Roncato et quondam Terentio Alciato consultoribus examen operum eiusdem servi Dei Thomae, et factâ relatione decretum in illis nihil contra fidem et bonos mores nec aliquam doctrinam a catholico sensu alienam contineri.

Litterae remissoriales.

§ 29. Postea decretae litterae remissoriales ad probandum ea quae supervenerant post indultam venerationem, et directae litterae venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Valentino et Segobricensi et Derthusensi episcopis, et transmissis ad Urbem processibus, in locum praedicti cardinalis defuncti subrogatus est dilectus filius noster Ioannes Baptista cardinalis Pallotta nuncupatus, dicti Ordinis sancti Augustini protector: a quo iisdem processibus in congregatione praedictâ relatis, ab eâque mature discussis, declaratum est, abunde constare de validitate, de relevantiâ, de incremento cultus, ac etiam de duobus aliis miraculis de novo patratis, et sic adimpleta esse omnia ea quae novis decretis expetebantur.

Instantes pro canonizatione.

§ 30. Accedentibus carissimi in Christo filii nostri Philippi IV Hispaniarum regis catholici, venerabilium etiam fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum regnorum Hispaniae, necnon eorumdem procerum ac etiam totius Ordinis Eremitarum sancti Augustini precibus, quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictis et a nobis id saepius postulaverant et postulabant.

Relatio de vita et aliis sequuta.

§ 31. Reliquum erat, ut de more universam causam cardinales, quibus id commissum fuerat, recenserent, et pro rei gravitate recognoscerent. Id quod cum recte fideliterque praestitissent, idemque omnes sensissent, praedictus deinde Ioannes Baptista cardinalis de vitae sanctitate, virtutibus et miraculis servi Dei Thomae, necnon de actis omnibus in eâdem rituum congregatione coram nobis habitâ plenissime retulit. Mox per venerabilem etiam fratrem nostrum Iulium episcopum Sabinensem S. R. E. cardinalem Sacchettum similiter nuncupatum, dictae congregationis praefectum, totius summâ processus in consistorio nostro secreto plene relatâ, suâ collegarumque sententiâ expositâ, reliqui cardinales, qui aderant, unanimi suffragio eamdem sententiam approbarunt. Quapropter sequenti publico consistorio, in quo pro canonizatione dicti B. Thomae verba fecit, dilectus etiam filius Marcus Antonius Burattus nostrae consistorialis aulae advocatus, et nomine praedicti regis, necnon praedictarum universitatum et regnorum, ac totius Ordinis Eremitarum nobis humiliter supplicavit. Nos in tam gravi causâ cardinales, patriarchas, archiepiscopos et episcopos, qui tunc aderant, hortati sumus, ut eleemosynis, ieiuniis et orationibus sedulo incumberent[1], quo divina voluntas clarius nobis elucesceret. In semipleno postmodum consistorio ex more accersitis non solum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis praedictis, sed praesentibus nostris et Sedis Apostolicae notariis, ac

1 Edit. Main. legit *incumbent* (a. t.).

sacri palatii nostri apostolici causarum auditoribus, de vitâ et miraculis B. Thomae, quae opportuna visa sunt, proposuimus: omnesque ad eius canonizationem deveniendum esse aperte suffragiis confirmarunt. Nos itaque, unanimi consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus, et Dei nutum ad[1] voluntatem sequuti, iustum et debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in caelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, diem canonizationis indiximus, cunctos adhortati, ut, iunctis nobiscum precibus, eleemosynis, ieiuniis et sacrificiis, Spiritus Sancti gratiam nostrae humilitati in tam alto negotio impetrare studerent.

Beatum Thomam sanctorum catalogo adscribit.

§ 32. Tandem, cum nihil aliud desideraretur eorum, quae ex sanctorum patrum auctoritate, sacrorum canonum decretis, sanctae Romanae Ecclesiae antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, hodie in sacrosanctâ B. Petri Apostolorum Principis basilicâ, in qua solemni ritu cum eiusdem S. R. E. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis Romanae curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdem Philippi regis a dilecto etiam filio nostro Hieronymo tituli S. Mariae Transtyberim presbytero cardinale Columna similiter nuncupato, ac per Marcum Antonium advocatum praedictum, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, post Spiritus Sancti gratiam rite imploratam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio, B. Thomam de Villanova archiepiscopum Valentinum Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, statuentes ab Ecclesiâ universali quolibet anno, die XVIII septembris, memoriam eius inter sanctos Confessores Pontifices piâ devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Visitantibus sepulchrum indulgentiam elargitur.

§ 33. Eâdemque auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in die festo ipsius S. Thomae ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus, in formâ Ecclesiae consuetâ.

Praesentibus canonizationi plenariam concedit indulgentiam.

§ 34. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum Dominum Patris sempiternum Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, peculiari in honorem B. Thomae oratione precati sumus per eiusdem merita, atque ad altare sancti Petri apostoli missam celebravimus cum eiusdem Sancti commemoratione, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concessimus.

Conclusio.

Dignum igitur et iustum est, nos gratias agere et gloriam dare Deo viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et cum illum dederit nobis

[1] Videtur legendum *ac* pro *ad* (R. T.).

quasi fulgentem solem in templo suo in hac nocte peccatorum et tribulationum nostrarum, adeamus cum fiduciâ thronum divinae misericordiae, ore et opere supplicantes, ut S. Thomas universo christiano populo prosit meritis et exemplis, precibus adsit et patrocinio, et in tempore iracundiae fiat reconciliatio.

Transumptorum fides. § 35. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus eorum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem ubique fidem haberi, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Decretum irritans. § 36. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCLVIII, kalendis novembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 novembris 1658, pontif. an. IV.

✠ EGO ALEXANDER

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Providentem[1] *Dominum in conspectu meo semper, quoniam a D. est mihi N. C.*[2]

†

† Ego Franciscus episcopus Portuensis cardinalis Barberinus.

† Ego Bernardinus episcopus Praenestinus cardinalis Spada.

† Ego Iulius episcopus Sabinensis cardinalis Sacchettus.

† Ego Martius episcopus Albanensis cardinalis Ginettus.

† Ego Antonius Barberinus episcopus Tusculanus cardinalis Antonius.

†

†

†

† Ego Hieronymus tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Columna.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Pallottus.

† Ego Franciscus Maria basilicae Ss. XII Apostolorum presbyter cardinalis Brancatius.

† Ego Videricus tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Carpineus.

† Ego Marcus Antonius tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Franciottus.

†

†

† Ego frater Vincentius tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Florentiola.

† Ego Iulius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Gabriellius.

† Ego Caesar tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Facchenettus.

†

†

† Ego Angelus tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Georius.

†

† Ego Nicolaus S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Ludovisius.

†

† Ego Federicus tituli S. Martini in Montibus presbyter cardinalis Sfortia.

†

†

†

†

†

† Ego Aloysius tituli S. Alexii presbyter cardinalis Homodeus.

[1] Videtur legendum *Providebam* (R. T.).

[2] Scilicet *a dextris est mihi ne commovear* (R. T.).

†
† Ego Iacobus tituli S. Mariae Transpontinae presbyter cardinalis Corradus.
†
†
† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio presbyter cardinalis Santacrucius.
† Ego B. tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Aldobrandinus.
† Ego Ioannes Baptista Spada tituli sanctae Susannae presbyter cardinalis S. Susannae nuncupatus.
†
† Ego Franciscus tituli S. Mariae in Via presbyter cardinalis Albitius.
†
† Ego F. tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Chisius.
†
†
†
† Ego Iulius tituli S. Xisti presbyter cardinalis Rospigliosius.
† Ego Nicolaus tituli S. Eusebii presbyter cardinalis a Balneo.
†
† Ego F. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam presbyter cardinalis Paulutius.
†
† Ego Virginius S. Mariae in Vialata diaconus cardinalis Ursinus.
†
† Ego Vincentius S. Eustachi diaconus cardinalis Costagutus.
†
† Ego Paulus Æmilius S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Rondaninus.
†
† Ego Benedictus Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Odescalchus.
† Ego Laurentius S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Raggius.
†
†
† Ego Carolus Barberinus diaconus cardinalis S. Caesarii.
†
†
† Ego Decius S. Adriani diaconus cardinalis Azzolinus.
†
†
†
†
†

CCXV.

Quod Iudaei solvere teneantur pensiones domorum illocatarum ghetti pro tempore, quo illae non erunt locatae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad ea per quae christifidelium quorumlibet, praesertim vero huius almae Urbis nostrae incolarum, commodis et utilitatibus opportune consulitur, libenter intendimus, et desuper auctoritate nostrae partes favorabiliter interponimus, prout rationi et aequitati consentaneum esse conspicimus.

Motiva. § 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster indulserit universitati iudaeorum eiusdem Urbis, inter alia, ut e domibus intra septa ghetti eorumdem iudaeorum, quas ipsi pro tempore inhabitant, quovis praetextu expelli, ipsarumque pensiones domorum, quas tunc solvebant, augeri minime possent; sicut autem accepimus, ipsi iudaei, in vim privilegii seu indulti huiusmodi, domos praedictas sibi invicem absque dominorum illarum consensu ven-

1 Vide ad Constit. DXXIX (al. 495) Urbani VIII, tom. XIV, pag. 500, super praestatione alimentorum hebraeis creditorum.

dant cum earum persaepe membrorum confusione, et desuper dotium et alios qui sciri non possunt contractus et hypothecas conficiunt, unde pensiones huiusmodi domorum suis dominis difficilioris exactionis redduntur, ac insuper domos praedictas aliis iudaeis sublocent, in eisque multo plures inquilinos inducunt, ita ut ex eis longe maiorem eâ quam solvunt percipiant pensionem, domosque huiusmodi adeo male inhabitent, ut domini crebro ad illarum instaurationem cogantur, viceque versâ domos praedictas pro suo arbitrio dimittere posse praetendant, et re ipsâ plurimae illarum multos annos illocatae fuerint, emanatâ inter ipsos prohibitione, ne eorum ullus domum ab alio iudaeo dimissam conducat; cumque fraudibus huiusmodi nullâ aliâ ratione obviam iri possit, quam viâ iuris et litium, quas easpropter per domorum praedictarum dominos, inter quos multa loca pia existunt, magno cum incommodo et dispendio in dies sustineri oportet:

Statuit ut in rubrica.

§ 2. Hinc est quod nos[1], iudaeorum praedictorum malitiam eâ in re opportuno remedio retundere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, universitatem iudaeorum in Urbe praedictâ commorantium quibuscumque christianis dominis domorum in eodem ghetto consistentium, nunc et quandocumque in futurum illocatarum, pro tempore quo illae non erunt locatae, pensiones solitas perinde, ac si particularibus iudaeis locatae essent, solvere teneri et obligatam existere, atque ad id opportunis iuris et facti remediis summarie, simpliciter et de plano sine figurâ et strepitu iudicii, ac solâ facti veritate inspectâ, omni et quacumque appellatione remotâ, cogi et compelli posse et debere, tenore praesentium, perpetuo statuimus, volumus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti iudaei ad praemissa citati et auditi non fuerint, et illis non consenserint, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu, ac ex qualibet aliâ causâ, colore et praetextu, etiam enormis et enormissimae laesionis, ullo unquam tempore notari, impugnari, rescindi, retractari, aut ad viam et terminos iuris reduci et revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut quodvis aliud iuris et facti remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in iudicio et extra illud uti minime posse, sed illas firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et aliis constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter ex-

[1] Circa domus ghetti iudaeorum quae illocatae manent vide aliam Alexandri VII constitut. supra pag. 319 huius vol. (R. T.).

pressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 novembris 1658, pontif. anno IV.

CCXVI.

Iniungitur superioribus conventuum provinciae Portugalliae Ordinis S. Hieronymi, sub poenis privationis vocis activae et passivae ac officiorum et dignitatum, et inhabilitatis ad ea, ut ratas annuales quindenniorum solvendorum camerae apostolicae in capsâ seu loco separato, seorsim ab aliis ipsorum conventuum redditibus, quotannis deponant[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius prior conventus S. Mariae de Bethleem nuncupati monachorum Ordinis S. Hieronymi vicarius generalis provinciae Portugalliae, quod nonnulli eiusdem provinciae conventus camerae nostrae apostolicae quindennia ecclesiarum quas obtinent solvere tenentur, dictorumque conventuum priores iam aliàs in loco separato quotannis summam pecuniarum, quae solvi debebat, deponere solebant. Quoniam vero, sicut eadem expositio subiungebat, priores huiusmodi pecunias quindenniorum praedictorum deponere destiterunt, totumque debitum ad tempus solutionis reservant, non sine maximo eorumdem conventuum praeiudicio, qui saepenumero tunc pecunias huiusmodi solvere coguntur, et eorum argentea oppignorare; nobis propterea idem exponens[1] humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decernit ut in rubrica. § 2. Nos igitur, eumdem exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, superioribus conventuum praefatorum, ad quos spectat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, iniungimus sub privationis vocis activae et passivae, ac etiam officiorum et dignitatum, quae obtinent, ac inhabilitatis ad ea, ipso facto incurrendis poenis, ut ratas annuales pecuniarum, pro oneribus praedictorum quindenniorum persolvendorum, in capsâ seu loco separato seorsim ab aliis ipsorum conventuum redditibus singulis quibusque unitis[2] realiter et actualiter deponant, nec inde, nisi ad effectum praemissum solvendi quinquennia huic sanctae Sedi Apostolicae debita, amoveant, seu in alium quemcumque usum convertant.

Poenae. § 3. Decernentes insuper eisdem quoque poenis subiacere officiales deputatos *acquirios* nuncupatos, qui, si secus super his factum noverint, communitati conventuum quocumque praetextu nunciare neglexerint vel non curaverint.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Male edit. Main. habit *exponentes* (R. T.).
[2] Potius lege *annis* pro *unitis* (R. T.).

Contraria refellit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx novembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 novembris 1658, pontif. anno IV.

CCXVII.

Confirmatio decreti pro Congregatione Ordinis monachorum sancti Hieronymi Portugalliae editi, quod nullus ex dictâ Congregatione religiosus particularis possit impetrare Breve aliquod a Sede Apostolicâ, aut decretum a congregatione Regularium pro religione in communi, speciatim pro praesidente capituli, sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ac exilii ad quadriennium a conventu cuius est filius.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Quae pro religiosorum Ordinum quorumcumque statu prospere dirigendo provide facta noscuntur, illa, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius Constitutionis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Aloysius Alvarez de Rocha, inquisitor supremi adversus haereticam pravitatem inquisitionis officii regni Portugalliae, deputatus praesidens a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis pro capitulo quod pro electione vicarii generalis in Congregatione monachorum Ordinis sancti Hieronymi Portugalliae aliàs celebratum fuit, ipseque vicarius generalis electus cum suo definitorio, quod ipsi, considerantes incommoda quae oriuntur ex quo nonnulli dicti Ordinis religiosi particulares litteras apostolicas aut decreta ab eâdem congregatione ipsorum cardinalium religionem praedictam concernentia in communi aut speciatim pro praesidentibus capituli impetrant, prout experientia docuit occasione dicti capituli, in quo repertae fuerunt binae in simili formâ Brevis litterae pro celebratione illius, quarum una ad unius religiosi particularis altera ad ipsius Ordinis instantias impetratae fuerunt, ultra quod a novem annis citra quidam dicti Ordinis monachus domum suam regularem egressus absque illius superioris licentiâ pro uno praesidente unum Breve huiusmodi, nullâ ad id suffultus facultate, reimpetravit, ex quo maximae in ipso Ordine perturbationes exortae sunt; proinde ipsi Aloysius praesidens ac vicarius generalis suumque definitorium huiusmodi opportune decreverunt, statuerunt et mandarunt, ne quivis dicti Ordinis religiosus particularis sub poenâ privationis vocis activae et passivae, ac exilii a conventu, cuius erit filius, ad quadriennium, litteras in eâdem formâ Brevis a dictâ Sede Apostolicâ, aut decreta ab eisdem cardinalibus pro ipsâ religione in communi, et speciatim pro praesidente capituli procurare vel impetrare possit. Nobis

propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum.

§ 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, attentis narratis, ne pax et tranquillitas praefatae provinciae causâ praemissorum perturbetur, seu aliàs bonum regimen detrimentum patiatur, praefatum decretum, seu statutum et mandatum exponentium, quatenus ut dictum est[1], legitime emanaverit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac iuxta illius formam et tenorem sub poenis in eo contentis observari exinde per[2] quemlibet dictae congregationis religiosum mandamus et praecipimus, ac irritum et inane decernimus quicquid secus super his absque consensu et speciali licentiâ vicarii generalis et definitorii privati eiusdem congregationis contigerit impetrari.

Contraria reiicit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII novembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 novembris 1658, pontif. anno IV.

1 Verbum *est* et distinctionem interpunctionis nos addimus (R. T.).

2 Edit. Main. habet *de per* pro *per* (R. T.).

CCXVIII.

Declaratio super ecclesiis et bonis commendarum de Scapezzano, de Saxoferrato et Fanensis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset applicationem et appropriationem bonorum commendae S. Marci hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani aliàs institutam tribus commendis.

§ 1. Aliàs praeceptoriam seu commendam S. Marci Fanensis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, certo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, modo tunc vacantem, perpetuo suppressimus et extinximus, ac ex illius bonis, iuribus, redditibus, fructibus et proventibus universis, tres praeceptorias seu commendas, unam videlicet Fanensem, et alteram de Scapezzano, ac tertiam de Saxoferrato respective nuncupandas pro totidem fratribus militibus linguae Italiae hospitalis praedicti sub certis modo et formâ tunc expressis itidem perpetuo ereximus et instituimus, tribusque praeceptoriis seu commendis sic erectis et institutis, illi videlicet, quae de Scapezzano vocatur, omnia et singula membri de Scapezzano, et alteri, quae de Saxoferrato nuncupatur, omnia et singula membri de Saxoferrato, tertiae vero, Fanensi nuncupatae, reliqua omnia et singula praeceptoriae seu commendae S. Marci Fanensis, sicut praemittitur, suppressae et extinctae bona, res et proprietates quascumque in quibusvis rebus consistentia et ubicumque, et cuiuscumque qualitatis, speciei, quantitatis et valoris existentia, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis universis, etiam perpetuo concessimus, applicavimus et ap-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

propriavimus, et aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXVI februarii proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur[1].

Nunc illa bona distribuit commendis institutis.

§ 2. Nunc autem, quae bona et ecclesiae ad singulas ex praedictis tribus praeceptoriis seu commendis per nos erectis et institutis ex infrascriptis ecclesiis et bonis supradictae praeceptoriae seu commendae suppressae et extinctae respective spectare debeant, distinctius et apertius declarandum et constituendum esse rati, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, cappellam S. Mariae de Bodio Maëstadella vulgariter nuncupatam in territorio terrae Mondolfi, ac ecclesiam S. Anastasii de Scapezzano (quae cappellae huiusmodi membrum existit), cum omnibus et singulis ipsarum cappellae et ecclesiae bonis, rebus, proprietatibus, iuribus et pertinentiis universis (canone tamen seu canonibus certae quantitatis frumenti ratione terrenorum *dell'otto* vulgariter vocatorum in dicto territorio terrae Mondolfi positorum, et a diversis personis possessorum, dictae cappellae debitis, nec non, ex bonis eiusdem cappellae, medietate cuiusdam molendini veteris nuncupati ad dictam cappellam in praedicto territorio terrae Mondolfi spectante, cuius molendini alteram medietatem universitas eiusdem terrae Mondolfi possidet, ac insuper quinque octavis partibus alterius molendini *delle cone* vulgo appellati, ad dictam ecclesiam S. Anastasii pertinentibus, exceptis) ad praedictam de Scapezzano cum responsionis trecentorum viginti sex; ecclesiam vero parochialem S. Petrignani loci *rio ritroso* nuncupati in territorio terrae Saxoferrati et villâ *Porticano* vulgo vocatâ, pariter cum omnibus et singulis bonis, rebus, proprietatibus et iuribus ad illam tam in dicto territorio terrae Saxoferrati quam in territorio civitatis Eugubinae spectantibus, praeterea omnia et singula ecclesiae olim sub invocatione S. Ioannis Dedignis in praedicto territorio terrae Saxiferrati, ac ecclesiae olim S. Ioannis Pisaurensis in territorio civitatis Pisaurensis respective bona, res, proprietates, iura et pertinentias universa, ad haec annuum canonem seu canones certae quantitatis frumenti praedictae cappellae S. Mariae de Bodio ratione dictorum terrenorum *dell' otto* vulgo nuncupatorum, ut praemittitur, debitos, ac primodictam medietatem memorati molendini veteris nuncupati ad dictam cappellam in territorio terrae Mondolfi spectantem, et quinque octavas partes alterius molendini praedicti *delle cone* appellati ad dictam ecclesiam S. Anastasii de Scapezzano pertinentes, ecclesiam quoque S. Ioannis in Valle in curiâ de Montenovo, cum omnibus et singulis illius bonis, rebus, proprietatibus, iuribus et pertinentiis universis, ad memoratam de Saxoferrato cum responsionis centum; ac demum S. Marci Fanensis, ac in territorio civitatis Senogalliae et villâ de Filetto positam S. Mariae de Filetto, parochiales ecclesias, similiter cum omnibus et singulis earum bonis, rebus, proprietatibus, iuribus et pertinentiis universis, necnon omnia et singula ecclesiae olim S. Ioannis de Senogallia bona, res, proprietales, iura et pertinentias universas[1], ad supradictam Fanensem, respective nuncupatas praeceptorias seu commendas a nobis erectas et institutas, cum responsionis centum quinquaginta scutorum monetae romanae

1 Litteras praedictas habes supra pag. 333 huius tomi (R. T.).

1 Supra lectum fuit *universa* (R. T.).

communi aerario dicti hospitalis per dilectos filios praeceptores seu commendatarios trium praeceptoriarum seu commendarum huiusmodi nunc et pro tempore existentes annuatim respective praestandorum onere, spectare et pertinere, ipsisque tribus praeceptoriis per nos erectis et institutis respective perpetuo concessa, applicata et appropriata esse et censeri debere, tenore praesentium declaramus, ac decernimus et constituimus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti praeceptores seu commendatarii, necnon dilecti pariter filii magnus magister et conventus ac consilium et fratres quicumque memorati hospitalis, aliique quilibet et speciali et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae aut iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, et etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodvis iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvari posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium declarationum, decretorum et gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros Sedemque Apostolicam quomodocumque faciendis, ullatenus comprehendi seu comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, de novo concessas, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon quaecumque tribunalia hospitalis praedicti, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedictis nostris litteris, ac omnibus et singulis, quae in illis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII novembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 novembris 1658, pontif. anno IV.

CCXIX.

Mandatum provinciali provinciae Turoniae Pictanensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, ut nonnulla decreta, rescripta et Brevia a perturbatoribus observari faciat[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset decreta aliàs emanata, ut compescatur impetus quorumdam fratrum Ordinis sancti Francisci de Observantiâ provinciae Turoniae Pictanensis.

§ 1. Nomine dilectorum filiorum totius definitorii, necnon omnium superiorum etiam reformatorum provinciae Turoniae Pictanensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit dilectus pariter filius Guillielmus Troulliet, frater expresse professus et procurator eiusdem provinciae, quod aliàs, ad sedandam quamdam rebellionem per dilectos etiam filios Iosephum le Ballenr, Ægidium Noblè, Ioannem Iagu, Iulianum Brault, Bonaventuram Philippon, et nonnullos forsan alios dictae provinciae fratres publicae quietis perturbatores in provinciâ huiusmodi suscitatam et per biennium integrum cum maximo totius Ordinis praedicti scandalo continuatam, congregatio venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita duos ex supradictis, qui ad hanc almam Urbem accesserant, ad suam provinciam tamquam apostatas et rebelles per decretum die XI ianuarii proxime praeteriti remisit, et deinde capitulum provinciale dictae provinciae in conventu de Sattenay die XX octobris MDCLVII celebratum, quod iidem rebelles impugnare praetendebant, per aliud decretum die XXIV maii proxime elapsi approbavit, quod etiam postea per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras die XVII iunii subsequentis expeditas confirmatum fuit; ac subinde supradictis rebellibus, qui hic instabant pro obtinendâ facultate mittendi duos alios, eadem congregatio per rescriptum die V iulii proxime praeteriti emanatum specialiter inhibuit, ne attentâ duorum expulsione alios pro eâdem causâ ad Urbem accedere permitterent; et postmodum, per aliud decretum die XXIII augusti subsequentis editum, quoddam concordatum, in castello domini temporalis oppidi Clisii inter dilectos filios ministrum provincialem et duos definitores dictae provinciae ex unâ parte et praefatum Iosephum le Balleur nonnullosque illi adhaerentes ex alterâ irritum[1], tamquam ambitionis fomentum et tranquillitatis dissidium cassavit et annullavit, praecipiendo omnibus provinciae praedictae fratribus, ut in omnibus statuta Ordinis, provinciae huiusmodi servarent; ac demum eisdem rebellibus per aliud decretum die XXVII septembris proxime praeteriti emanatum super praetensâ erectione custodiae perpetuum silentium imposuit.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, a definitorio generali dicti Ordinis Matriti congregato, auditis ex utrâque parte rationibus, decretum fuerit die XXVII iunii proxime elapsi contra petitionem supradicti Iosephi le Balleur, quod definitorium provinciae non tenebatur[2] eligere guardianos conventuum reformatorum ad eorumdem reformatorum postulationem, sed quod satis erit si eligantur ex reformatis, qui tunc temporis erunt in conventibus reformatis et per biennium proxime praecedens laudabiliter vixerint; quodque minister provincialis per se ipsum poterit reformatorum conventus visitare nisi aliter in Domino iudicaverit expedire; quo casu

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

[1] Potius lege *initum* (R. T.).

[2] Forsan legendum *teneatur* (R. T.).

definitorem reformatorum aut alium ex reformatis deputare tenebitur; cumque venerabilis frater noster Franciscus episcopus Portuensis eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Barberinus nuncupatus, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protector, decretum huiusmodi die XIX octobris proxime elapsi suâ et memoratae congregationis auctoritate confirmaverit; praedicti vero rebelles, omnibus praemissis non obstantibus, in suâ rebellione pertinaciter durent, et spretis dictae congregationis decretis, etiam[1] auctoritate, ab iisdem praemissis appellare ausi fuerint; nobis propterea dictus Guillelmus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Mandat provinciali provinciae Turonae S. Francisci de Observantia ut illa decreta ab inquietis et perturbatoribus observari faciat.

§ 3. Nos igitur, eumdem Guillelmum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de praefatae congregationis cardinalium consilio, attentis narratis, ut omnino praefatae memoratae provinciae perturbatores, et omnes alii, si qui forsan existunt, eorum fautores et adhaerentes tandem aliquando compescantur, et pax et tranquillitas dictae provinciae restituatur et conservetur, dilecto filio ministro provinciali eiusdem provinciae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, stricte iniungimus, ut omnia supra enunciata decreta, rescripta et litteras apostolicas in formâ Brevis desuper emanatas a praefatis fratribus perturbatoribus, omnibusque aliis ad quos spectat seu spectabit, observari faciat sub poenis in eis contentis, ac etiam ecclesiasticis censuris omnimode observari curet, mandat[1] et praecipiat, super ex adverso praetensis perpetuum silentium imponendo.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 decembris 1658, pontif. anno IV.

[1] Videtur legendum et pro etiam (R. T.).

[1] Legendum mandet pro mandat (R. T.).

CCXX.

Confirmatio decreti Congregationis Immunitatis, quod pro eleemosynis frumenti, vini, lanae et similium, tam datis, quam receptis, pro victu fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, non sit solvenda gabella[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset decretum Congregationis Immunitatis.

§ 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet: « Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium immunitati ecclesiasticae et iurisdictionalibus controversiis praeposita censuit pro eleemosynis frumenti, vini, lanae et similium, tam datis, quam receptis, pro victu et vestitu fratrum Ordinis sancti Francisci Minorum de Observantiâ, non esse solvendam gabellam. Die XII novembris MDCLVIII.

M. card. GINETTUS.

B. ROCCIUS, sacrae congr. secret.

Quod confirmat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut subinde pro parte praefatorum Minorum Ordinis sancti Fran-

[2] Ex Regest. in Secret. Brev.

cisci de Observantiâ nuncupatorum nobis expositum fuit, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium remotio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 11 decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXI.

Facultas rectori et sapientibus operae metropolitanae ecclesiae Senensis demoliendi domum archiepiscopalem Senensem, et pro archiepiscoporum habitatione assignandi domum eiusdem operae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii rector et sapientes operae metropolitanae ecclesiae Senensis, quod, cum domus archiepiscopalis Senensis, quae eidem ecclesiae a latere contigua existit eum in statum redacta reperiatur ut inhabitabilis sit, eiusque ruina nequeat evitari, ipsi exponentes dictae ecclesiae publicumque decorem notabiliter auctum iri credunt, si eadem domus destruatur, et illa pars faciei exterioris ecclesiae praedictae, cui dicta domus archiepiscopalis adhaeret, incrustationibus marmoreis sicut reliqua facies exterior ipsius ecclesiae ornetur, scalaeque ab eâdem parte construantur similes illis, quae ab anteriori eiusdem ecclesiae parte existunt.

Supplicatio

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, venerabilis frater modernus archiepiscopus Senensis, qui, ut dicti exponentes asserunt, in propriâ domo suâ habitat, domus archiepiscopalis praedictae demolitioni consentiat, ipsique exponentes ad demolitionem domus huiusmodi devenire, et pro futurorum archiepiscoporum Senensium habitatione domum operae supradictae, donec iisdem archiepiscopis de

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

convenientiori habitatione providerint, assignare plurimum desiderent: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Conceditur ut demolialur domus archiepiscopalis Senensis, illiusque materialium pretium in ecclesiae usus convertatur.

§ 2. Nos igitur, specialem dictis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem exponentibus, ut praedictam domum archiepiscopalem memoratae ecclesiae contiguam demoliri curare, necnon eiusdem domus ligna, rudera et materiem omnem vendere, ac pecunias inde proventuras in dictae ecclesiae usus et ornatum convertere et erogare, et pro futurorum archiepiscoporum Senensium habitatione praedictam domum operae, donec illis de aliâ congruentiori habitatione providerint, assignare, de praedicti tamen moderni archiepiscopi ceterorumque in praemissis interesse habentium respective consensu, libere et licite possint et valeant, quamcumque necessariam et opportunam facultatem et licentiam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon, quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae metropolitanae ecclesiae, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXII.

Donativum extraordinarium regni Siciliae scutorum centum millium pro rege catholico pro unâ vice tantum[1].

Venerabili fratri[2] archiepiscopo Montis Regalis, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Exponi nobis nuper fecit[3] carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod, cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia ecclesiasticum, militare et demaniale nuncupata regni Siciliae ultra pharum, cuius ipse Philippus etiam rex existit, de mense iulii huius anni MDCLVIII eidem Philippo regi occasione nativitatis eius filii Hispaniarum principis donativum extraordinarium centum millium scutorum expendendorum pro munitione civitatum, terrarum et locorum dicti regni, ac sub certis terminis, modoque et formâ, et pro

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *frater* (R. T.).
3 Similem vide supra pag. 7 huius tomi (R. T.).

hac vice dumtaxat exigendum, obtulerint, venerabiles quoque fratres archiepiscopi, episcopi, ac archimandrita et aliae ecclesiasticae personae dicti regni certam ratam non excedentem sextam partem praedictorum centum millium scutorum solvendorum, ut praemittitur, sponte suâ in eisdem comitiis, accedente tamen ad hoc nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt et forsan etiam persolverunt.

Per concilium Lateranense vetitum est potentatibus aliquid subventionis nomine ab ecclesiasticis etiam sponte offerentibus exigere absque apostolico beneplacito.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo praesertim quod per Lateranense concilium novissime celebratum diversasque alias canonicas sanctiones sub certis censuris et poenis cavetur expresse, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, dictus Philippus rex ac eius regni illius ministri dubitent ratam praedictam ante obtentum beneplacitum apostolicum recipiendo, censuras et poenas huiusmodi incurrere, et forsan incurrisse, nobisque propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecerit pro suae et dictorum ministrorum conscientiae quiete, quatenus praemissis nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Annuit Pontifex tali subventioni voluntarie faciendae regi catholico per ecclesiasticos.

§ 2. Nos igitur, eiusdem Philippi regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, constito tibi per legitimas probationes de expresso maioris partis cleri, seu archiepiscoporum, episcoporum et aliarum personarum ecclesiasticarum secularium et cuiusvis Ordinis regularium dicti regni consensu, et quod reliqui vel reliquae personae non consentientes vocati et vocatae fuerint, oblationi et promissioni, necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam, ac alias personas ecclesiasticas factis pro hac vice tantum nostram et Sedis praedictae auctoritatem vigore praesentium interponas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas huiusmodi, etiamsi sint de illis, quae pro minori cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati et vocatae fuerint, ad solutionem eorum ratae opportunis iuris et facti remediis cogas et compellas; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et archimandritae, aliisque ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi per eos, ut praemittitur, oblatam et promissam persolvere, ac dictus Philippus rex et eius ministri eam petere et recipere absque conscientiae scrupulo seu censurarum et poenarum praedictarum incursu libere et licite valeant, auctoritate nostrâ concedes[1] et indulgeas, ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, aliasque personas ecclesiasticas et earum singulas, et[2] quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint et solverint, necnon eumdem Philippum regem eiusque ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate, absolvas et absolutos fore censeas et declares. Et quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus loco pensionum fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen S. R. E. cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per omnia perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, et quod dictae pensiones ab omni

Excipiuntur tamen ab hac subventione S. R. E. cardinales.

1 Legendum *concedas* (R. T.).

2 Particula *et* redundare dignoscitur (R. T.).

decimâ, subsidio charitativo et quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione, tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infideles, et reipublicae christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris regum, ducum et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus) teneantur et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita, aliaeque personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus apostolicâ auctoritate assignatis gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud quod pro ipsis pensionariis, seu iis quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter ac quaecumque fictione cessante persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eâdem auctoritate decernas.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum, pensionum et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento ac censurarum et mandati executivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eâ[1] caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eisdem derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum et hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes ecclesiastici a praedicta solutione sunt exempti.

§ 4. Ceterum, volentes providere, ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, te hortamur attente, et in virtute sanctae obedientiae tibi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil aut parum etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta viginti quinque monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittas.

Exactio committitur.

§ 4. Volumus autem quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas ecclesiasticas a dicto Philippo rege seu venerabili fratre moderno archiepiscopo Panormitano regni praedicti prorege nominandas et per te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent; quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici sub-

Transumptorum fides.

1 Forsan legendum *eis* pro *eâ* (R. T.).

scriptis, et sigillo personae in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXIII.

Quod nullus particularis religiosus Congregationis canonicorum regularium S. Augustini Portugalliae possit de cetero impetrare a Sede Apostolicâ quamvis gratiam concernentem commune regimentum dictae Congregationis sine consensu et speciali licentiâ capituli generalis sub poenâ nullitatis similis gratiae[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Cum, sicut dilecti filii superior generalis et definitores congregationis canonicorum regularium sancti Augustini regni Portugalliae nobis nuper exponi fecerunt, nonnulli particulares dictae Congregationis canonici suâpte sponte propriâ auctoritate a Sede Apostolicâ multoties impetrarint soleantque impetrare varias gratias et indulta commune eiusdem Congregationis regimen concernentia, e quibus experientia docuit nonnisi discordias, perturbationes, animorumque alienationes cum maximo disciplinae regularis detrimento provenire; nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Decretum ut in rubrica. § 2. Nos igitur, incommodis, quibus eâ de causâ congregatio praefata affici posset, obviam ire, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ne de cetero perpetuis futuris temporibus quicumque dictae Congregationis canonicus particularis a praefatâ Sede quodvis indultum seu gratiam concernens commune eiusdem congregationis regimen et gubernium absque speciali capituli generalis eiusdem Congregationis licentiâ et consensu quoquo modo impetrare possit, audeat vel praesumat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes irritum, nullum et inane, si quid secus a quoquam contra tenorem praesentium contigerit attentari vel impetrari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1658, pontif. anno IV

CCXXIV.

Commissio inquisitori Melitano super concessione facultatis imponendi contributionem trium scutorum super qua-

libet salmâ terreni in insulâ Gaudisii hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani [1].

Dilecto filio inquisitori adversus haereticam pravitatem in insulâ Melitanâ a nobis deputato,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Motivum huius Constitutionis.

§ 1. Aliàs, pro parte tunc existentis magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro exposito, quod valde necesse erat insulam Gaudisii, ad eumdem magnum magistrum et hospitale praedictum spectantem, crebrisque Turcarum invasionibus obnoxiam, munimentis adversus invasiones huiusmodi de cetero tutam et quoad posset inexpugnabilem reddi; quodque id, constructo in parte eiusdem insulae Marsalforno vulgo nuncupatâ munitioni peropportunâ novo propugnaculo cum evidenti incolarum securitate et salute ob salubriorem inibi caeli temperiem facile fieri [2] poterat; verum vires communis aerarii dicti hospitalis bellis ita accisae erant ut sumptibus ad praemissa necessariis nequaquam sufficerent: idem Urbanus praedecessor, supplicationibus memorati magni magistri nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existenti inquisitori adversus haereticam pravitatem in insulâ Melitanâ a se deputato commisit et mandavit, ut, veris existentibus praemissis, eidem magno magistro, ut, ad quinquennium dumtaxat, contributionem annuam trium scutorum super qualibet salmâ terreni quod conseritur in dictâ Gaudisii insulâ, ad cuius quidem contributionis solutionem omnes et singuli teneri huiusmodi possessores, tam laici quam ecclesiastici, etiam cuiusvis ordinis, congregationis et instituti, ac dicti hospitalis regulares, etiam ipse magnus magister, durante dicto quinquennio tenerentur, et opportunis iuris et facti remediis cogi possent, ita tamen ut contributio huiusmodi in munitiones praedictae insulae Gaudisii, et non in alios usus, integre converteretur et converti deberet, imponere valeret, facultatem concessit, et aliàs prout in dicti Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die VIII augusti MDCXLIII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur.

Facultatem imponendi aliam contributionem ad decennium concedit.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus magnus magister hospitalis praedicti nobis nuper exponi fecit, dicta insula Gaudisii nondum ita munita reperiatur, ut adversus supradictorum Turcarum invasiones tuta sit; nec ad id efficiendum sufficiant memorati aerarii vires; ipseque magnus magister, quo eadem insula adversus invasiones huiusmodi tuta et inexpugnabilis quantum fieri poterit reddatur, de infrascripto subventionis auxilio a nobis provideri summopere desideret: nos, considerantes publico interesse insulam Gaudisii praescriptam, ob eius cum insulâ Melitanâ, quae maximum nedum Italiae, sed totius reipublicae christianae propugnaculum existit, vicinitatem, quacumque opportuniori ratione muniri, necnon laudabilem eiusdem moderni magni magistri, qui etiam ratam contributionis infrascriptae se tangentem solvere obtulit, hac in re sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male ut puto edit. Main. legit *frui* pro *fieri* (R. T.).

si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus praemissis, dicto moderno magno magistro, ut, ad decennium dumtaxat, contributionem annuam trium scutorum super qualibet salmâ terreni quod conseritur in supradictâ Gaudisii insulâ, ad cuius quidem contributionis[1] solutionem omnes et singuli terreni huiusmodi possessores tam laici quam ecclesiastici et cuiusvis ordinis, congregationis et instituti etiam dicti hospitalis regulares, etiam ipse magnus magister, durante dicto decennio teneantur, et opportunis iuris et facti remediis cogi possint, ita tamen ut contributio huiusmodi in munitiones dictae insulae Gaudisii, et non in alios usus, integre convertatur et converti debeat, imponere libere et licite possit et valeat, facultatem auctoritate nostrâ apostolicâ concedas.

Et ad hanc contributionem ecclesiasticos aeque, ac laicos teneri voluit.

Obstantium remotio.

§ 3. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis, quae memoratus Urbanus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXV.

***Facultas magno magistro et consilio hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani concedendi ordinationem super receptione cappellanorum conventualium*[2].**

1 Male edit. Main. legit *contributiones* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii magnus magister et consilium hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, quod, cum in ecclesiâ conventus eiusdem hospitalis fratres cappellanos litteris eruditos semper reperiri multis gravissimis ex causis expediat, et praesertim quia ex illis episcopus ac prior dictae ecclesiae, qui prima duo suffragia in consilio hospitalis huiusmodi habent, pro tempore assumi solent, ipsi magnus magister et consilium (si tamen opportuna sibi hac in re facultas a nobis et hac Sanctâ Sede concedatur) ordinare destinarunt, ut quicumque sacerdotes intra limites linguarum dicti hospitalis nati, qui sacerdotes religiosi aliarum religionum non fuerint, et capitulis provincialibus seu assembleis prioratuum eiusdem hospitalis per documenta authentica constare facient quod in universitatibus studiorum approbatis, si theologi, duobus in philosophiâ et quatuor in theologiâ, si vero canonistae aut legistae fuerint, pariter quatuor annis in decretis aut in legibus civilibus respective studuerint, commissionem obtinere debeant, ut eorum probationes fiant, ipsique in fratres cappellanos conventuales hospitalis praedicti recipiantur (dummodo tamen ceteras qualitates a statutis seu stabilimentis et ordinationibus capitularibus hospitalis huiusmodi auctoritate apostolicâ confirmatis requisitas habeant), absque eo quod passagium communi aerario eiusdem hospitalis solvere teneantur, prout non tenebantur ante ultimum capitulum generale memorati hospitalis; remanente in suo vigore, quoad cetera, ordinatione LIII de receptione fratrum in eodem ultimo capitulo factâ. Quare iidem magnus magister et consilium nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra

indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Dat facultatem recipiendi in cappellanos conventuales alios extra insulam Melitae oriundos sacerdotes.

§ 2. Nos igitur, ipsum magnum magistrum et consilium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis magno magistro et consilio, ut, licet nulli presbyteri, nisi in insulâ Melitensi orti seu oriundi, in fratres cappellanos conventuales hospitalis praedicti hactenus admissi fuerint, nihilominus ipsi magnus magister et consilium praemissa, quae ordinare destinarunt, modo et formâ supra expressis, perpetuo constituere et ordinare libere, licite et valide possint et valeant (hoc tamen addito, ut in fratres cappellanos conventuales dicti hospitalis vigore ordinationis et constitutionis in vim praesentium faciendae recipiendi, nonnisi eorum rigoroso examine et in illo approbatione praeviis recipiantur), plenam et amplam facultatem, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Praeviis tamen eorum examine et approbatione.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes ordinationem et constitutionem huiusmodi, postquam a memoratis magno magistro et consilio, sicut praemittitur, facta fuerit, firmam, validam et efficacem fore, ac ab illis, ad quos pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari et illis respective suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictique hospitalis tribunalia quaelibet iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria reiicit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem hospitalis, eiusque linguarum et prioratuum quorumvis, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXVI.

Confirmatio ordinationum in pluribus capitulis generalibus Ordinis fratrum Praedicatorum factarum, ne quis religiosus, sub gravioris culpae ac etiam excommunicationis latae sententiae magistro generali reservatae interminatione, directe divisionem dicti Ordinis vel institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu procuret [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, illis, quae pro felici sacrarum religionum in eâdem Ecclesiâ pie sapienter-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

que institutarum[1], uberesque, benedicente Domino, fructus iugiter praeferentium[2], directione et gubernio provide constituta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis Ordinis Praedicatorum, quod, ad avertendam eiusdem Ordinis divisionem, retinendamque illius unionem, quam ab ipsâ sui institutione ad haec usque tempora sub unius superioris generalis directione servavit, factae fuerunt a diversis ipsius Ordinis capitulis generalibus ordinationes tenoris qui sequitur, videlicet:

Ordinationes capitulorum generalium.

§ 2. Sic dicitur in capitulo generali Romae MDCLXXXIII[3]: « Ordinamus de communi totius Ordinis consensu et prohibemus quod nullus procuret Ordinis divisionem sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ac aliis poenis gravioris culpae, a quibus non possit absolvi, nisi a magistro Ordinis; mandamusque sub eâdem poenâ, quod nullus procuret institutionem vicarii generalis Indiarum ». Quod idem Romae MDLXXXIX, Venetiis MDXCII, et interim Romae MDCI, et Parisiis MDCXI, et Ulyssipone MDCXVIII, et ultimo Mediolani MDCXXII his verbis confirmatur: « Confirmamus ordinationem Romae, Venetiis, Parisiis et Ulyssiponae factam et confirmatam, ne scilicet ullus, sub poenis in capitulo de graviori culpâ contentis, ac etiam sub poenâ excommunicationis latae sententiae, hac[4] unâ pro trinâ canonicâ monitione praemissâ (cuius absolutio reverendissimo Ordinis reservatur) directe vel indirecte divisionem Ordinis, vel institutionem vicarii generalis Indiarum, quovis praetextu audeat vel praesumat procurare.

1 Male edit. Main. legit *institutam* (R. T.).
2 Aptius lege *perferentium* (R. T.).
3 Sic edit. Main.; forsan MCDLXXXIII (R. T.).
4 Nisi legendum sit *ac* pro *hac* (R. T.).

Ordinationes a capitulis generalibus factas confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus magister generalis exponens ordinationes huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ordinationes praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Sic ab omnibus iudicari mandat.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras et praeinsertas ordinationes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quo-

modolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCLVIII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 decembris 1658, pontif. anno IV.

CCXXVII.

Confirmatio statuti Congregationis canonicorum secularium S. Ioannis Evangelistae regni Portugalliae super restrictione numeri electorum generalis eiusdem Congregationis[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, illis, quae pro felici piarum congregationum in eâdem ecclesiâ sapienter institutarum directione provide constituta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii rector generalis et definitorium Congregationis canonicorum secularium S. Ioannis Evangelistae nuncupatae in regno Portugalliae consistentis, quod dudum de anno MCDXXV eadem Congregatio sub habitu, regulâ et statutis Congregationis canonicorum secularium sancti Georgii in Alga Venetiarum in dicto regno instituta fuit, primamque fundationem habuit in monasterio de Villar *de frades* nuncupatae[2], cuius religiosis felicis recordationis Eugenius Papa IV praedecessor noster de anno MCDXLV praecepit, ut instituto, statutis, consuetudinibus et privilegiis praefatae Congregationis sancti Georgii in Alga uterentur. Verum, hoc non obstante, ob parvum numerum religiosorum qui in dictâ Congregatione S. Ioannis Evangelistae reperiebantur, introductum fuit, ut in electione rectoris generalis Congregationis huiusmodi omnes canonici seculares ipsius Congregationis in sacro presbyteratus ordine constituti, qui Congregationis huiusmodi habitum sexennii spatio gestassent, non solum praesentes sed etiam absentes per epistolam suffragium seu votum ferrent: hicque modus suffragium seu votum ferendi diu obtinuit. Postmodum tamen, cognito quod idem modus suffragium seu votum ferendi sacris canonibus adversaretur, multis fraudibus subiaceret, multisque inconvenientibus et perturbationibus causam praeberet, praesertim quia nonnunquam numerus suffragiorum ultra centum octoginta ascenderet, multique iuvenes, modicâ religionis experientiâ praediti, tonuemque personarum, quas eligere deberent, notitiam habentes, suffragium ferrent: ac considerato, quod in supradictâ congregatione S. Georgii in Alga nullum sit statutum, aut consuetudo, ut illi, qui sexennio habitus ipsius congregationis gestarunt, suffragii praerogativâ gaudeant, quodque usus dandi suffragium per epistolam, quoad eamdem congregationem S. Georgii in Alga, per quasdam litteras recolendae memoriae Sixti Papae V, praedecessoris pariter nostri, die XII iulii MDLXXXVII expeditas sublatus fuerit: memorata Congregatio S. Ioannis Evangelistae in duobus suis capitulis generalibus, uno quidem cui dilectus pariter filius Ludovicus Alvarez de Rocha in regno praedicto inquisitor adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputa-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videtur legendum *nuncupato* (R. T.).

tus ac[1] delegatione Sedis Apostolicae praesedit de anno MDCLIII et altero cum interventu centum octuaginta trium vocalium capitularium de anno MDCLVI respective celebratis, ipsius congregationis regimini consulendi, eamque tam sacrorum canonum dispositioni, quam modo gubernandi, quo dicta congregatio S. Georgii in Alga utitur, iuxta praefati Eugenii praedecessoris praeceptum, conformandi, ac fraudes et perturbationes tollendi ergo, statuit, ut in electione rectoris generalis ipsius Congregationis S. Ioannis Evangelistae ex eiusdem Congregationis canonicis soli praelati conventuum, ac definitores et rectoris generalis ipsius congregationis officio functi, necnon gradu doctoratus in universitatibus studiorum generalium Colimbriensi et Elborensi insigniti, ac lectores qui per novem annorum spatium in sacrâ theologiâ vel philosophiâ legerint, visitator et secretarius Congregationis huiusmodi suffragium seu votum ferant. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in praedictis duobus capitulis generalibus dispositum fuerit, ut statuti huiusmodi confirmatio a Sede praedictâ, id si videretur esse necessarium, obtineretur, nec[2] quisquam presbyterorum, qui dictae congregationis S. Ioannis Evangelistae habitum sexennii spatio gestarunt, contra idem statutum controversiam moveat; dictique exponentes propterea ipsum statutum apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictum statutum in dictis duobus capitulis generalibus, sicut praemittitur, editum, ut in electione rectoris generalis memoratae congregationis canonicorum secularium S. Ioannis Evangelistae nuncupatae ex eiusdem congregationis canonicis soli praelati conventuum, ac definitores, et rectoris generalis ipsius Congregationis officio functi, necnon gradu doctoratus in praefatis universitatibus studiorum generalium Colimbriensi et Elborensi insigniti, ac lectores, qui per novem annorum spatium in sacrâ theologiâ vel philosophiâ legerint, visitator et secretarius Congregationis huiusmodi suffragium seu votum ferant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Statutum in capitulis generalibus editum confirmat Pontifex.

Et vocales ad capitula destinat.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis S. Ioannis Evangelistae, eiusque conventuum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis

Derogatio contrariorum.

1 Videtur legendum *ex* pro *ac* (R. T.).
2 Videtur legendum *ne* pro *nec* (R. T.).

in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 ianuarii 1659, pontif. an. IV.

CCXXVIII.

Confirmatio quarumdam declarationum seu ordinationum universitatis et hominum artis vaccinariorum de Urbe[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et homines artis vaccinariorum de Urbe, quod aliàs, cum inter homines eiusdem artis super observatione tertii et quarti capitulorum statutorum universitatis huiusmodi circa admissionem personarum ad exercitium dictae artis, et modum, quo macella inter homines universitatis praefatae distribuerentur, natae essent controversiae, ipsi exponentes insimul congregati, ad avertendas maiores lites, dicta statuta observanda esse decreverunt, cum nonnullis tamen declarationibus, seu ordinationibus, quas bono et quieti communi magis conducibiles esse censuerunt, et reservato nostro et huius Sanctae Sedis beneplacito, ediderunt, prout continetur in scripturâ teneris sequentis, videlicet:

« Fidem facio ego notarius publicus infrascriptus, qualiter die XV novembris MDCLVIII in congregatione seu adunantiâ universitatis vaccinariorum factâ in eorum ecclesiâ S. Bartholomaei de licentiâ illustrissimorum dominorum almae Urbis conservatorum inter cetera resolutum fuit prout infra, videlicet:

Item, riservato in prima il consenso e beneplacito degl'illustrissimi signori padroni, e non altrimenti, fu decretato e resoluto, che si debba osservare quanto si contiene in due fogli consegnatimi dalli signori consoli, del tenore seguente, cioè:

Essendo nata controversia sopra l'osservanza del terzo e quarto capitolo dei nostri statuti, che parlano dell'ammissione de' soggetti e persone all'esercizio ed arte di vaccinaro respettivamente del modo di comprare e spartire fra vaccinari li macelli, per ovviare a dette liti e rimediare a questi inconvenienti seguiti, e per conservazione dell' unione fra tutti quelli che sono ascritti a questo esercizio, e ad effetto che ognuno possa con quiete e buona pace attendere a lavorare e godere gli effetti delle proprie fatiche e industria con ogni bontà e timore di Dio et amore del prossimo, si è unicamente[1] decretato e stabilito, che si mantenga la osservanza di detti capitoli terzo e quarto inviolabilmente, e si operi in esecuzione di quelli nel modo seguente:

Cioè, rispetto al terzo:

Che nessuno di qualsivoglia stato, grado e condizione ardisca di comprare roba sconcia o acconcia per conciare o apparecchiare ad uso di vaccinaro, se non sarà stato a lavorare in Roma per lo spazio di cinque anni nell'arte di vaccinaro, e se vorrà esser matricolato nella matricola delli mastri, debba dimandare licenza alli signori consoli, che saranno *pro tem-*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan legendum *unitamente* (R. T.).

pore, e debba esser esaminato dalli esaminatori da deputarsi dalli detti signori consoli, affinchè si veda se sa l'arte, e conciare, acciò la città di Roma e il publico non siano defraudati, e trovato che sarà idoneo e sappia ben l'arte suddetta, gli sia data la patente, quale pagherà dieci scudi anticipati, quali servono per mantenimento della nostra chiesa di San Bartolomeo, e facendo altrimente incorra nella pena di scudi cinquanta da applicarsi la metà alla reverenda camera apostolica, ovvero di Campidoglio. E che se li suddetti consoli, che saranno *pro tempore*, facessero patente sopra osservanza delli capitoli suddetti incorrano in pena di scudi cento da applicarsi come sopra, eccettuatone però li figliuoli delli maestri nati in Roma, quali non devono esser sottoposti alli sopraddetti capitoli, ma gli si debba rifermare la patente del padre senza pagare altro, e debba esser matricolato nella matricola dell'arte, dove si troverà suo padre;

Che quelli, che haveranno la patente dell'arte, e non bottega, non debbano entrare nè in adunanza, nè in congregazione, ma solo debbano intervenire alla Messa dell'arte, che si celebra la terza domenica di ciaschedun mese;

Che si debba portar rispetto alli consoli e camerlengo dell'arte, e facendo altrimente, sia lecito a detti consoli e camerlengo, che sono per qualsivoglia tempo, alli disobbedienti e sparlatori di farli mettere prigione di fatti con darne poi ragguaglio agl'illustrissimi signori senatori e conservatori.

E rispetto al quarto capitolo de' medesimi statuti, parimente nel modo seguente, cioè:

Che li consoli per qualsivoglia tempo assieme con i loro deputati debbano fare la distribuzione e spartizione egualmente *pro rata* di tutti i macelli, agnelli, vaccine e porcine sotto pena di scudi cinquecento da applicarsi la metà per servizio della nostra chiesa e università, e l'altra metà secondo la mente de'padroni, cioè la reverenda camera apostolica, e quella di Campidoglio;

Che nessun vaccinaro ardisca di comprare con macellari norcini, o pizzicaroli, di prender maggior parte di quella sarà assegnata nella divisione da spartitori in ciaschedun anno, anzi che tutti debbano stare all'ubbidienza e porzione assegnatagli, e che d'anno in anno gli si assegnerà da spartitori sotto pena di scudi cento per ciascheduna contravenzione in ciaschedun macello, da applicarsi come sopra. E chi contravverrà e non ubbidirà, non solo sia obligato a restituire a chi comanderanno i consoli tutta quella porzione che havesse presa o prendesse di più di quella assegnatagli da' spartitori, ma anco tenuto alla detta pena; riservato alli consoli il decidere se sia stato preso più o meno della sua porzione assegnatagli; salvo però, che se si fosse ecceduto per errore nel prender cinque o sei centinaia di più, nel qual caso il contravveniente non incorra pena, ma solo sia obbligato restituirle nel modo e forma che ordineranno i consoli; ma apparendovi malizia nel prender più macelli dall'assegnatogli, oltre la restituzione, che deve fare di quel più, incorra nella pena suddetta.

Inoltre venendo il caso, che, dopo fatta la distribuzione delli macelli, venga serrato qualche macello, in modo che in quello non si macelli più, ed in tal maniera resti il vaccinaro, al quale è stato assegnato detto macello, o parte di esso, senza aver pelli per causa di detta clausura, accrescendosi per tal causa maggior faccende ed occasioni d'animali agli altri macelli, affinchè il vaccinaro non resti privo, debba, in caso che si riapra detto

macello d'altro macellaro, assegnarsi detto macello riaperto, o altro nuovo macello che si apra, al vaccinaro che n'era restato privo, e non riaprendosi detto macello, o non aprendosi altro nuovo, in riguardo di detto meglioramento, che hanno altri macellari di macellar più animali, ed affinchè detto vaccinaro non sia in danno per la clausura di detto macello, debbano gli altri vaccinari tutti singolarmente *pro ratâ* assegnar delli macelli avuti tanta quantità di quelli, quanto porta la quantità del macello, che s'era assegnata al vaccinaro, che ne resta privo per la clausura seguita.

E che nessuno ardisca di comprare per rivendere prima che non sia concia ad uso di calzolaro e sellaro, sotto pena di scudi dieci per qualsivoglia pelle da applicarsi come sopra; e per maggior comprobazione del presente decreto, se ne chieda a Nostro Signore, e a chi bisogna, conferma in forma specifica, con la clausula *sublatâ*, e decreto irritante, affinchè mai più per l'avvenire si possa dubitare per alcun tempo della dovuta osservanza.

Quali essendo stati da me letti alla detta congregazione, furono approvati e accettati, e si dovesse osservare quanto in essi si contiene in ogni miglior modo, etc.; et aliàs latius, prout in actis mei, etc., ad quae, etc. In quorum fidem, etc. Datum hac die XXV novembris MDCLVIII.

Ita est: pro NICOLAO RIGNANO, curiae Capitolii ac dictae universitatis notarius.

HORATIUS MONTANELLUS, substitutus, in fidem, etc. »

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, declarationes seu ordinationes praeinsertae non solum appositum modum admittendi homines ad exercitium artis praedictae praescribant, ut illa a peritis et expertis ad publicam utilitatem exerceatur, plurimaque inconvenientia excludantur, quae nasci possent, si imperiti, et qui artem huiusmodi non callent, illius exercitio se ingererent; sed etiam aequalitati distributionis macellorum provideant ut unicuique pro modo laboris absque alterius praeiudicio merces obveniat;

§ 3. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut easdem declarationes seu ordinationes apostolicae confirmationis nostrae robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praeinsertas ordinationes confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, declarationes seu ordinationes praeinsertas, a praefatis exponentibus sicut praemittitur factas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et sic in posterum observari mandat.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, necnon declarationes seu ordinationes praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus aposto-

licis, necnon, quatenus opus sit, dictae universitatis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 ianuarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXIX.

Confirmatio decreti domini cardinalis protectoris totius Ordinis sancti Francisci, quo declaratur constitutiones Clementis VIII et Gregorii XV, quibus aboliti fuerant patres provinciarum, in posterum in provinciâ tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ in regno Portugalliae inviolabiliter observari debere[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In his auctoritatis nostrae partes libenter interponimus, per quae congregationum regularium in Ecclesiâ Dei pie institutarum felici statui opportune consuli cognoscimus.

Supplicatio. § 1. Cum itaque, porrectis aliâs nobis pro parte dilecti filii Ioannis de Pietate custodis et procuratoris provinciae fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupati in regno Portugalliae precibus super observantiâ constitutionum felicis recordationis Clementis VIII et Gregorii XV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quibus abrogantur patres provinciae, negotioque praedicto per nos ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales negotiis episcoporum et regularium praepositos, et ab his ad venerabilem fratrem nostrum Franciscum episcopum Portuensem eiusdem S. R. E. cardinalem et vicecancellarium Barberinum nuncupatum, totius Ordinis S. Francisci apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, remisso, emanaverit desuper ab eodem Francisco episcopo cardinale decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis protectoris. « Franciscus miseratione divinâ episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius ac totius Ordinis S. Francisci protector, corrector et gubernator, dilecto nobis in Christo ministro provinciali, custodi et definitoribus provinciae tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentiâ nuncupatae in regno Lusitaniae, salutem in Domino sempiternam. Cum pro parte dilecti filii fratris Ioannis a Pietate, custodis et procuratoris istius provinciae, Apostolicae Sedi expositum fuerit pluries irrepsisse animorum commotiones atque incommoda ob observantiam apostolicae constitutionis Urbani VIII felicis recordationis nostri patrui, quae incipit *Onerosa*, etc., faciliusque pro commoditate totius provinciae regimine et officiorum provisione fuisse consultum constitutionibus apostolicis Clementis VIII et Gregorii XV sanctae memoriae, quibus provinciarum patres perpetui in omnibus capitulis suffragandi iure privantur; ac proinde exoraverit praedictas constitutiones inviolabiter in provinciâ observari, non obstante dictâ constitutione quae incipit *Onerosa*, etc., nobisque commissum fuerit desuper benigne indulgere:

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Nos, qui operosis studiis, quantum in Domino possumus, intendimus ut ea sacra indulta, quae in felici regimine dicti Ordinis sancti Francisci concessa sunt, fideliter observentur, necnon quandoque revocentur, prout Apostolicae Sedi expedire benevisum est, id exigente regularis observantiae candore et provinciarum regimine feliciori, dictae provinciae directioni et commodo consulere cupientes[1], menteque retinentes dictam constitutionem Urbani VIII nostri patrui principaliter exaratam fuisse pro provinciis tantum Observantibus Hispaniarum familiae ultramontanae, et non pro fratribus Tertii Ordinis, de quibus debebat fieri individua mentio, cum sint alterius Ordinis et professionis, apostolicâ auctoritate nobis in hac parte concessâ statuimus, decernimus et declaramus dictas constitutiones Clementis VIII et Gregorii XV, quibus omnes patres provinciarum abolentur, in posterum in dictâ provinciâ inviolabiliter observari debere, ac in suâ viridi observantiâ persistere, non obstante dictâ constitutione Urbani VIII quae incipit *Onerosa*, etc.; cui, omnibusque ipsius clausulis, pro perpetuâ subsistentiâ suffragandi iuris patris antiquioris atque exprovincialis, in hac parte derogatum esse volumus, auctoritate, qua supra, praecipientes universis et singulis superioribus et subditis praedictae provinciae in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis officiorum, necnon vocis activae et passivae, ut praesentes litteras debitae executioni demandari ac inviolabiliter observari curent et faciant. Pro quorum omnium executione oramus primarium inquisitorem sancti officii in dicto regno Lusitaniae, ut has nostras litteras infallibiliter quaecumque tergiversatione postpositâ observari studeat; pro qua re plenariam nostram desuper ipsi impertimur facultatem, necnon quoscumque rebelles sive contradictores per censuras compescere, sive alia iuris remedia pro harum litterarum observantiâ adhibere pro cassandis, abolendis, ut praefertur, huiuscemodi patribus perpetuis, eorumque in omnibus capitulis et definitoriis perpetûo suffragandi iure cassando. Datum Romae die XV decembris MDCLVIII ex aedibus cancellariae apostolicae.

E. cardinalis BARBERINUS, protector.

AGAPITUS COLORSIUS, secretarius ».

Supplicatio pro confirmatione praedicti decreti a Pontifice obtinenda.

Cumque firmiora sint ea, quae Sedis praedictae munimine roborantur, nobis propterea dictus Ioannes humiliter supplicari fecit, ut decretum huiusmodi apostolicâ auctoritate confirmare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 2. Nos igitur, eumdem Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in illo contentis, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Et ab omnibus observari mandat.

§ 3. Decernentes decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

[1] Edit. Main. legit *cupiens* (R. T.).

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedicti recolendae memoriae Urbani Papae VIII praedecessoris itidem nostri et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac provinciae et Ordini[1] huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 8 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXX.

Declarat non esse locum erectioni conventuum Aquitaniae provinciae Ss. Ludovici et Eleazari in Galliâ Tertii Ordinis sancti Francisci, et proinde provinciales pro tempore exercere debere suam iurisdictionem in totâ provinciâ, etiam in dictis conventibus Aquitaniae[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Lugdunensis, minister provincialis provinciae Ss. Ludovici et Eleazari in Galliâ fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci, quod, licet dicta provincia in quibusdam concordatis et capitulis provincialibus conventus Aquitaniae eiusdem Ordinis in custodiam erigere decreverit, congregatio tamen venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita erectionem huiusmodi multiplicatis decretis improbavit. Quibus decretis non obstantibus, aliqui fratres Aquitani Ordinis praedicti, sub praetextu etiam novorum concordatorum, a[1] dilectis pariter filiis ministro generali et capitulo seu definitorio generali anno superiore MDCLVIII Toleti habito Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum erectionem dictae custodiae et deputationem commissarii, qui praedictos conventus Aquitaniae a iurisdictione ministri provincialis dictae provinciae separaret eosque regeret, obtinuerunt.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, erectio huiusmodi nullo pacto fieri debuerit, ex causis in facto et in iure coram praefatâ cardinalium congregatione late deductis, et propterea dictus Benedictus minister provincialis eidem erectioni custodiae locum non esse a nobis declarari, sibique et aliis ministris provincialibus provinciae huiusmodi pro tempore existentibus iurisdictionem super praedictis conventibus Aquitaniae quatenus opus sit, restitui, ac commissarium a praefato ministro generali et definitorio generali deputatum, non obstantibus concordatis supradictis, decreto definitorii generalis et aliis quibuscumque in contrarium facientibus, amoveri plurimum desideret: nos, ipsum Benedictum ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et inter-

1 Legendum *Ordinis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *ac* pro *a* (R. T.).

dicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, barum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super boc bumiliter porrectis inclinati, de memoratorum cardinalium, qui, partibus informantibus, rem mature discusserunt, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus non esse locum praetensae erectioni praedictae novae custodiae, et proinde provinciales pro tempore exercere debere suam iurisdictionem in totâ provinciâ, etiam in conventibus Aquitaniae, amoto commissario generali deputato.

Erectioni custodiae in provincià Aquitaniae non esse locum mandat Pontifex.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super bis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus supradictis ex adverso deductis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXI.

Ut alumni collegii Graecorum de Urbe ritum latinum circa ieiunia et abstinentiam a cibis vetitis sequantur [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius rector collegii Graecorum de Urbe, quod eiusdem collegii alumni iuramentum perpetuo servandi ritum graecorum praestare soliti sunt, quo ritu non solum ieiuniorum quadragesimalium iuxta eumdem ritum observatio praescribitur, sed etiam ab esu carnium et ovorum abstinentia singulis diebus mercurii et veneris iniungitur, permisso diebus sabbati carnium esu.

Alumni collegii Graecorum Urbis in certis casibus servare ritum latinum quoad ieiunia obligantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti alumni etiam ad quatuor temporum et vigiliarum ieiunia iuxta ritum latinum servanda per quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri litteras, quae eos ad eumdem ritum latinum in omnibus casibus in quibus ad evitandum scandalum necessaria est illius observatio, servandum adstringunt, obligantur [1], praedictus vero rector, ut eorumdem alumnorum sanitati consulatur, ipsique, quandoquidem in almâ Urbe praedictâ degunt, se S. R. E. ritui circa ieiuniorum et abstinentiae ab esu quorumdam ciborum certis temporibus probibito observationem conforment, opportune illis, ut infra, a nobis provideri summopere desideret: nos, specialem eidem rectori et alumnis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti rectoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefati collegii Grae-

Pontifex eos ab observantiâ ritus graeci in ieiuniis et abstinentiâ servandâ absolvit ritumque latinum in his servari praescribit.

1 Legendum *obligentur* (R. T.).

corum alumnis tam nunc existentibus quam quandocumque futuris, ut, quamdiu in eodem collegio respective vixerint dumtaxat, ieiunia quadragesimalia ac abstinentiam ab esu carnium et ovorum singulis diebus mercurii et veneris per ritum graecum, sicut praemittitur, praescripta et iniuncta servare minime teneantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; eâ tamen lege, ut ipsi alumni et eorum quilibet interea quadragesimae, ac quatuor temporum, ceteraque vigiliarum ieiunia, et in ieiuniis huiusmodi a carnium, ovorum et lacticiniorum, singulis vero diebus veneris et sabbati, quibus ieiunium praescriptum non reperitur, a carnium esu abstinentiam iuxta praedictum ritum latinum servent[1], in omnibus et per omnia, prout christifideles, qui eumdem ritum latinum sequuntur, illa servare tenentur; ac eisdem alumnis iuramentum supradictum, ad praemissorum effectum dumtaxat, auctoritate et tenore praedictis relaxamus.

Derogat contrariis. § 3. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXII.

Nova erectio collegii apostolici minorum poenitentiariorum basilicae Principis Apostolorum de Urbe, cum nonnullis ordinationibus pro eiusdem collegii gubernio et officii eorumdem poenitentiariorum exercitio.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In apostolicae dignitatis fastigio, meritis licet imparibus, inscrutabili divinae providentiae arcano collocati, ad ea per quae christifidelium curae nostrae caelitus commissorum animarum saluti consulitur, iugis vigilantiae studiis intendimus, illaque provide, quantum nobis ex alto conceditur, disponere satagimus, prout, maturâ consideratione praeviâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa huius Constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, certis rationalibus causis motus, pro salutari reformatione collegii minorum poenitentiariorum basilicae Principis Apostolorum de Urbe, minores poenitentiarios qui tum erant ab eorum poenitentiariae minoris officio et exercitio penitus et omnino amoverit, et in eorum locum ad huiusmodi munus, officium et exercitium minorum poenitentiariorum aliquot presbyteros regulares Societatis Iesu substituerit et subrogaverit, illisque domum et redditus pro eorum habitatione et sustentatione assignaverit, et alia circa eorum deputationem, officiique eis demandati exercitium, ac ipsorum et eorum collegii statum constituerit et ordinaverit; nec tamen super his, ob eiusdem Pii praedecessoris obitum, litterae apostolicae fuerint expeditae:

Collegium minorum poenitentiariorum denuo erigit. § 2. Hinc est quod nos, ea, quae memoratus Pius praedecessor pro animarum salute et spirituali consolatione christifidelium (qui omnipotentem Deum glorificandi, ac beatos eius apostolos venerandi, opportunaque spiritualibus temporalibusque necessitatibus suis remedia et auxilia eorumdem beatorum apostolorum inter-

[1] Edit. Main. legit *servant* (R. T.).

cessione impetrandi studio ad basilicam praedictam ex omnibus mundi partibus confluunt) in praemissis laudabili zelo et pietate instituit et coepit, constabilire et perficere, et aliàs opportune desuper providere eupientes, motu propio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, erectionem et institutionem praedicti collegii minorum poenitentiariorum dictae basilicae Principis Apostolorum, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ipsumque collegium de novo perpetuo erigimus et instituimus.

Habitationem et redditus assignat.

§ 3. Ac pro eorumdem minorum poenitentiariorum habitatione domum in civitate nostrâ Leoninâ, seu (ut vocant) Burgo, prope basilicam huiusmodi positam, et per illos hactenus inhabitari solitam, cum omnibus et singulis eius membris, pertinentiis et iuribus, sicut dicti minores poenitentiarii illis ad praesens fruuntur, concedimus et assignamus; et, casu quo eadem domus tota vel eius pars destruatur, seu in alios usus convertatur, aliam domum eis habitationis causâ a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris pro tempore existentibus assignandam; pro ipsorum vero minorum poenitentiariorum sustentatione et collegii huiusmodi dote de pecuniis eleemosynarum, quae ex dispensationum matrimonialium expeditionibus proveniunt, et penes montem pietatis de eâdem Urbe in subsidium pauperum et alia opera pia erogandae deponi solent, annua mille scuta monetae romanae, nempe singulis mensibus octuagintatria scuta et trigintaduos baiocchos cum dimidio similis baiocchi eiusdem monetae, in locum octuaginta scutorum auri iisdem minoribus poenitentiariis pridem assignatorum quae illis a camerâ apostolicâ praestabantur; praeterea dimidium iulium dictae monetae pro singulis litteris apostolicis, quae super dispensationibus matrimonialibus in tertio vel in quarto gradu per officium nostrum minoris gratiae nuncupatum sub plumbo expedientur, et insuper tria loca cum tertiâ parte similis loci montis fidei, et alia novem loca montis salis secundae erectionis de Urbe praedictâ, et vineam extra moenia Urbis, intra suos notissimos fines sitam, a praedictis modernis poenitentiariis acquisita, necnon pensiones ex locatione membrorum domus praedictae locari solitorum provenientes, cum solitis donativis salis, cerae, ac in electione Romani Pontificis, et aliis hactenus eis fieri consuetis, per ipsos minores poenitentiarios percipienda, exigenda, levanda, ac in suos et dicti collegii usus et necessitates convertenda, eisdem collegio et minoribus poenitentiariis itidem perpetuo assignamus.

Collegium apostolicum nominari praecipit.

§ 4. Ad haec dictum collegium minorum poenitentiariorum, a nobis de novo sicut praemittitur erectum et institutum, Collegium Apostolicum Minorum Poenitentiariorum esse, ac perpetuo fore et vocari debere, nec illius statum aut denominationem quomodolibet immutari aut alterari unquam posse, statuimus et decernimus, ipsumque collegium ex nunc sub immediatâ B. Petri ac nostrâ et Romanorum Pontificum successorum nostrorum Sedisque Apostolicae protectione suscipimus.

Regularibus Societatis Iesu concedit.

§ 5. Praeterea idem collegium apostolicum dilectis filiis presbyteris regularibus praedictae Societatis Iesu pariter perpetuo concedimus, hac tamen lege, ut eadem Societas in collegio huiusmodi tredecim ipsius Societatis presbyteros regulares, comprehenso in illis dicti collegii rectore, qui omnes et singuli ministerium minorum poenitentiariorum in memoratâ basilicâ sedulo exercere teneantur, et ex quibus duo pro Italicâ, duo pro Gallicâ, duo pro Hispanicâ et Lusitanâ, unus pro Germanicâ, unus pro Hungaricâ, unus pro

Polonicâ, unus pro Anglicâ, unus pro Graecâ et unus pro Illyricâ nationibus seu linguis minores poenitentiarii respective deputentur; ac insuper unum, quatenus necessarius videatur dilecto filio praeposito generali eiusdem Societatis, qui pro ministro serviat, et ad mensam legat, necnon quatuor adiutores laicos dictae Societatis, seu eos, qui eidem praeposito generali servitiis presbyterorum regularium collegii huiusmodi necessarii videbuntur, perpetuo habere et manutenere debeat et teneatur. Declarantes et decernentes, quod unusquisque illorum, qui ex praedictis presbyteris regularibus pro supra expressis nationibus seu linguis minores poenitentiarii respective deputabuntur, ex illâ natione, pro qua deputabitur, vere et realiter esse, ipsiusque nationis idioma optime callere debeat, et quod illi, qui in regionibus earumdem nationum respective nati et educati non sint, sub quocumque praetextu, etiamsi idiomatis nationis, pro qua deputari[1] peritissimi forent, ad minorum poenitentiariorum huiusmodi officia adsumi non possint. Quod si, propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicuius ex praedictis minoribus poenitentiariis pro tempore deputatis, oportuerit alium in eius locum ad exercitium officii minoris poenitentiarii tantisper subrogari, eo casu alterum eiusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis ex qua defunctus, infirmus, remotus, vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia (nisi aliter ob urgentem necessitatem maiori poenitentiario nunc et pro tempore existenti visum fuerit) praevio examine in signaturâ poenitentiariae approbetur, et per modum provisionis, pro eo tempore dumtaxat quo durabit infirmitas vel impedimentum infirmi vel impediti, seu donec defuncto vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur et subrogetur.

Electio rectoris poenitentiariorum ad generalem Societatis spectat.

§ 6. Porro electionem rectoris, ceterorumque minorum poenitentiariorum praedicti collegii apostolici, nunc et pro tempore existenti praeposito generali memoratae Societatis tribuimus.

Modus examinis et admissionis.

§ 7. Statuentes, ut ab eodem praeposito generali pro tempore electi non ante ad exercitium minorum poenitentiariorum huiusmodi admittantur, quam circa materias ad idem officium spectantes in dictâ signaturâ poenitentiariae iuxta dispositionem litterarum recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri in simili formâ Brevis die III septembris MDXCII expeditarum examinati et approbati fuerint. Ceterum illi, qui semel in eâdem signaturâ poenitentiariae, sicut praemittitur, examinati et approbati fuerint, examini denuo sese subiicere non tenebuntur, nisi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti ex aliqua causâ particulari secus videatur.

Maior poenitentiarius quomodo possit electos suspendere.

§ 8. Si autem dilectus filius noster Nicolaus tituli S. Mariae Angelorum sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Ludovisius nuncupatus, nunc et pro tempore existens maior poenitentiarius, aliquem a praedicto praeposito generali ad officium minoris poenitentiarii electum minime duxerit admittendum, poterit ipse Nicolaus cardinalis nunc et pro tempore existens maior poenitentiarius illius examinationem tantisper suspendere, donec factâ quamcitius nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici eius rei relatione, quid fieri debeat fuerit ordinatum.

Semel admissi non amoveantur sine maioris poenitentiarii facultate.

§ 9. Qui vero ad exercitium officii minoris poenitentiarii huiusmodi semel admissi fuerint, ab eodem officio removeri vel dimitti, aut ex collegio praedicto disce-

1 Legerem *deputati* vel *deputarentur* (A. T.).

dere non poterunt absque licentiâ dicti cardinalis maioris poenitentiarii nunc et pro tempore existentis, qui, pro datâ sibi a Domino prudentiâ, licentiam huiusmodi, instante praeposito generali praedicto, negare non debebit nisi ex iustis causis, quas eo casu, prout etiam quoties eidem summo poenitentiario videretur aliquis ex praedictis poenitentiariis, dissentiente eodem praeposito generali, removendus, nobis seu pro tempore existenti Romano Pontifici referet, apostolica mandata hac in re fideliter exequuturus.

Residentiam in confessionalibus poenitentiariis praescribit.

§ 10. Volumus autem ut memorati minores poenitentiarii in basilicâ praedictâ resideant, ibique in suae quisque nationis confessionalibus assistant et praesto sint, ac quorumcumque christifidelium, scilicet propriae quisque nationis primum, et, his non extantibus, aliorum etiam, quando casus contigerit, quorum idiomata calleant, confessiones sacramentales diligenter audiant bis in die, nempe mane ab initio matutini usque ad finem officiorum divinorum antemeridianorum, et post meridiem ab initio vesperarum per duas horas continuas; idque omnes singulis maioris hebdomadae et intra octavam Paschatis Resurrectionis Dominicae diebus, necnon in Nativitatis Domini, Pentecostes, singulis B. Mariae Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et aliorum apostolorum, ceterisque omnibus et singulis festis anni diebus, praesertim de praecepto, vigiliis etiam consuetis, praeterea singulis diebus veneris mensis martii, necnon iubilaeorum et stationum in eâdem basilicâ existentium temporibus, ac insuper quandocumque id eis ex aliquâ causâ particulari a superioribus iniunctum fuerit, aut charitas poenitentiariorum suadebit, aut necessitas poenitentium postulabit, inviolabiliter observent; in ceteris vero ferialibus anni diebus id saltem pro tertiâ eorumdem poenitentiariorum parte sedulo adimpleant. Ab his tamen rectorem praedicti collegii excipimus, qui, cum eius officii causâ multoties legitime sit impeditus, praedicto excipiendarum confessionum muneri, prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciet.

Poenitentiarii quando subiiciantur maiori poenitentiario, et quando generali Societatis Iesu.

§ 11. Praeterea praedictos rectorem et minores poenitentiarios in omnibus quidem illis, quae poenitentiarii officium concernunt, iurisdictioni, visitationi et coërcitioni memorati Nicolai cardinalis nunc et pro tempore existentis maioris poenitentiarii subiectos esse debere decernimus, adeo ut in gravioribus, nonnisi facto prius verbo nobiscum et cum successoribus nostris, contra eos procedat: in iis vero, quae ad disciplinam regularem, regulae observantiam, constitutiones et instituta Societatis praedictae, ac oeconomiam et gubernium rei familiaris pertinent, iidem rector et minores poenitentiarii cum universâ eorum familiâ memorato praeposito generali Societatis Iesu immediate subiacebunt, reservatâ tamen semper superioritate visitationis apostolicae, cui ad nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis nutum subesse, ac peculiares redditnum dicti collegii rationes reddere debebunt.

Facultates poenitentiariorum.

§ 12. Postremo, abrogatis in primis facultatibus omnibus minoribus poenitentiariis a praedecessoribus nostris hactenus concessis, eisdem minoribus poenitentiariis, quamdiu in collegio manserint et officium minoris poenitentiarii exercuerint dumtaxat, omnes et singulas facultates pro foro conscientiae in particulari tabellâ proprio dicti Nicolai nunc et pro tempore maioris poenitentiarii charactere firmatâ et eiusdem sigillo munitâ iussu nostro descriptas, ac in libris tam poenitentiarii maioris quam collegii dictorum presbyterorum registrandas, et ulterius in aulâ eiusdem collegii palam exponendas,

concedimus et impertimur; easque, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine pariter [1] approbamus et confirmamus.

Exemptiones et immunitates pro victu et vestitu.

§ 13. Necnon omnia et singula privilegia et gratias, indulta, honores, praerogativas, ac, tam quoad ipsorum minorum poenitentiariorum personas, quam res pro eorum victu, vestitu, suppellectilibus et libris, totâque ipsorum familiâ necessarias, a contributionibus pro viarum publicarum refectione, ceterisque oneribus publicis, et aliis rebus [2] quibusvis, immunitates et exemptiones, ac libertates quascumque, poenitentiariis minoris gratiae ac eorum antecessoribus hactenus concessa et concessas, et quibus moderni minores poenitentiarii et collegium praedictum ad praesens fruuntur, potiuntur et gaudent, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis, plenitudine et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Clausulae praeservativae.

§ 14. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet, cuiusvis gradus, ordinis, dignitatis, status et conditionis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni sint, in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad praemissa vocati et auditi, et causae, propter quas emanarunt, adductae, verificatae vel iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis piâ, legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, restringi, modificari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum et gratiarum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praedictam quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, de novo concessas, firmasque, validas et efficaces existere et perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat et quandocumque spectabit respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae praedictae praesidentes clericos, aliosque officiales et ministros, et ceteros quoslibet, quacumque auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Forsan legendum *paribus* (R. T.).

2 An vox *rebus* conveniat iudicet lector scius (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 15. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon piae memoriae Symmachi, quae incipit *Non liceat*, et Pauli II aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et camerae huiusmodi non alienandis, ac similis recolendae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ inter certum tunc expressum tempus praesentandis et in libris illius registrandis, ita ut praesentes ibidem et registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Societatis et collegii praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eidem Societati, illiusque praeposito generali, et personis quibuslibet, necnon dicto collegio et aliis quibusvis, etiam speciali et individuâ expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliâs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter insertis, servatis et expressis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. 22 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXIII.

Nonnullae ordinationes pro collegio apostolico minorum poenitentiariorum sacrae domus Lauretanae.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii debito gregi dominico sollicitis studiis iugiter invigilantes, nonnulla circa collegium apostolicum poenitentiariorum (ut vocant) minorum sacrae domus Lauretanae, dudum pro dilectis filiis presbyteris regularibus Societatis Iesu in civitate nostrâ Lauretanâ auctoritate apostolicâ institutum, constituenda seu declaranda esse duximus, quae christifidelium, ex omnibus christiani orbis partibus ad eamdem sacram domum piâ devotione confluentium, animarum saluti conducibilia fore in Domino speramus.

Minorum poenitentiariorum numerus pro variis linguis.

§ 1. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut praedicta Societas Iesu in collegio apostolico huiusmodi undeviginti Societatis presbyteros regulares, comprehenso in illis eiusdem collegii rectore, ex quibus unus pro Gallicâ, unus pro Hispanicâ, unus pro Germanicâ, unus pro Belgicâ, unus pro Polonicâ, unus pro Anglicâ, unus pro Illyricâ et unus pro Graecâ, ceteri

vero pro Italicâ nationibus seu linguis minores poenitentiarii praedictae sacrae domus Lauretanae respective deputentur, quique omnes et singuli sacramentales christifidelium (scilicet propriae quisque nationis primum, et, his non extantibus, aliorum etiam, quando casus contigerit, quorum idiomata calleant) confessiones in ecclesiâ Lauretanâ, in qua memorata sacra domus existit, diligenter audire et ad id praesto esse, ceteraque officium minorum poenitentiariorum huiusmodi concernentia sedulo exercere debeant (rectore collegii excepto; nam ille, cum eius officii causâ multoties legitime sit impeditus, huic muneri, prout secundum propriam conscientiam poterit, satisfaciet), perpetuo habere et manutenere debeat et teneatur, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Vere nationales sint poenitentiarii.

§ 2. Declarantes et decernentes, quod unusquisque illorum, qui ex praedictis presbyteris regularibus pro suprà expressis nationibus seu linguis minores poenitentiarii dictae sacrae domus respective deputabuntur, ex illâ natione, pro qua deputabitur, vere et realiter esse, ipsiusque nationis idioma optime callere debeat; quodque, qui in regionibus earumdem nationum respective nati et educati non sint, sub quocumque praetextu, etiamsi idiomatis nationis, pro qua deputari praetenderentur, peritissimi forent, ad minorum poenitentiariorum huiusmodi officia adsumi minime valeant, exceptis tamen Italis, quos pro maiori parte sufficiat in Italiâ natos et educatos esse, ceteros vero in eâ diu permansisse, atque italicum idioma optime callere; quinimo alios etiam praedictos, qui pro nationibus praefatis eligentur, eamdem italicam linguam, et aliquos ex eis etiam lusitanam et hungaricam edoctos esse curandum erit, ut Italorum quoque, Lusitanorum et Hungarorum, si quando opus fuerit, confessiones audire, atque alios in eodem munere coadiuvare valeant.

Quomodo in casu impedimenti sint subrogandi.

§ 3. Quod si, propter mortem, infirmitatem, remotionem, aliudve quodvis impedimentum alicuius ex praedictis minoribus poenitentiariis pro tempore deputatis, oportuerit alium in eius locum ad exercitium officii minoris poenitentiarii tantisper subrogari, eo casu alterum eiusdem cum illo nationis, si haberi idoneus possit, sin minus, alium, alterius quidem nationis, sed qui idiomatis nationis, ex qua defunctus, infirmus, remotus vel aliàs impeditus fuerit, peritus existat, substitui volumus: ita tamen, ut sic substituendus ante omnia, praevio examine ut infra faciendo, approbetur, et per modum provisionis pro eo tempore dumtaxat, quo durabit infirmitas vel impedimentum infirmi vel impediti, seu donec defuncto vel remoto successor fuerit constitutus, deputetur et subrogetur.

Electio rectoris et poenitentiariorum generali Societatis Iesu reservata.

§ 4. Porro electionem rectoris, ceterorumque minorum poenitentiariorum praedicti collegii apostolici, at fratrum aliorumque inservientium, dilecto filio nunc et pro tempore existenti praeposito generali memoratae Societatis tribuimus, statuentes ut ab eodem praeposito generali pro tempore electi non ante ad exercitium officii minorum poenitentiariorum huiusmodi admittantur, quam circa materias ad idem officium spectantes in signaturâ poenitentiariae apostolicae, vel, si ad almam Urbem nostram sine gravi incommodo et expensis accedere non possint, coram aliquo ex venerabilibus fratribus episcopis supradictae sacrae domui Lauretanae vicinis, per dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Mariae Angelorum S. R. E. presbyterum cardinalem Ludovisium nuncupatum modernum et pro tempore existentem maiorem poenitentiarium in singulis casibus ad hunc actum specialiter delegando, prout ipsi

Nicolao cardinali moderno et pro tempore existenti maiori poenitentiario videbitur, et hactenus iuxta constitutionis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri die XX iunii MDCXXXIX in simili formâ Brevis promulgatae, quae incipit: *Attendentes universo gregi, etc.*, dispositionem servatum fuit, examinati et approbati fuerint. Et si quando contigerit quempiam ad modicum tempus ob iustam supervenientem causam in locum alicuius ex dictis minoribus poenitentiariis deficientis vel impediti, sicut praemittitur, subrogandum esse, tunc pariter illius examen coram aliquo ex vicinis episcopis praedictis per memoratum Nicolaum cardinalem modernum et pro tempore existentem maiorem poenitentiarium pro huiusmodi tantum contingentibus provisionibus de praesenti seu antecedenter delegando procedere debeat.

Semel admissi denuo examini non subiciantur.

§ 5. Ceterum illi, qui semel in dictâ signaturâ poenitentiariae, aut aliter, sicut praemittitur, examinati et approbati fuerint, examini denuo sese subiicere non tenebuntur, nisi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti ex aliquâ causâ particulari secus videatur. Si autem praefatus Nicolaus cardinalis, nunc et pro tempore existens maior poenitentiarius, aliquem a supradicto praeposito generali ad officium minoris poenitentiarii electum minime duxerit admittendum, poterit ipse Nicolaus cardinalis nunc et pro tempore existens maior poenitentiarius illius examinationem tantisper suspendere, donec, factâ quantocitius nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici eius rei relatione, quid fieri debeat fuerit ordinatum.

Admissi nec amoveantur sine maioris poenitentiarii facultate.

§ 6. Qui vero ad exercitium officii minoris poenitentiarii huiusmodi semel admissi fuerint, ab eodem officio removeri vel dimitti aut ex collegio praedicto discedere non poterunt absque licentiâ dicti cardinalis maioris poenitentiarii, nunc et pro tempore existentis, qui pro datâ sibi a Domino prudentiâ licentiam huiusmodi, instante praeposito generali praedicto, negare non debebit nisi ex iustis causis, quas eo casu, prout etiam quoties ipsi cardinali maiori poenitentiario videbitur aliquis ex praedictis minoribus poenitentiariis, dissentiente memorato praeposito generali, removendus, nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici referet, mandata apostolica hac in re fideliter executurus.

Quando subiiciantur maiori poenitentiario.

§ 7. Praeterea praedictos rectorem et minores poenitentiarios in omnibus quidem illis, quae poenitentiarii officium concernunt, iurisdictioni, visitationi et coërcitioni memorati Nicolai cardinalis nunc et pro tempore existentis maioris poenitentiarii subiectos esse debere decernimus, adeo ut in gravioribus, nonnisi facto verbo nobiscum et cum successoribus nostris contra eos procedat. In iis vero quae ad disciplinam regularem, regulae observantiam, constitutiones et instituta Societatis praedictae, ac oeconomiam et gubernium rei familiaris pertinent, iidem rector et minores poenitentiarii cum universâ eorum familiâ praedicto praeposito generali immediate subiacebunt.

Constitutionem Urbani VIII confirmat.

§ 8. Postremo supradictam Urbani praedecessoris constitutionem in omnibus et singulis, quae praesentibus non adversantur, perpetuo inviolabiliter observari mandamus et praecipimus.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet, cuiusvis gradus, ordinis, dignitatis, status et conditionis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni sint, in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad praemissa vocati et

auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae vel iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque, quantumvis piâ, iuridicâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quantumvis magno et substantiali ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, restringi, modificari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum et gratiarum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque Apostolicam quandocumque faciendis, unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, de novo concessas, firmasque, validas et efficaces existere et perpetuo fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et quandocumque spectabit, respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ceterosque quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decernimus.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac, quoad ea quae praesentibus sunt vel dici possent contraria, praedictâ Urbani praedecessoris, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Societatis et collegii praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati, illiusque praeposito generali, et personis quibuslibet, necnon dicto collegio, et aliis quibusvis, etiam speciali et individuâ expressione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, serva- Derogat contrariis.

tis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXIV.

Confirmat omnia privilegia monachorum Silvestrinorum Ordinis S. Benedicti, extenditque eis ac communicat omnia et singula privilegia, gratias et indulta tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinibus et Congregationibus concessa [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Religiosorum virorum Altissimo famulantium profectui, quantum cum Domino possumus, paternâ charitate prospicere cupientes, privilegia et gratias aliorum Ordinum et Congregationum regularium religiosis concessa libenter illis communicamus, et ad eos extendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Leonardus Pelagallus, procurator generalis congregationis monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Montisfani Ordinis S. Benedicti, nominibus dilectorum filiorum abbatis generalis et omnium monachorum eiusdem congregationis nobis nuper exponi fecit, congregatio praefata omnia et singula privilegia, gratias et indulta tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinibus et congregationibus, ac eorum monasteriis, domibus et locis et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessa, ad eorum Silvestrinorum congregationem illiusque monachos et personas extendi, illaque eis communicari summopere desiderent: idcirco nobis idem Leonardus nominibus praedictis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, congregationem Silvestrinorum Montisfani praefatam, eiusque monachos et personas quascumque, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulorum privilegiorum, gratiarum et litterarum desuper confectarum huiusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, et quemlibet eorumdem religiosorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, facultates, exemptiones, immunitates, indulta, ceterasque gratias spirituales et temporales, tam coniunctim quam divisim, et aliàs quomodolibet, quibusvis Mendicantium et non Mendicantium Ordinibus et congregationibus, et tam virorum quam mulierum monasteriis, domibus et regularibus locis, in quibuscumque mundi partibus consistentibus, illorumque superioribus, fratribus, monachis et personis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros huiusmodi, ac nos et Sedem eamdem, etiam per viam communicationis vel extensionis aut aliàs concessa, et quibus singulae congregationes praedictae, earumque mona- Absolutio a censuris.

[1] Quaenam sint privilegia monachorum ac Mendicantium, vide bullas citatas in repertorio, verb. *Privilegium*.

steria, domus, loca ac superiores, fratres et monachi ac personae huiusmodi, de iure, usu, consuetudine vel privilegio, aut concessione apostolicâ, vel aliâ quavis auctoritate, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quatenus sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, seu particularibus constitutionibus eiusdem congregationis Silvestrinorum non adversentur, ad praedictam Silvestrinorum congregationem, itaut illa, eiusque tam virorum quam mulierum hospitia, conventus seu regulares domus, illorumqne superiores, priores, officiales, fratres, ministri, et aliae personae, nunc et pro tempore existentes, praemissis omnibus et singulis aeque principaliter et pariformiter, et sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, ac si illa dictae Silvestrinorum congregationi, illiusque monasteriis, hospitalibus, conventibus et domibus regularibus, ac superioribus, officialibus, fratribus, ministris et personis praedictis, specialiter et expresse, ac principaliter, non autem ad instar, concessa, ac praesentibus de verbo ad verbum inserta fuissent, auctoritate et tenore praedictis perpetuo extendimus, illaque omnia et singula dictae congregationi Silvestrinorum, illiusque monasteriis, hospitalibus, conventibus ac regularibus domibus, necnon prioribus, subprioribus, officialibus, ministris et personis praedictis quibuscumque (exceptis tamen privilegiis monachorum S. Benedicti, per quae eidem Ordini indulgentiae conceduntur, ac etiam exceptâ facultate eligendi et deputandi conservatores religionis et monachorum) communicamus.

Silvestrinis patribus concedit Pontifex omnia privilegia, exemptiones, etc.

Illaque extendit prout in rubrica.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti dictae Silvestrinorum congregationis protectori per praesentes committimus et mandamus, quatenus, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, ac dictae Silvestrinorum congregationis monachis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem, desuper contra praesentium tenorem per quoscumque etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri, contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contraria derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon Mendicantium Ordinum, congregationum, monasteriorum et regularium domorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibusvis etiam derogato-

riarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo dictae Silvestrinorum congregationis vel illius procuratoris obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 februarii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXV.

Ut clerici Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Galliâ emittant tria vota simplicia cum iuramento perseverandi, et promoveri possint ad ordines ad titulum dictae Congregationis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam impositum postulat, ut congregationum virorum in Ecclesiâ Dei pie prudenterque institutarum, uberesque bonorum operum fructus assidue producentium, statui et utilitati opportunis rationibus consulere studeamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias, presbyter ac procurator Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia, quod eadem Congregatio anno MDCXLVII a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras a Congregatione clericorum regularium de Somascha nuncupatorum separata fuit, et pro futuris inde temporibus secularis remansit, atque ita usque ad hodiernum diem perseveravit.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plurimi a praedicto anno MDCXLVII circa postulaverint, et adhuc hodie postulent in eamdem Congregationem Doctrinae Christianae admitti, allecti vitâ exemplari illius personarum et assiduis pietatis officiis in instituto docendi doctrinam christianam tam in missionibus quam in civitatibus, quibus indesinenter incumbit cum plurimo animarum fructu, ut publica fama est, et pariter ex quamplurimis attestationibus authenticis tam episcoporum quam civitatum in quibus ipsa Congregatio humaniores sacrasque litteras in academiis publicis docet, saepe tamen accidat, ut non pauci nullis ligati vinculis perpetuis, postquam congregatio huiusmodi plurimum temporis et multas expensas in eisdem alendis, formandis et educandis tum in instituto praedicto tum in scientiis acquirendis consumpserit, existimans se habere operarios, qui possint attendere obligationibus et exercitiis quibus ipsa Congregatio ex instituto incumbit, ab eâdem Congregatione recedant, ipsaque Congregatio ex illo operariorum

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

discessu non levia sentiat incommoda et detrimenta; cumque universa Congregatio Doctrinae Christianae huiusmodi, quo incommodis et detrimentis huiusmodi remedium adhibeatur, ipsaque Congregatio obligationibus suis satisfacere et ex laudabili suo instituto cum maiori operariorum numero animarum saluti et culturae vineae Domini vacare valeat, se firmo aliquo stabilimento a nobis muniri summopere desideret: nobis propterea praedictus Franciscus eiusdem universae Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut ipsi Congregationi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, praedictae Congregationis votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, dictumque Franciscum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis et visis per eosdem cardinales mandatis specialibus et liberis consensibus a singulis domibus et collegiis praefatae Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia per secreta suffragia capitulariter praestitis ad infra petenda factis, in personâ dicti Francisci Avias sacerdotis et procuratoris eiusdem Congregationis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus pro maiori stabilimento et conservatione praefatae congregationis, ut, firmis secundum universum tenorem omnino manentibus litteris in formâ Brevis memorati Innocentii praedecessoris super negotiis eiusdem Congregationis emanatis sub die XXX iunii MDCXLVII, et servatâ, non obstantibus quibuscumque, a singulis eiusdem Congregationis tam praesentibus quam futuris eâdem omnino habitus formâ, qua de praesenti in omnibus suis domibus et collegiis utitur dicta Congregatio, omnes tam qui in eamdem Congregationem post dictas litteras iam sunt admissi, quam qui in futurum admittentur, expleto probationis anno, si idonei reperti fuerint, emittant tria vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis, quemadmodum ab initio eius fundationis usque ad unionem cum supradictâ Congregatione de Somascha, et post divisionem usque in praesentem diem facere consueverunt, necnon votum seu iuramentum in eâdem Congregatione seculari perpetuo perseverandi, non dispensandum vel relaxandum a quocumque alio, etiam vigore cuiuscumque indulti, nisi a solo Romano Pontifice, aut a capitulo generali vel definitorio memoratae Congregationis; cum facultate, ut eius clerici, post vota emissa et iuramentum ut supra praestitum, de licentiâ praepositi generalis vel provincialis ad omnes sacros et presbyteratus ordines, servatis servandis, promoveri valeant ad titulum praefatae Congregationis, ita tamen ut in locis, ubi erunt duodecim de familiâ, tres dumtaxat clerici ad sacros ordines promoveri valeant ad titulum praefatae Congregationis, duo vero, ubi fuerit minor numerus, et adhuc ut capitulum generale vel definitorium minime dispenset sive relaxet huiusmodi votum seu iuramentum alicui ex promotis ad sacros ordines, nisi prius sibi constiterit etiam ex litteris testimonialibus Ordinarii loci eum aliunde habere unde commode sustentari possit: quod si aliquis huiusmodi votis et iuramento emissis, ut praefertur, sine[1] dispensatione et relaxa-

A censuris absolvit.

Clerici Congregationis idonei expleto probationis anno emittere debent tria vota unâ cum iuramento perseverandi in eâdem Congregatione.

Et promoveri tunc poterunt ad sacros et presbyteratus ordines titulo dictae Congregationis.

Modus autem illos promovendi.

Nec a iuramento postea dissolvi nisi aliunde habeant unde alere.

1 Male edit. Main. legit *sive* (R. T.).

tione praeviâ, recesserit a dictâ Congregatione, eo ipso remaneat suspensus, donec eiusmodi dispensationem et relaxationem obtinuerit.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumqne indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae praeservativae. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Congregationis, eiusque domorum et collegiorum huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv martii MDCLIX, pontificàtus nostri anno IV.

Dat. die 15 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXVI.

Confirmatio reformationis provinciae fratrum Minorum strictioris observantiae Austriae, cum declaratione quod moderetur sicut reliquae provinciae reformatae eiusdem Ordinis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, inscrutabili divinae providentiae arcano praesidentes, ad ea, per quae religiosorum virorum, praesertim sub suavi arctioris regulae iugo Altissimi obsequiis mancipatorum, statui et felici directioni opportune consulitur, propensis studiis intendimus, ac in illis commissi nobis caelitus officii partes libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ab Urbano VIII in provinciis Bavariae et Tirolis approbata fuit reformatio. § 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Urbano Papae VIII praedecessori nostro pro parte clarae memoriae Ferdinandi Romanorum dum vixit regis in imperatorem electi exposito, quod in domibus regularibus fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum nuncupatorum provinciae Austriae operâ Antonii a Galbiato, tunc dicti Ordinis in illis partibus commissarii generalis, reformatio introducta fuisset, dictique fratres uberes in vineâ Domini fructus afferrent: idem Urbanus praedecessor, supplicationibus dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi nomine tibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, reformationem in domibus regularibus dictae provinciae Ordinis huiusmodi ut praefertur introductam, cùm iisdem privilegiis, gratiis et indultis, ac modo et formâ, quibus similem refor-

mationis introductionem in provinciis Bavariae et Tirolis prius confirmaverat, auctoritate apostolicâ approbavit et confirmavit, et aliàs, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die II decembris MDCXXXII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Petitio pro reformatione in provincia Austriae.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii Franciscus Statfelt, minister provincialis, et fratres praedictae provinciae Austriae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi gratias et privilegia, quae memoratis provinciis Bavariae et Tirolis, a supradictâ provinciâ Austriae valde remotis, per litteras praedicti Urbani praedecessoris super confirmatione introductionis reformationis in provinciis huiusmodi expeditas concessa reperiuntur, eidem provinciae Austriae per extensum pariter concedi summopere desiderent, dilectusque pariter filius minister generalis Ordinis praedicti, visis et consideratis iussu nostro dictis privilegiis et gratiis, eisdem exponentibus opportune in praemissis ut infra a nobis provideri expedire censuerit:

Absolvit oratores a censuris.

§ 3. Nos, specialem dictis Francisco ministro provinciali et fratribus exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales praedicto ministro generali Ordinis huiusmodi, ut praedicta provincia Austriae sit reformata, aliisque fratrum dicti Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum provinciis regnorum Hispaniarum conformis et ad illorum instar, ac sub omnimodâ ministri generalis eiusdem Ordinis, et, eo Italicae nationis et extra Italiam existente, eius vicarii generalis, necnon etiam commissarii generalis iuxta Bullam unionis electi (non autem commissariorum generalium eorumdem Ordinis et regnorum Hispaniarum, nec superioris vel inferioris Germaniae, ita quod minister ac vicarius et commissarius generalis praedicti, iuxta Bullam huiusmodi electi, illam nonnisi per se ipsos aut commissarios Ordinis Reformatorum praedictorum visitare valeant) iurisdictione, auctoritate et superioritate, ac etiam sub directione procuratoris generalis Reformatorum in curiâ Romanâ quoad negotia occurrentia eiusque fratres iuxta declarationes recolendae memoriae Nicolai III et Clementis V Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum vivere debeant;

§ 4. Et cum hoc etiam quod minister provincialis provinciae reformatae Austriae huiusmodi omnem iurisdictionem, facultatem et auctoritatem, tam in fratres Ordinis praedicti sibi subditos, quam circa novarum domorum eiusdem instituti in eâdem provinciâ fundationem, seu erectionem, aut aedificationem, necnon etiam circa novitios et alia in litteris apostolicis piae memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri contenta, prout alii ministri provinciales aliarum provinciarum fratrum eiusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum, in omnibus et per omnia habeat, ac tam ipse, quam singularum domorum dictae provinciae Austriae fratrum Minorum sancti Francisci Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum superiores, necnon sin-

Quae facultas ministri provincialis.

gulares cuiuslibet illarum personae, omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus, favoribus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alii huiusmodi ministri provinciales ac dictarum domorum regularium superiores et singulares personae uti, frui et gaudere solent et possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter ac aeque principaliter sine ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere respective possint et valeant,

Statuta provinciae alterari vetat sine consensu vocalium.

§ 5. Quodque nunc et pro tempore existens minister generalis praedictus, aut visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi, statuta, constitutiones et ordinationes eiusdem provinciae reformatae Austriae, illiusque domorum regularium huiusmodi constitutionibus generalibus Reformatorum non adversantia, nisi de consensu maioris partis fratrum vocalium dictae provinciae reformatae Austriae in eorum capitulis provincialibus praestando, alterare vel immutare, aut eosdem fratres ab eorum modo vivendi, dummodo iuxta easdem declarationes vivant, disturbare, necnon quod fratres eiusdem Ordinis sancti Francisci de Observantiâ nuncupati, infra limites eiusdem seu alterius provinciae existentes, collecturas seu quaesturas ad domos regulares eiusdem provinciae Reformatorum Discalceatorum Austriae spectantes, exceptis eis a fratribus provinciae Austriae huiusmodi in dicto eorum capitulo provinciali forsan concedendis, occupare, aut eosdem fratres Reformatos Discalceatos provinciae Austriae desuper perturbare nullo unquam tempore possint nec valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Quod minister generalis eligere possit patres diffinitores.

§ 6. Ac insuper eidem ministro generali, ut ministrum provincialem, custodem et diffinitores dictae provinciae Austriae creare et eligere, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam, individuam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, ordinare et exequi libere et licite possit et valeat[1], plenam, liberam et amplam auctoritate et tenore praedictis concedimus et impertimur licentiam et facultatem; ita tamen ut fratres provinciae huiusmodi constitutionibus et ordinationibus in capitulo sive congregatione generali factis, quae strictiori observantiae non adversantur, subiaceant, ad illarumque observationem omnino teneantur.

Decretum irritans

§ 7. Decernentes provinciam Austriae praedictam decretis et declarationibus a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus et successoribus nostris pro reformationibus et custodiis Italiae emanatis seu emanaturis nullatenus subiectam et comprehensam esse vel fore, ac provincialem, custodem et definitores, aliosque superiores et fratres provinciae Reformatae Austriae huiusmodi a quoquam, quavis etiam archiepiscopali aut episcopali vel etiam maiori auctoritate fungente, desuper molestari, perturbari, inquietari aut impediri non posse, sicque per quoscumque iudices et commissarios ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis illiusque provinciarum quarumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis,

1 Edit. Main. legit *possint et valeant* (n. r.).

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordini et provinciis, illiusque et illarum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXVII.

Quod fratres Minores Discalceati sancti Francisci Hispaniarum non possint transire ad aliam religionem, nisi de licentiâ maioris partis patrum vocalium definitorii.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Cum, sicut dilecti filii ministri provinciales et fratres provinciarum Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum regni Hispaniarum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi aliàs provide consideraverint incommoda, quae eisdem provinciis in dies proveniunt ex eo quod nonnulli earumdem provinciarum religiosi huiusmodi, praetextu vitae melioris, praetendant e dicto Ordine transire ad fratres Carthusianos, petitâ dumtaxat licet non obtentâ ad id suorum superiorum licentiâ: nobis propterea iidem exponentes, ut eaedem provinciae in eorum statu reformato et in pacis et quietis universalis amoenitate conserventur, humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit prout infra. § 1. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ad evitanda exposita inconvenientia, ac aliis iustis de causis, in futurum nulli Ordinis huiusmodi religioso professo, etiam sub praetextu arctioris vitae, seu quovis alio quaesito titulo, liceat ad quamcumque aliam religionem quamtumlibet strictiorem transire, nisi prius in pleno definitorio licentiam transeundi petierint, eamque per maiorem partem suffragiorum favorabilium legitime obtinuerint, ac nullum et inane quicquid secus gestum fuerit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus.

§ 2. Cognitionem vero causarum praetensorum gravaminum propter denegationem praedictae licentiae eisdem cardinalibus etiam privative quoad alios quoscumque iudices, quantumvis specificâ et specialissimâ mentione dignos, avocamus et reservamus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis,

statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXVIII.

Quod alumni et convictores collegiorum de Somascha possint in eorum oratoriis confiteri tam presbyteris dictae Congregationis quam aliis ab Ordinario approbatis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis. Aliàs, postquam felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, inter alia privilegia, Congregationi clericorum regularium de Somascha aliàs S. Maioli Papiensis nuncupatorum concesserat ut singuli presbyteri professi dictae Congregationis omnibus et quibuscumque personis degentibus et commorantibus in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis, sub curâ, regimine et administratione dictae Congregationis existentibus, extremae unctionis necnon etiam tempore Paschatis et Resurrectionis Dominicae festivitate sanctissimae Eucharistiae sacramenta absque aliquo censurarum incursu ministrare possent,

§ 1. Urbano Papa VIII praedecessori pariter nostro pro parte tunc existentis procuratoris generalis praedictae Congregationis exposito, quod a nonnullis locorum Ordinariis revocaretur in dubium, an per supradictam concessionem presbyteris praedictis implicite etiam concessa esset licentia privata oratoria in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis huiusmodi, praesertim dictae Congregationis non propriis, habendi, in eisque sacrosanctum missae sacrificium etiam extra tempus paschatis celebrandi: idem Urbanus praedecessor, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, eidem Congregationi quod ipsa in orphanotrophiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis huiusmodi, etiam non propriis dictae Congregationis, sub eius tamen curâ, regimine et administratione existentibus, oratoria privata habere, ipsiusque Congregationis presbyteri professi in eis sacrosanctum missae sacrificium in personarum in dictis orphanotropiis, seminariis, academiis et convictorum collegiis degentium et commorantium praesentiâ, tam intra quam extra tempus Paschatis et Resurrectionis Dominicae festivitates[1] huiusmodi, celebrare libere et licite possent et valerent, declaravit, ac, quatenus opus esset, eis de novo concessit et indulsit, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis XXII decembris MDCXXXII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Petrus Franciscus Moia procurator generalis memoratae Congregationis nobis nuper exponi fecit, nonnulli locorum Ordinarii adhuc revocent in dubium utrum alumni et convictores, qui in praedictis collegiis educantur, peccata sua presbyteris per Ordinarios approbatis in eisdem collegiis sacramentaliter confiteri valeant, ipseque Petrus Franciscus procurator ge- Supplicatio.

1 Ut supra legerem *festivitatem* (R. T.).

neralis propterea, quo spirituali eorumdem alumnorum et convictorum quieti consulatur, opportune in praemissis a nobis provideri plurimum desideret:

Decernit ut in rubrica. § 3. Nos, eumdem Petrum Franciscum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut alumni et convictores collegiorum sub curâ dictae Congregationis existentium in oratoriis seu cappellis eorumdem collegiorum, in quibus praemissum[1] est auctoritate apostolicâ missam celebrare et sacram communionem ministrare, peccata sua sacramentaliter confiteri libere et licite possint et valeant, idque presbyteris ab Ordinario approbatis etiam secularibus, si alumni et convictores praedicti nollent confiteri regularibus dictae Congregationis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXXXIX.

Quod correctores provinciales in Ordine fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula, de cetero, completo et exacto eorum officio per sex annos immediate sequentes, ab eodem munere vacare debeant, antequam ad huiusmodi munus denuo eligi possint[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam

Prooemium. Ad ea, per quae religiosorum Ordinum quorumcumque felici directioni opportune consulitur, libenter intendimus, et desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius Constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in Ordine fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula, in vim illius regulae et constitutionum apostolicâ auctoritate confirmatarum, correctores provinciales munus huiusmodi spatio trium annorum exerceant, quibus expletis, illi vacare et cessare ab eodem munere et officio ad aliud triennium immediate subsequens debent ad hoc ut in correctorem provincialem denuo reeligi possint; cumque videatur ad praesens inolevisse in eodem Ordine cupiditas et ambitio officiorum, ipsique correctores provinciales, ut ad idem correctoris provincialis munus et officium ex acto triennio praedicto reeligantur, eâque de causâ successores in eodem munere sibi grati et accepti creentur, studeant eos dicti Ordinis religiosos in correctores locales constituere, qui ad suae libitum voluntatis in capitulo provinciali votum seu suffragium ferant, sui perpetuitatem in domo et officio, nullâ habitâ boni communis et prosperi regiminis dicti Ordinis tam in spiritualibus quam in temporalibus ratione, quaerentes:

Observari mandat prout in rubrica. § 2. Hinc est quod nos, ambitioni et cupiditati huiusmodi obviam ire et in praemissis opportune pro curâ nostrâ pa-

1 Forsan legendum *permissum* (R. T.).

1 De hac materiâ vide ad Constitutionem XXVI, tom. XII, pag. 576, Gregor. XV *Onerosa*, pro fratribus regularis Observantiae ac Discalceatis sancti Francisci.

storali providere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus correctores provinciales dicti Ordinis, completo et exacto illorum officio huiusmodi, per sex annos immediate sequentes ab eodem munere vacare et cessare debeant, ita ut ante lapsum sexenii huiusmodi ad munus et officium correctoris provincialis cuiuscumque provinciae Ordinis praedicti denuo eligi vel assumi nullo modo possint, tenore praesentium statuimus; atque ita ab omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus et personis, sub indignationis nostrae ac privationis vocis activae et passivae, necnon dignitatum, officiorum et praeeminentiarum quarumlibet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa et quaevis alia obtinenda poenis, eo ipso absque declaratione incurrendis, inviolate et perpetuo servari praecipimus et mandamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis regulâ et correctorio nuncupato, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 24 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXL.

Confirmatio quarumdam capitulationum inter electorem Maguntinum, episcopum Herbipolensem, ac capitulum dictae Herbipolensis ecclesiae [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex impositae nobis divinitus apostolicae servitutis debito omnium ecclesiarum utilitati sollicitis studiis iugiter invigilantes, in eam curam peculiari sedulitate incumbimus, ut illa, quae inter personas in sortem Domini assumptas pro conservandis ecclesiarum praesertim cathedralium rebus, augendoque in eis cultu divino, et removendis illis quae ipsis ecclesiis et pastorum earumdem iuribus praeiudicium successu temporis inferre valerent, salubriter conventa esse dignoscuntur, apostolici muniminis praesidio constabiliantur.

Expositio.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater Ioannes Philippus archiepiscopus Maguntinus, sacri Romani imperii princeps elector, uti ecclesiae Herbipolensis, cui ex concessione et dispensatione

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

apostolicâ praeest, praesul, necnon dilecti filii praepositus, ac decanus et capitulum eiusdem ecclesiae Herbipolensis, quasdam inter se capitulationes seu conventiones inierint, quae continentur in scripturâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Conventionis tenor. « Nos Ioannes Philippus, Dei gratiâ sanctae sedis Maguntinae archiepiscopus, sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius, princeps elector, etc., episcopus Herbipolensis et Franciae[1] orientalis dux: Et nos Franciscus Faust a Stomberg, praepositus, Ioannes Hermannus a Rosembach, decanus senior, et capitulum ecclesiae cathedralis Herbipolensis, pro uobis nostrisque huius ecclesiae et capituli successoribus publicamus praesentibus hisce litteris et fidem facimus:

Cum ab obitu serenissimi et illustrissimi principis domini D. Maximiliaui Adami, landgravii quondam in Leuchtenberg postremi huius nominis et familiae, dominium dictum[2] in Greunsuelt, quod dilectio et respective illustrissima gratia sua a nobis in modum feudi possederat, per ipsius e vivis discessum ed nos et ecclesiam nostram redierit, proprietatique suae pristinae fuerit reconsolidatum; in casum vero huius aperturae, decedente reverendissimo domino D. Francisco episcopo quondam Herbipolensi et Franconiae Orientalis duce antecessore nostro, dilectione et illustrissimâ gratiâ suâ, a nobis capitulo, sede vacante, initâ capitulatione, ac canonicâ praecedente electione, suscepto deinde a nobis regimine, transactum[3] et dispositum fuerit, prout etiam in electione Iam dicti antecessoris nostri simili capitulatione convenerat, ut praedictum dominium seu feudum, certis conditionibus, nobis capitulo et successoribus nostris cederet, ac proinde subsecuto tempore a capitulo, durantibus ipsorum comitiis, quae peremptoria a capitulis appellantur, submississimae hac de causâ nobis instantiae factae[1] fuerint; res tamen illa, ob notoriam temporis difficultatem, incertis praesertim tractatibus pacis, executionisque recessu, usque in hodiernum diem non potuit adimpleri.

Unde, licet nos capitulationis nostrae in eâque contentorum probe meminerimus, et de cetero capitulo nostro gratificandi obnixam semper voluntatem habeamus, horumque intuitu nos libentius ad ea paratos exhibeamus; cum autem huiusce rei undequaque rationibus circumspectis, ponderatisque iis, quae profluere exinde queunt, non exiguas in animo nostro et conscientiae difficultates praesentiamus, quod huiusmodi renunciationes, cessiones et abdicationes, iure et sacris canonibus reuitentibus (viduatâ praesertim, sede vacante, capiteque suo destitutâ ecclesiâ) omnino probibita[2], ac proinde, ita disponentibus iisdem canouibus, nullius roboris et valoris, censuris clausulisque irritantibus sint obnoxiae; cum praecipuae[3] etiam iuramento, quod nos sanctissimo domino nostro Papae praestitimus, adversentur, neque apud eamdem Sanctitatem sustineri ullatenus possit, ut nos in huiusmodi capitulationes, obligationes seu conventiones, quibus ecclesiae derogatur, resque illius ed privatos usus et commoda directo vel indirecto modo transferlur[4], consentiamus: eapropter nos, necessario in haec animum intendentes, rev.^{mo} nobis devoto et fideli domino Melchiori episcopo Domitiopolitano nostro in pontificalibus et spiritualibus vicario Herbipolensi in mandatis dedimus hac de re, cum ex iis sit quae conscientiae religionem concer-

1 Infra legitur *Franconiae* (R. T.).
2 Forsan *directum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *transactam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *facta* (R. T.).
2 Videretur legendum *prohibitae* (R. T).
3 Videtur legendum *praecipue* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *transfertur* (R. T.).

sunt, capitulo nostro animi nostri penetralia reserare, et emergentes exinde praeiudiciales sane sequelas, quae non levius quam pro rei gravitate cogitationes nostras premunt, prolixius intimare, insimulque eâdem operâ proponere ea quae, pro gratioso paternoque quo in eos inclinamur affectu, in vicem huius dominii capitulo (prout inferiori scripto continetur) intenderamus offerre. Cum vero adhortationes desuper habitae aequissimo ab illis animo admissae, prudentique et maturâ deliberatione exagitata[1] fuerint;

Articuli utrusque concordati.

Nos super iisdem cum dictis praeposito, decano seniori, et capitulo universo, alteque memoratâ suâ electorali gratiâ, ut episcopo Herbipolensi clementissimo domino nostro, praehabito maturo consilio et deliberatione, cum plenâ causae cognitione, in vim legis pacti et statuti perpetui immutabiliter et irrevocabiliter convenimus et conclusimus in perpetuum, ab utrâque etiam parte, ut illud ita conventum et conclusum et irrevocabiliter acceptatum inconcusse, solide, firmiter et fideliter observetur, in formâ iuramenti est promissum:

I. Praecipue vero et primo loco, dictum iam dominium Grunsuelt cum omnibus suis annexis et connexis, nihilo penitus exinde secluso, iam nunc et perpetuis successivis temporibus, nobis, ecclesiae nostrae, cameraeque redditibus immutabiliter cedet et manebit. Nos vero, successores nostri et camera, huius vigore, ad augendum cultum divinum, ex praescripto modi et formae ut sequitur, capitulo nostro eorumque successoribus tenebimur et obligabimur die sanctorum Kiliani et sociorum, ab hoc ipso MDCLI incipiendo, quotannis ex nostrâ et ecclesiae nostrae camerâ, omni difficultate sopitâ, extradí, solvi et numerari curabimus duo millia et quadringentos imperiales legitimâ monetâ franconicâ, imperialem octodecim batziorum pretio computando, absque ullâ diminutione vel expensis, atque ita singulis deinceps annis continuando, donec nobis occasio suggeratur tanti valoris redditus (accedente tamen nostro, episcopi et successorum nostrorum consensu) capitulo coëmendi, idque si facultates etiam nostrae tali tempore camerae adfuerint, quibus illa summa in sorte suâ radicitus supprimatur, istis conspirantibus, et ex eo tempore, nec anterius, camerae nostrae integrum erit, intercedente solutione sortis quadraginta millium imperialium, vel octo et quadraginta millium dictorum florenorum franconicorum, annuae sese duorum millium et quadringentorum florenorum pensionis onere exsolvendi; praedicta vero pensio seu praestatio duorum millium florenorum praesentibus canonicis capitularibus, iis nempe qui in festo sancti Kiliani eiusque octavae de facto supplicationi publicae interfuerint, tantum obvenient, ad normam elargitionis pecuniariae et redditiuum, quae cathedrae dicti Petri festivitate distribuuntur, quadringenti autem floreni residui canonicis domicellaribus qui vigore statutorum praesentes in ecclesiâ adfuerint cedant inter illos pro ratâ temporis dividendi.

II. Nos praepositus, decanus senior, et capitulum e contra his ipsis atque harum vigore litterarum promittimus, in nosque recepimus[1] viginti[2] illa dominorum festa, quae praeter antiquam et laudabilem observationem, retroacti temporis iniquitate, abolita ex usu et consuetudine plane abierunt, ut in contractu originali continetur rite institutâ celebritate denuo renovandâ, eaque inter viginti quatuor capitulares, octo nimirum presbyteros, totidemque diaconos et subdiaconos hac

1 Videtur legendum *exagitatae* (R. T.).

1 Videtur legendum *recipimus* (R. T.).
2 Ex seqq. legend. foret *viginti quatuor* (R.T.).

peragendi serie dividenda, ut cuique eo ordine quo censetur tria festa personaliter celebranda obveniant; quod si aliquem canonicorum, cui officium illud incumbit, ab ecclesià abesse contigerit, aliàve de causà dictum illud officium exequi non potuerit, eius loco alius e canonicis capitularibus, vel, hoc etiam deficiente, e domicellaribus alius, maioribus ordinibus insignitus, vices supplebit; singulis autem vicibus decem imperiales, ex praedicto pecuniarum cumulo, ita administranti officium persolventur.

III. Ut ecclesia quoque in congruo sibi statu debitisque viribus conservari possit, neve similibus et huiusmodi alienationibus, donationibus, reservationibus episcopalis camerae redditus diminuantur, gubernantique episcopo et domino ad ecclesiae et patriae utilitatem spectantes facultates eripiantur, quominus episcopalem dignitatem in ecclesiasticis et politicis auctoritatem, convenientemque imperio splendorem sustinere queat, utque praedifficili iuris administrandi negotio ordinandis qui ecclesiasticis et politicis a consilio sint camerae, aulae, aliisque in necessariam patriae defensionem et conservandum militiae robur praeficiendis ministris sine detrimento nec maiori gravamine et ecclesiae incommodo absque aeris alieni oneribus iniecto posterum provideri valeat, ex horum praescripto praepositus, decanus senior, et capitulum, et successores nostri, iam nunc et in perpetuum ex hinc consecuturis temporibus, quoties gubernantem episcopum Herbipolensem et Franconiae ducem in Domino e vivis excedere contigerit, iure et potestate curabimus, episcopali sede vacante, futurum successorem et Ordinarium episcopum ad huiusmodi alienationes et incorporationes cameralium redditeum adstringendi, easve in proprios nobis usus vertendi, et ne quid simile praeterlabentibus aliquando annis eveniat, nos et capitulo nostro successores, corporali ad hoc praestito iuramento, quod de cetero obligamur ecclesia nostra denuo devineimus [1]. Si quid autem simile, quod longissime a nobis averti cupimus, quocumque tandem praetextu aut velamine evenire contigerit, id hisce et harum virtute litterarum pro illegitimo habemus, irritumque et invalidum reddimus, neque ullum successorem episcopum ad servandum illud obligandum declaramus, nihil ad hoc suffragante iuramento, licet corporaliter praestito, pacto, consuetudine, statuto, praescriptione, aliàve conventione qualibet in contrarium allegandis.

IV. Praeterea, quantum ad aerarium attinet, ne ab obitu episcopi Herbipolensis Franconiaeque orientalis ducis, eo quispiam, sede vacante, veluti ipsius ecclesiae patrimonio abutatur, neve ex eo aliquid, prout pessimo aliquibus locis exemplo, nec absque gravi Divini Numinis Pontificiaeque suae Sanctitatis offensà, maximoque detrimento ecclesiae fieri solet, in singulares divisiones, distractiones, appropriationes, et sic in proprium privatum commodum usurpetur, nos quoque, maturo desuper habito initoque consilio, vigore huius laudabilis observationis ecclesiae, statuimus et ordinavimus, statuentes et ordinantes denuo hisce, idque in vim perpetui canonis et statuti, ut superstes illud aerarium episcopi diligenti curà a capitulo in inventarium redigatur, depositumque exinde duabus diversis clavibus concludatur, earum unà statim a factà electione futuro successori consignandà, alteràque in manibus capituli permansurà; ex illo tamen aerario capitulari, cuiusvis [2] praesenti in electione canonico, illis etiam qui de consuetudine claves tenent, a quin-

1 Interpretationi tuae, lector benigne, ista dimittimus (R. T.).

2 Forsan *cuivis* (R. T.).

quaginta usque ad centum imperiales, vel ut summum centum floreni aurei, pro quantitate et viribus relictae haereditatis, in recordationem praecedentis domini adjicant; reliquum vero aerarium, consignatâ, ut iam dictum est, clavi, novo electo episcopo et capiti integrum conservetur, qui nec ipse de eo aliquid nisi in bonum publicum et ecclesiae utilitatem, patriaeque et subditorum protegendam salutem, et non aliter, erogare, nec nisi accedente consensu capituli disponere de eo poterit.

v. Cum experientiâ etiam constet quod ecclesiarum interregnis, capite suo destitutis ecclesiis, priusquam aliud subrogetur, tam ecclesiastici, quam seculares, causas aliquas, quas vivis Ordinariis tamquam cognitionem earum habentibus in favorem sui et commodum expugnare nequiverant,in dictis interregnis obtinere connitantur; nos, ecclesiae nostrae eiusque successoribus consulentes, in commodum[1] et utilitatem illius, ordinavimus et conclusimus unanimiter, ne, sede vacante, capitulum quidpiam in hoc genere, praeterquamquod sacris canonibus illis praemissum[2] est, discussioni et dispositioni suae attribuat, sed omnia ad futuram electionem intronizationemque electi remittat, ut tum unâ cum ipso pariter et capitulo controversiae pro rei gravitate et necessitate prospiciatur.

Universa haec superiori scripto comprehensa, ut de verbo ad verbum, de articulo ad articulum inconcusse in hunc modum et firmiter pro nobis nostrisque in ecclesiâ et capitulo successoribus perpetuis futuris temporibus observentur, et memori recordatione animo observentur ad faciliorem posteritatis notitiam, in illud quoque consensimus, ut praesens hoc perpetuum statutum quotannis in vigiliâ seu pro festo sancti Kiliani episcopi et martyris nostraeque tutelaris ecclesiae in consueto et peremptorio capitulo praelegatur; quantum vero ex his concernit episcopos, futuris episcoporum capitulationibus quae incumbunt capitulo consuetis canonicorum iuramentis inseri procurabimus.

In huius rei fidem, firmamque et inconcussam observationem, nos Ioannes Philippus Dei gratiâ sanctae Maguntinae sedis archiepiscopus, sacri romani imperii per Germaniam archicancellarius, princeps elector, episcopus Herbipolensis et Franciae[1] orientalis dux, et nos praepositus, decanus senior, et capitulum nostrum respective electorale, nostrumque capitulare sigillum his appendi curavimus.

Datum actumque Herbipoli, x mensis iulii MDCLI.

Loco ✝ sigilli.

§ 2. Hinc est quod nos, firmiori et stabiliori earumdem capitulationum seu conventionum subsistentiae et observationi consulere volentes, necnon memoratorum Ioannis Philippi archiepiscopi ac praepositi, decani et capituli ecclesiae Herbipolensis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas capitulationes seu conventiones in scripturâ praeinsertâ contentas, et inter eosdem Ioannem Philippum archiepiscopum uti praesulem dictae ecclesiae Herbipolensis, ac praepositum, decanum et capitulum ipsius ecclesiae Herbipolensis, sicut praemittitur, initas, tenore praesentium

Confirmat Pontifex conventionem, defectusque supplet.

1 Edit. Main. legit *incommodum* (R. T.).

2 Videtur legendum *permissum* (R. T.).

1 Supra legitur *Franconiae* (R. T.).

confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Sedisque Apostolicae nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, praedictae ecclesiae Herbipolensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 martii 1659, pontif. anno IV.

CCXLI.

Acceptatio donationum Sedi Apostolicae factarum a quibusdam ex familiâ de Flisco ex oppido Messerano Vercellensis dioecesis in et super feudis principatus dicti oppidi et marchionatus Crepacorii, eorumque terris et adiacentiis [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Oblatio aliquarum donationum exhibita Sedi Apostolicae a quibusdam a familiâ Flisco.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii Franciscus Maria quondam Barnabae et Octavius quondam Petri Augustini respective nati de Flisco ex oppido Messerano [2] Vercellensis dioecesis proprio, dictusque Octavius praeterea uti tutor dilectorum pariter filiorum Victorii Felicis, Francisci Mariae, ac Iosephi Benedicti et Petri Lucae etiam praedicti Petri Augustini natorum pupillorum et respective infantium unà cum dilectà in Christo filià Antonià eorumdem pupillorum genitrice et contutrice ipsorum pupillorum nominibus, respective, nuper omnia iura et actiones, quae tam ipsi primodictus Franciscus Maria et Octavius quam [3] dicti Victorius Felix ac alter Franciscus Maria necnon Iosephus Benedictus et Petrus Lucas pupilli in et super feudis principatus dicti oppidi Messerani ac marchionatus Crepacorii dictae dioecesis, eorumque terris, locis et adiacentiis, ad nos et Sedem Apostolicam spectantibus et pertinentibus, habebant seu praetendebant, sive habere ac praetendere poterant in futurum, talia qualia sunt, ac [4] nobis et Romanis Ponti-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 De oppido Masserani aliisque feudis adnexis vide tom. XIV, pag. 57 et 465, nec non pag. 101 et 202 huius tomi: in loc. cit. semper legitur *Masserani* (R. T.).

3 Ed. Main. habet *qu.*, lectionemque mutilam significare *quam* coniectamus (R. T.).

4 Particula *ac* delenda (R. T.).

ficibus successoribus nostris donatione praesenti quae dicitur fieri inter vivos irrevocabiliter donaverint, hoc adiecto nt huiusmodi donationum acceptatio a nobis intra sex menses fieri deberet; cumque primodictus Franciscus Maria donationem sic n se factam observare et adimplere inraverit, et aliàs prout uberius continetur in tribus publicis instrumentis tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor instrumentorum. L'anoo di nostro Signore corrente 1658, l'undecima indizione, e alli 24 del mese di novembre fatto io Messerano, diocesi di Vercelli, e nel palazzo dell'illustrissimo signor governatore apostolico Marco Tullio Camoncoli, cioè nella stanza della sua solita udienza, e avanti il molto illustre signore Andrea Gualla del principato di Messerano podestà, alla presenza del signor Giacomo Polini del fu Giulio Cesare di Bologna, abitante in Messerano, e Giovanni fu Paolo Marietta, Giacomo figlio di Giovan Battista Rigaldo, ambi di Vallesia, e di Giorgio del fu Comello Mascarella e del signor Francesco Polla del fu Antonio, ambi di Messerano, testimoni astanti domandati, conosciuti e pregati; dove, personalmente constituiti avanti me notaro sottoscritto e delli suddetti testimoni, il molto illustre signor Francesco Maria del fu signor Bernabò di Messerano, e il molto illustre e molto eccellente signor dottor Ottavio Fiesco del fu signor Pietro Agostino Fiesco del medesimo luogo, i quali avendo avuto fortuna di trovare con l'aiuto di Dio alcune ragioni per le quali a loro aspetta, come credano, il principato di Messerano e Crevacore, e desiderando essi mostrar la devozione dell'animo loro verso la Santa Chiesa, hanno risoluto di venir all'infrascritta donazione, mera e pura, qual si dice fra vivi, rimettendosi a quello che più piacerà a Sua Beatitudine; onde constituiti, ecc., spontaneamente, ecc., non per forza, paura, nè inganno, ma liberamente hanno fatto, e ciascheduno di loro fa, pura, mera ed irrevocabile donazione, che di presente, che si dice fra vivi, alla santa Romana Chiesa, Sommo Pontefice e suoi successori, e per detti all'illustrissimo signor governatore apostolico qui presente e accettante a nome di Santa Chiesa, Sommo Pontefice e suoi successori, di tutte le sue ragioni, tali quali, e con altrimenti, che a loro spettano e appartengono sopra il principato di Messerano e marchionato di Crevacore, e sue terre e luoghi adiacenti; con questo però che le dette ragioni non si intendano incorporate alla Santa Chiesa fin a tanto non sia seguita l'approvazione del Sommo Pontefice nostro signore, dando anche licenza, e riservandosi di poter agitare le dette ragioni dove occorrerà sotto il nome loro, ad aver, ecc., constituendosi, ecc. divestiendosi, ecc., di dette ragioni, e investendone detta Santa Chiesa e Sommo Pontefice, promettendo di non averne fatto contratto nè distratto alla presente donazione pregiudiciale, richiedendone per me notaro sottoscritto concederne e riceverne pubbliche testimoniali, con promissione di ratificare la presente donazione giunti che saranno in Roma nella più valida forma che si può con le clausole del clausolario romano, con qual ratificazione non si intendono in alcun modo pregiudicare nè invalidare la presente donazione per il presente instrumento; dichiarando ancora che nel termine di sei mesi si compiaccia Sua Beatitudine far accettare la presente donazione, e ratificare la stipulazione fatta dall'illustrissimo signor governatore, qual promissione d'accettazione si dichiara che non possa sospendere nè pregiudicare alla suddetta stipulazione, e che passato il detto termine, e non segnita la detta accettazione, s'intenda la presente donazione

nulla, e in libertà a detti signori Fieschi, como prima; o perchè detti signori possaoo portarsi in Roma per gli effetti suddetti, l'illustrissimo signor governatore promette far concorrere Messerano e Crevacore per la somma di doppie cinquaota fra loro in tutto per servirseoe nel viaggio. Quali cose tutte detti signori, e caduno d'essi per quello li aspetti, hanno promesso e promettono d'aver rate, grate, valide o per ben fatte, e non cootravenirli di ragione nè di fatto, ancorchè alcuno d'essi potesse, sotto obbligo dei suoi, c cadun di loro beni presenti o futuri, quali, ecc., interveneodo, ecc., promettendo, ecc., obbligando, ecc., relevando, ecc., ratihabeodo, ecc., renunciando, ecc., iurando, ecc., e instrumentando, ece., dict. ete.

E per maggior validità della preseote donazione hanno richiesto il medesimo signor podestà sopra le promesso cose, come rettamente e giustamente fatte, a ioterporvi il decreto e l'autorità del suo offizio, e testarli; le quali coso sentite, il medesimo signor podestà sedendo sopra una cattedra di busso ornata di eorame, all'usaoza de' suoi predecessori, qual per qoesto atto ha eletto o elegge per suo idoneo tribunale, eonosciuta prima la causa sopra le permesse[1] cose, eome rettamente c giustamente fatte, ha ioterposto e interpooe il decreto e l'autorità dell'offizio suo, le richieste testimoniali concedeodo, eomo sopra.

Supraseriptum instrumentum rogatus recepi, scripsi, tradidi et levavi ego Ioannes Petrus Taratia, filius oobilis Nicolai, publicus apostolicâ principatus Messerani auctoritate notarius, pro fido manualiter ac tabellionaliter subsignatus.

IOANNES PETRUS TARATIA.

(Loco † signi)

1 Forsan *premesse* aut *promesse* (R. T.).

Sequitur legalitas in formâ.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, amen. Anno a Nativitate eiusdem currente MDCLVIII, indictione undecimâ, die vero XXVIII mensis oovembris. Aetum Mosserani dioecesis Vercellensis, ete., et in domo qoondam domini Augustioi Flisci, ibidem praesentibus domino Aotonio quondam domini Ioannis Baptistao Cordae Crepaeorii, domino Ioanoe Baptista quondam domini Ioanois Barberii, Giorgio quondam Comelli de Mascarella, domino Francisco quondam Antonii Pullae, omnibus Messerani, et domino Iacobò quondam Iulii Caesaris Polioi aliàs de Butrio Bononiae, testibus notis, vocatis et rogatis:

§ 2. Cum sit quod, praematuro habito consilio super iuribus ut dicitur do novo repertis pertiocntibus et spectantibus ad antiquissimam Fliscorum familiam, et consequeoter ad domioos Victorium Felicem, Franciscum Mariam, Iosephum Benedictum et Petrum Lucam, pupillos, et respective infantes, compertum fuerit perutile esse dietis minoribus et infantibus dicta iura cedero et renunciare sanctae Matri Ecclesiae, et primo ex capite inopiae dictorum, qui, quatenos dicta iura essent elarissima, non tamen valerent ea experiri, quam etiam ex capite, quod dicta iura incertum habent fundamentum, qui etiam litium finis est iocertus, ex quo utilius fore visum et iudicatom fuit dicta iura cederc etiam pro parte dictorum minorum dietae S. R. E., quae nuoquam evasit ingrata, sed omnibus aeque remuneratur, ideo personaliter constituti coram perillustri domioo Aodrea Gualla, praetore sedente pro tribunali priocipatus Messerani, meque notario substituto et testibus infrascriptis, perillustris domina Antonia, uxor quondam domini Petri Augustini de Flisco contutrix et respective concuratrix, ac etiam perillustris administrator ex-

cellentissimus dominus Octavius quondam domini Petri Augustini de Flisco, contutor et concurator cum dictâ dominâ Antoniâ dominorum Victorii Felicis, Francisci Mariae, Iosephi Benedicti et Petri Lucae, prout de eius tutelâ et curâ constat ex deputatione factâ sub die praesenti receptâ at rogatâ per dominum Carolum Franciscum Bornengum notarium et secretarium Messerani, et cuius tenor in calce praesentis instrumenti registrabitur, sponte et ex certâ scientiâ, eorumque animo deliberato, nominibus dictorum eius pupillorum et infantium, dictorumque haeredum et successorum, fecerunt et quislibet eorum facit puram, meram et irrevocabilem donationem, quae dicitur ad praesens et inter vivos, nulloque vitio ingratitudinis revocandam, sanctae Romanae Ecclesiae, Summo Pontifici, suisque successoribus, et illustrissimo domino Marco Tullio Camoncolae gubernatori pro dictâ S. R. E. summoque Pontifice eiusque successoribus praesenti et acceptanti, de omnibus eorum iuribus omnibusque actionibus et rationibus quae et quas habent et in futurum habere possint in et super feudis principatus Messerani, marchionatus Crepacorii, locis et terris eisdem adiacentibus, ad habendum, tenendum, fruendum et possidendum, et quidquid eidem S. R. E. Summoque Pontifici deinceps placuerit perpetuo faciendum, simul cum omnibus suis iuribus et pertinentiis dictis feudis supra donatis in integrum spectantibus et pertinentibus, cedentes supradicti domini de Flisco, nomine proprio et tutorio nomine quo supra, omnium eorum iura, omnesque actiones et rationes meras, mixtas et hypothecarias, ac in locum, ius, statum et gradum, in quo praedicti domini da Flisco ante praesentem donationem erant, dictam S. R. E. Summumque Pontificem et successores suos ponentes, promittentes praedicti domini de Flisco, tam nomine proprio, quam tutorio nomine praedictorum dictorum fratrum, dicta iura supra donata pro dato et facto eorum tantum de iure legitime defendere et de evictione, nullumque contractum et distractum praesenti donationi praeiudicialc fecisse, constituentes sese praedicti domini de Flisco, tam nomine eorum proprio, quam dictus dominus Octavius tutorio nomine praedictorum dominorum eius fratrum minorum, et per sese eorumque haeredes et successores, dicta iura ut supra donata tenere et possidere nomine et vice dictae S. R. E. et Summi Pontificis eiusque successorum, donec de ipsis corporalem possessionem acceperit; quam accipiendi, et acceptam perpetuo in sa retinendi quandocumque voluerit eius propriâ auctoritate, licentiam omnimodam contulerunt, dederunt et dant requirentes praedicti domini donatarii per me subsignatum notarium de donatione praedictâ publicum instrumentum cum promissione praecisâ, quam tenore praesentis instrumenti faciunt, de ratificando praesentem donationem in maiori et validiori formâ, quo magis et validius de iure erit, etiam cum clausulâ clausularii romani, statim quo pervenerint in almâ urbe Romae, qua ratificatione ullo modo intendunt aliquod praeiudicium afferre seu invalidare praesentem donationem tenore praesentis instrumenti; declarantes videlicet dicti domini donatarii, supplicantesque Suam Beatitudinem, quatenus infra menses sex dignetur praesentem donationem acceptare et ratificare facere stipulationem factam a praedicto illustrissimo domino gubernatore, quae promissio acceptationis declaratur non posse suspendi, neque praeiudicare praedictae stipulationi, et quod exacto dicto termino, nullâque secutâ acceptatione, praesens donatio nulla intelligatur, et praedicti domini donatarii remaneant in eorum primis iuribus et

ad hoc ut dicti domini possint sese Romam conferre pro praedictis causis et pro demandandâ executione contentâ in praedictâ donatione, praedictus illustrissimus dominus gubernator promisit eisdem dominis donatariis solvi facere a communitatibus Messerani et Crepacorii, et pro expensis itineris, duplas quinquaginta in totum, quae omnia in praesenti publico instrumento donationis contenta dicti domini donatarii tam coniunctim quam unusquisque divisim et insolidum pro eo ad quod quilibet tenetur promiserunt et promittunt, seu promisit et promittit habere et tenere rata, grata, valida atque firma, et pro rite et recte gesta[1], et eis in aliquo nec in aliquâ parte unquam contra facere, dicere, opponere vel venire, minusque contrafacere volenti acconsentire de iure nec de facto, etiamsi quis posset, sub expressâ hypothecâ et obligatione omnium et quorumcumque eorum dictorum donatariorum bonorum praesentium et futurorum, quae pro praemissorum observantiâ sic obnoxia, obligata et hypothecata tenere sese constituunt, seu quilibet ipsorum constituit. Intervenientibus demum in praemissis et circa ea omnibus aliis debitis promissionibus, bonorum obligationibus cum clausulâ constituti in formâ, submissionibus, relevationibus, ratihabitionibus, renunciationibus quibuscumque, tam specialibus quam generalibus et aliis legibus in praemissis apponi solitis et consuetis, cum eorum iuramento debite per quemlibet ipsorum praestito, tactis corporaliter Scripturis in omnibus et ad delationem mei notarii subscripti, nempe per dictam dominam Antoniam tutorio nomine et nominibus supradictorum eius filiorum, et per dictum dominum Octavium non solum nomine et nominibus supradictorum eius fratrum, et sic tutorio nomine, sed etiam nomine suimetipsius, approbando, ratificando et confirmando, prout emulgavit, confirmavit et ratificavit omnia et quaecumque per eum acta, gesta, dicta, promissa et contenta in instrumento donationis per ipsum factae, de qua constat per rogitum mei infrascripti notarii sub die XXIV praesentis, requirens de praemissis publicum fieri donationis instrumentum per me notarium subscriptum consilio et sapientis dictamine quatenus opus sit. Pro maiori validitate praesentis donationis requirentes praedictum dominum praetorem sedentem, etc. super praemissis uti rite et recte gestis decretum et auctoritatem officii sui interponi, testimonialesque concedi. Quibus auditis, praefatus dominus praetor sedens super cathedrâ unâ nemoreâ coraminis ornatâ more praedecessorum suorum, praeviâ prius cognitione causae super praemissis uti rite et recte gestis, decretum et auctoritatem officii sui interposuit et interponit, testimonialesque requisitas concessit et concedit, datum ut supra.

Tenor testimonialium tutelae.

Anno Domini MDCLVIII, et die XXVIII novembris, Messerani, iudicialiter et coram perillustri domino Andrea Gualla, principatus Masserani praetore sedente, etc., comparuit perillustris et administrator excellens physicus dominus Octavius, quondam domini Petri Augustini de Flisco Messerani, exponens sicuti ab hac ad meliorem vitam migraverit dictus quondam dominus Petrus Augustinus eius pater, nullâque per eum conditâ provisione tutelari dominis Victorio Felice, Francisco Maria, Iosepho Benedicto et Petro Lucae eius filiis in pupillari aetate constitutis, ideo, ne bona et personae ipsorum pupillorum dicti domini exponentis fratrum dilapidentur, ad officium dictorum

1 Oporteret legere *gestis* (R. T.).

virorum recurrit unà cum dominà Antonià dictorum filiorum matre, et petunt dictam tutelam praedictorum eius filiorum et fratrum et bonorum respective sibi decerni et dari, exhibendo copiam testamenti dicti sui mariti et patris, offerendo se observare ea, quae de iure tenebuntur, et testimoniales. Quibus auditis praefatus dominus praetor, attentà submissione per dictos exponentes factà, et consideratà expositione, necnon confidentià, quam testatus est[1] habere in dicto domino Octavio eius filio, unà cum omnibus in eà contentis, ipsos dominos exponentes in tutores et pro tempore curatores praedictis filiis et fratribus ut supra nominatis decrevit et decernit, dicens: Estote boni tutores et pro tempore curatores, utilia praedictorum pupillorum facite, inutilia vero praetermittite, inventarium omnium bonorum in haereditate existentium conficite, computa in fine administrationis eorum reddite, et omnia alia necessaria dictae tutelae facite, et debitum iuramentum de bene et fideliter huiusmodi onus tutelae ministrando praestate, prout, tactis Scripturis, in manibus praedicti domini praetoris praestiterunt, quibus per has nostras omnem et opportunam auctoritatem concedentes. Datum, ut supra. Suprascriptum instrumentum rogatus recipi[2], scripsi, tradidi et levavi ego Ioannes Petrus Taratia, filius N. Nicolai, publicus apostolicà principatus Messerani auctoritate notarius, pro fide manualiter et tabellionaliter subsignatus.

IOANNES PETRUS TARATIA, notarius.

Loco † signi.

Sequitur legalitas in formâ.

Anno Domini MDCLVIII, indictione XI, die vero XXIX mensis novembris, actum in burgo Messerani Vercellensis dioecesis, et in palatio solitae habitationis infrascripti illustrissimi domini gubernatoris, praesentibus ibidem domino Iacobo quondam Iulii Caesaris Pollini aliàs de Musico Bononiae, Antonio et Carolo fratribus de Susellis Varallis, testibus notis atque rogatis, personaliter constitutus perillustris dominus Franciscus Maria quondam Barnabae de Flisco de Messerano coram me notario et testibus supradictis, et sciens se sub die XXIV praesentis, et in die dominico, meram, liberam, puram et simplicem donationem inter vivos fecisse, S. R. E. et Summo Pontifici, eiusque successoribus, de omnibus et quibuscumque iuribus ad se spectantibus et pertinentibus, et quae in futurum pertinere et spectare possint in et super feudis principatus Messerani et marchionatus Crepacorii, tam per se quam per suos haeredes et successores, in dictàque donatione se promisisse nulli alii actum et contractum fecisse nec in futurum facere in praeiudicium dictae donationis, et prout latius in instrumento dictae donationis rogato per dominum Ioannem Petrum Taratiam sub dictà die, et quia ratione diei in honorem Dei dicta donatio non fuit iuramento vallata, et intendens illam etiam iuramento roborare, ideo ratificando, approbando et confirmando, prout approbat, ratificat et confirmat omnia acta, facta, dicta et promissa in praedicto donationis instrumento, ad delationem mei notarii infrascripti, testiumque supradictorum, corporaliter tactis Scripturis, iuravit omnia contenta in dicto instrumento observare, adimplere et non contravenire de iure nec de facto, etiamsi de iure posset, sub obligatione omnium eius bonorum praesentium et futurorum, quae hypothecata et obligata, etc., cum iuramento per ipsum praestito, tactis Scripturis in manibus, etc., renunciationibus, relevationibus, ratihabi-

1 An *testatus est* pater defunctus, an *testata est* mater vivens, nescio (R. T.).

2 Potius lege *recepi* (R. T.).

tionibus et aliis clausulis et solemnitatibus in similibus necessariis et opportunis, et apponi solitis et consuetis, de quibus omnibus rogaverunt fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum dictamine sapientis, si opus fuerit, etc.

Supradictum instrumentum rogatus recepi et scripsi unà cum infrascripto domino Ioanne Antonio Badini, ego Carolus Franciscus Bornengus, publicus apostolicus principatus Messerani notarius, et pro fide manualiter subsignatus BORNENGUS, etc.

Supradictum instrumentum unà cum supradicto domino Carolo Francisco Bornengo rogatus recepi ego Ioannes Antonius Badini, publicus apostolicà auctoritate principatus Messerani notarius, in praemissorum omnium fidem manualiter subsignatus BADINUS.

Sequitur legalitas in formâ.

Acceptatio Pontificis.

§ 3. Hinc est quod nos, acceptationis conditionem donationibus praedictis, sicut praemittitur, adiectam adimplere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, donationes iurium et actionum huiusmodi per primodictum Franciscum Mariam et memoratum Octavium proprio, necnon ab ipso Octavio et supradictâ Antoniâ tutorio praedictorum Victorii Felicis, et Francisci Mariae, ac Iosephi Benedicti et Petri Lucae pupillorum nominibus respective, S. R. E. praedictae, ac nobis et Romanis Pontificibus successoribus nostris, per instrumenta praeinserta factas, citra aliquam tamen approbationem vel canonizationem eorumdem iurium et actionum, nisi et quatenus aliquo modo subsistant et quatenus expediat Sedi Apostolicae praedictae, ac salvis et illaesis semper manentibus omnibus et singulis iuribus quomodocumque et qualitercumque super dictis feudis ac locis, et eorum quolibet, nobis, dictaeque Sedi et camerae nostrae competentibus et competituris, et iura iuribus addendo, et cautelam cautelae, et non aliàs, aliter, nec alio modo, tenore praesentium acceptamus.

Quoscumque defectus in praedictâ donatione fieri possibiles tollit et abolet.

§ 4. Praeterea, omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis, quam ex statutorum quorumvis praescripto, etiam necessario observandarum, et alios quoslibet quantumvis magnos et substantiales defectus, si qui in donatione supra nominatorum pupillorum nomine per memoratos Octavium et Antoniam eorum tutores, sicut praemittitur, factâ, ex causâ seu ratione pupillaris et respective infantilis aetatis eorumdem pupillorum, sive ex eo quod ipsi Octavius et Antonia tutores sufficienti ad donationem huiusmodi faciendam facultate de iure caruerint, caruisseve praetendantur, quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi quoquo modo possent, motu, scientiâ deliberatione et potestatis plenitudine paribus, supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quomodocumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu simili concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et in-

tegros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon praedictae camerae nostrae apostolicae praesidentes clericos et alios quoslibet officiales et ministros quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et concellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis, et in illius libris registrandis, itaut praesentes ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus quoque, etiam imperialibus, necnon principatus Messerani et marchionatus Crepacorii praedictorum, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, servatis et insertis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 maii 1659, pontif. anno V.

CCXLII.

Confirmat statuta edita in capitulo generali Toletano pro provinciâ S. Thomae apostoli in Indiâ Orientali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum.

Alexander Papa VII,
ad futurum rei memoriam.

Prooemium. Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum directione provide constituta esse dignoscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, et aliàs prospero eorumdem christifidelium regimini congruis rationibus providere studemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio fratrum Minorum de Observantiâ. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis

et definitorium provinciae S. Thomae apostoli in Indiâ orientali Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod in capitulo generali dicti Ordinis Toleti celebrato die XV iunii MDCLVIII sub dilecto pariter filio Michaëleangelo de Sambuca, eiusdem Ordinis ministro generali, pro praedictâ Indiâ orientali edita fuerunt statuta tenoris sequentis, videlicet:

Statuta alias emanata.

« Finito triennio commissarii generalis illius familiae, duae illae provinciae regantur a suis ministris et definitoriis independenter a quovis commissario aut vicecommissario, etiam ab ipsis nominato.

Auctoritas in capitulo resident apud ministrum nuper electum.

In defectu commissarii generalis, instante tempore visitationis et capituli, definitorium eligat commissarium visitatorem ex eâdem provinciâ, qui cum eâdem potestatis plenitudine, quae de iure vel consuetudine commissariis visitatoribus debetur, visitabit provinciam, et praesidebit capitulo; quo finito nullam omnino auctoritatem habebit, sed tota residebit penes ministrum provinciae recens electum usque ad adventum novi commissarii generalis.

Commissarius generalis non habet auctoritatem, nisi prius patentes litteras alicui ex ministris provinciarum exhibuerit.

Commissarius generalis de novo adveniens nullam auctoritatem habebit, nullam sui officii possessionem accipere permittatur, nisi prius alicui ex ministris duarum illarum provinciarum, vel saltem guardiano illius conventus, ubi primum appulerit, patentes litteras suae institutionis exhibuerit; nec satis erit earumdem litterarum copiam quantumvis authenticam, sed necesse est ipsissimum autographum sigillo Ordinis munitum, et manu propriâ reverendissimi generalis subscriptum, exhibere, et ministri et guardiani aliter facientes punientur severe arbitrio reverendissimi.

Nemini liceat in alienâ provinciâ incorporari, nisi praevio consensu utriusque ministri, quantumvis consentiat aut forte praecipiat commissarius generalis illarum partium.

Moneatur minister generalis quo tempore providere debeat commissarium generalem.

Praecipitur provinciali ministro provinciae Portugalliae ut curet monere reverendissimum generalem de tempore opportuno, quo providere debeat de commissario generali Indiae orientalis, ut expleto ipsius triennio, vel morte praeveniente, quam citius nominetur commissarius ».

Statuta emanata in generali capitulo confirmat et approbat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati exponentes, ut bono provinciarum dicti Ordinis in Indiâ orientali huiusmodi consistentium regimini consulatur, statuta praeinserta apostolicae confirmationis nostrae robore communiri, et opportune a nobis ut infra provideri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praeinserta statuta, in praedicto capitulo generali Toleti celebrato pro memoratâ Indiâ orientali, sicut praemittitur, edita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, statuentes et ordinantes, quod in dictis provinciis Indiae de cetero non fiat electio vicecommissarii generalis, prout fiebat virtute statutorum factorum in capitulo celebrato Romae anno MDCXXXIX, neque iungantur duo illa definitoria deficiente commissario transmisso, sed tali casu provinciae gubernentur eo modo, quo ordinant praeinserta statuta Toletana, quod-

que minister provincialis provinciae Portugalliae dicti Ordinis teneatur procurare ut mittatur commissarius, supplicando ministro generali eiusdem Ordinis ut illum nominet, ac designando illi religiosos pro dicto officio, qui possint esse ex quinque provinciis Portugalliae, et ex duabus Indiae, nempe Portugalliae, Algarbiorum, Pietatis, Arrabidae, S. Antonii, S. Thomae, et Matris Dei.

Commissarius ubi remanebit post adimpletum officium.

§ 3. Ac demum, quod commissarius transmissus ex supradictis quinque provinciis Portugalliae possit remanere (si voluerit) in aliquâ ex dictis duabus provinciis Indiae, cum omnibus praeeminentiis concessis a statuto religionis, si laudabiliter officium suum adimpleverit. Attamen si commissarius fuerit ex duabus provinciis Indiae, finito officio redeat ad suam provinciam, cuius est filius, et in illâ gaudeat privilegiis concessis a statutis, quibus non gaudebit, si in illâ non remanserit.

Exequutores deputat.

§ 4. Ut autem praedicta suis loco et tempore debitum sortiantur effectum, eorum exequutionem, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis ac opportunis, venerabili fratri archiepiscopi Goënsi, ac dilectis filiis adversus haereticam pravitatem inquisitoribus apostolicâ auctoritate deputatis, et aliis quibuscumque personis in dignitate ecclesiasticâ constitutis civitatis et insulae Goae, et eorum cuilibet in solidum, auctoritate et tenore praedictis iniungimus et demandamus, salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessori nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc.; et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etc.; hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etc.

Datum Romae, in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 maii 1659, pontif. anno v.

CXLIII.

Confirmatio concordiae super controversiâ confinium inter provinciam S. Didaci in Beticâ Ordinis sancti Francisci de Observantiâ et provinciam S. Ioannis Baptistae eiusdem Ordinis exortâ, cum praecepto ut termini et confinia inter easdem provincias iuxta concordiam huiusmodi serventur [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ildephonsus de Medina, frater expresse professus et procurator provinciae S. Didaci in Betica Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliâs, cum inter dictam provinciam ex unâ et provinciam S. Ioannis Baptistae eiusdem Ordinis ex alterâ partibus super controversiâ confinium lis penderet, et coram dilecto filio nostro Virginio S. Mariae in Viâlatâ diacono cardinale Ursino nuncupato corcondatum fuisset dubium in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ proponendum, an et cui competeret ius Supplicatio.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

fundandi in episcopatibus Gaënensi, Cordubensi et Malacitano, dilectus filius minister generalis dicti Ordinis mandato nostro concordiam super praemissis inter partes praefatas de illorum consensu iniit, eisdemque[1] provinciis terminos et confinia assignavit, prout infra exprimetur.

Motiva.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subinngebat, praefatus Ildephonsus concordiam huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri, et (ne praefata provincia S. Didaci in possessione suorum terminorum a dictâ provinciâ S. Ioannis Baptistae vigore quarumdam litterarum felicis recordationis Urbani Papa VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis die IV septembris MDCXLII expeditarum, per quas conceduntur dictae provinciae termini provinciae Granatensis, necnon aliarum litterarum apostolicarum recolendae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris pariter nostri ac eiusdem Urbani praedecessoris, in quibus est clausula generalis concedens fratribus Ordinis praefati facultatem fundandi in quibusvis locis totius Hispaniae, de cetero turbetur) opportune a nobis in praemissis provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Concordiam initam et decretam inter fratres praedictos confirmat et approbat.

§ 3. Nos, ipsum Ildephonsum specialibus, favoribus et gratiis, etc., et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatorum cardinalium, qui concordiam per dictum ministrum generalem de mandato nostro ac de consensu partium super praenarratâ controversiâ confinium memoratarum provinciarum sancti Ioannis Baptistae et S. Didaci decretam et initam eiusdemque ministri generalis relationem audiverunt, consilio, eamdem concordiam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac prout ex eâ exinde inter memoratas provincias terminos et confinia servari et custodiri mandamus et praecipimus, ut scilicet tota continentia archiepiscopatus Hispalensis et episcopatuum Gaditani, Cordubensis et Malacitani, necnon pars episcopatus Gaënensis, videlicet ab ipsâ civitate usque ad episcopatum Cordubensem, ad provinciam S. Didaci pertineat; reliqua vero pars dicti Gaënensis episcopatus ab eâdem civitate versus Viasensem et Ubetensem ad provinciam S. Ioannis Baptistae praefatam spectare intelligatur, ita tamen ut in dictâ Gaënensi civitate neutri fundare, quaestuare autem utrique liceat. Ac de cetero super praemissis perpetuum silentium imponimus, praecipimusque tam uni quam alteri dictarum provinciarum, ne super praedictâ terminorum et confinium praefixione et possessione sese invicem, seu altera alteram perturbare, vexare et inquietare, seu litem movere quoquo modo sub quovis praetextu vel quaesito colore audeant aut praesumant. Salvâ semper in praemissis auctoritate supradictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria refellit.

§ 5. Non obstantibus praedicti Clementis et Urbani praedecessorum litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictarum provinciarum et aliis qui-

1 Male edit. Main. legit *eiusdemque* pro *eisdemque* (R. T.).

busvis, etiam iuramento, etc.; quibus omnibus et singulis, etc., illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxxi[1] maii MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 31 maii 1659, pontif. anno v.

CCXLIV.

Statuit quod commissarii generales Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ non possint retardare capitula provinciae S. Thomae apostoli in Indiis Orientalibus dicti Ordinis, sed, statim congregatis in Goa vocalibus, intra quatriduum ad capitulum procedere, illudque intra simile spatium absolvere debere, licet aliqui vocales absint impediti vel adesse recusantes, cum diversis indultis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Debitum sacrosancti apostolatus humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam impositi postulat, ut pastoralis vigilantiae nostrae oculos per universas christiani Orbis partes iugiter circumferentes, felici christifidelium, qui, spretâ seculi vanitate, Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis iugo mancipārunt, directioni, spiritualique christianorum populorum utilitati congruis rationibus consulere studeamus, prout, locorum, personarum et temporum qualitate mature consideratâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Petitio. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii minister provincialis et definitores provinciae S. Thomae apostoli in Indiis Orientalibus Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, quo regularis observantia paxque et concordia in eâdem provinciâ melius conservetur, et debita christianis illarum partium populis cura a fratribus dicti Ordinis, quibus ex indulto Sedis Apostolicae parochi officium in eisdem partibus exercere licet, expeditius maiorique cum animarum fructu de cetero impendi valeat, ac prospero tam praedictae provinciae S. Thomae apostoli quam etiam SS. Dei Genitricis provinciae in dictis Indiis Orientalibus pariter consistentis fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum eiusdem Ordinis sancti Francisci regimini opportune provideatur, infrascripta a nobis respective statui ac concedi et indulgeri summopere desiderent:

§ 2. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, etc., absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, quibus litterae consensum totius definitorii continentes in authenticâ formâ exhibitae fuerunt, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus quod nullus commissarius generalis capitulum provinciale dictae provinciae S. Thomae apostoli retardare valeat, sed, statim atque vocales fuerint in Goa congregati, intra spatium quatuor dierum ad capitulum huiusmodi procedere, illudque intra simile spatium cum omnibus electionibus ad id pertinentibus absolvere debeat, tametsi desiderentur aliqui vocales, quavis occa- Capitulum in Goa celebrari iubet, statim ac vocales intervenerint, etsi aliqui desint.

[1] Mala ut puto ed. Main. habet III maii; nam ad marg. habet 31 maii, et ita requirit ordo bullarum (R. T.).

sione vel causâ legitime impediti, vel si vocati venire recusaverint. Quod si commissarius generalis in his terminis capitulum indicere et celebrare neglexerit, eo ipso excommunicatus et officio suo privatus existat; minister vero provincialis actualis provinciae huiusmodi, vel qui eius vices obtinuerit, celebret dictum capitulum, eique praesideat, ac illud sicut praemittitur absolutissime compleat. Si autem etiam dictus minister provincialis, vel eius vices obtinens, haec adimplere recusaverit, pater provinciae antiquior ad praemissa procedere, illaque pariformiter adimplere debeat; et sic successive, sub eisdem poenis.

Religiosis parochis continuari potest officium.

§ 3. Quia vero statutum in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCXXXIX in almâ Urbe celebrato editum, quo disponitur, quod religiosi, qui fuerint parochi per tres annos, nequeant per alios tres annos subsequentes in eiusmodi officio continuare, quodque definitores nullo modo in parochos eligi possint, sine animarum dispendio in eâdem provinciâ S. Thomae apostoli observari nequit, eo quod in provinciâ huiusmodi paucissimi nunc sunt religiosi, qui linguam indigenarum ita calleant, ut officium parochi perfecte valeant administrare; religiosos dictae provinciae S. Thomae apostoli, officio parochi per triennium functos, in officio huiusmodi ad aliud subsequens triennium continuari, necnon definitores ad officium parochi eligi (si tamen ministro provinciali et definitorio eiusdem provinciae ita expedire videbitur) libere et licite posse concedimus.

Equitare permittit.

§ 4. Praeterea dictae provinciae S. Thomae apostoli religiosis officio parochi fungentibus, ut aliquo animali domestico pro portandis oneribus sibi necessariis uti, illudque ad eum effectum secum retinere, necnon, quo expeditiori diligentiâ ovibus suis subveniant, ac ad evitandos serpentes qui vias passim infestant, superandamque ipsarum viarum asperitatem, equitare libere pariter et licite valeant, indulgemus.

§ 5. Postremo (attento quod supradictae Indiae Orientales, in quibus praedictae duae S. Thomae apostoli et SS. Dei Genitricis provinciae constitutae sunt, remotissima ab urbe praedictâ christianitatis pars existunt[1]) ut gratiae, uni earumdem provinciarum pro bono eius regimine hactenus concessae et in posterum concedendae, etiam alteri concessae intelligantur, ita ut utraque provincia huiusmodi talibus gratiis indiscriminatim uti et gaudere valeat, pariter concedimus et indulgemus.

Exequutores deputat.

§ 6. Ut autem praefata suis loco et tempore debitum sortiantur effectum, eorum exequutionem, cum omnibus et singulis facultatibus ad id necessariis et opportunis, venerabili fratri archiepiscopo Goënsi, ac dilectis filiis inquisitori, dignitatibus et canonicis civitatis et insulae Goae, et eorum cuilibet in solidum, auctoritate et tenore praedictis iniungimus ac demandamus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., ac ab[2] illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc., aliisque

1 Nempe illae Indiae sunt pars christianitatis remotissima ab urbe Goae (R. T.).

2 Praeposit. ab nos addimus (R. T.).

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, aliisve quibusvis, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iunii MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 iunii 1659, pontif. anno v.

CCXLV.

Confirmatio quarumdam constitutionum in capitulo generali editarum pro felici fratrum Minorum sancti Francisci tam de Observantiâ quam Reformatorum dictorum statu[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ad eximios uberesque fructus, quos dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, tam de familiâ quam reformati nuncupati, in vineâ Domini Sabaoth, cuius curae atque regimini superni patrisfamilias providentiâ meritis licet imparibus praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem contuentes, ea, quae pro feliciori eorumdem fratrum gubernio in capitulis praesertim generalibus statuta et ordinata sunt, ut ab omnibus, ad quos illa concernunt, inviolabiliter observentur, apostolico muniminis patrocinio libenter roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Constitutiones referuntur. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaëlangelus a Sambuca, minister generalis totius Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci, quod in capitulo generali dicti Ordinis de anno MDCLVIII in civitate Toleti celebrato diversae constitutiones pro feliciori fratrum dicti Ordinis tam de Observantiâ quam Reformatorum nuncupatorum gubernio editae fuerunt, quas pro inviolabili earum observatione apostolicae confirmationis robore communiri plurimum desiderat. Nos, piis dicti Michaëlisangeli ministri generalis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis, etc., et a quibusvis excommunicationis, etc., absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, constitutiones praedictas (in iis tantum, quae sacris canonibus, Concilii Tridentini decretis, ceterisque constitutionibus seu ordinationibus ac decretis apostolicis, praesertim reformationem dicti Ordinis illiusque fratres reformatos seu recollendos vel discalceatos nuncupatos quomodolibet concernentibus, et quandocumque editis, non sint contraria), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet exorti fuerint vel intervenerint, supplemus.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub arbitrii nostri ac in constitutionibus praedictis contentis poenis, omnibus et singulis fratribus praedictis, ceterisque ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, ut constitutiones praedictae iuxta praesentium litterarum tenorem inviolabiliter observentur. Confirmat constitutiones.

§ 3. Decernentes irritum et inane, si secus, etc., scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus Contrariis derogat.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

opus sit, Ordinis praedicti, etiam iuramento, etc., ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iunii MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 iunii 1659, pontif. anno V.

CCXLVI.

Concessio indulgentiae plenariae fratribus regularis observantiae sancti Francisci ac reformatis cismontanae familiae, exercitiis spiritualibus per octiduum vacantibus.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Michaëlangelus a Sambuca, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci minister generalis, in capitulo generali eiusdem Ordinis novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut secessus et spiritualia mortificationis et orationis mentalis exercitia in omnibus provinciis cismontanae familiae Ordinis praedicti reassumantur, et illis fratres earumdem[1] provinciarum aliquoties singulis annis vacent:

Concedit ut in rubrica.

§ 1. Nos, qui probe novimus quantopere conducant exercitia huiusmodi dirigendis in viam Domini et confirmandis in illâ christifidelium mentibus, devotionem fratrum memorati Ordinis, qui de suorum superiorum licentiâ operi adeo pio et salutari vacaverint, caelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis praedicti Ordinis fratribus, tam clericis quam laicis seu conversis, qui in domibus regularibus provinciarum praedictarum de suorum superiorum licentiâ exercitia praedicta per octidui spatium quandocumque peregerint, et interea temporis vere poenitentes et confessi sacrosanctum Eucharistiae sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus in perpetuum valituris.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus autem quod si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eaedem praesentes nullae sint eo ipso; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici vel secretarii dicti Ordinis subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel ministri generalis praedicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iunii MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 11 iunii 1659, pontif. anno V.

CCXLVII.

Constitutio super erectione collegii ex referendariis utriusque signaturae et super qualitatibus admittendorum deinceps in referendarios.

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras apostolicae sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, ea semper nobis cordi fuit, ut praelati Romanae curiae, qui tamquam stellae in firmamento militantis Ecclesiae relucent,

[1] Edit. Main. habet *eorumdem* (R. T.).

ac in arduis quibusque negotiis Apostolicae Sedi operâ et consilio praesto esse debent, ii demum deligantur, qui optimâ indole, moribus et litteris praestantiores, ceteris verae virtutis exemplar seipsos praeferunt. Ad haec sane, licet nonnulli Summi Pontifices praedecessores nostri eorum constitutionibus multa praesertim pro referendariis utriusque signaturae statuerint, quorum tamen nonnulla temporum cursu, ut saepe solet, antiquata et forsan neglecta fuerunt: propterea nos illa innovare, ac pristinae observantiae restituere, et aliqua etiam addere, quae rerum experientia docuit expedire, duximus opportunum.

Innovat praedecessorum constitutiones.

§ 1. Hac igitur nostrâ perpetuo valiturâ constitutiones praedictas nostrorum praedecessorum in illis partibus, quae praesenti non adversantur, aut aliàs legitime reformatae non fuerint, confirmamus et innovamus: Insuper erigimus et instituimus collegium eorumdem referendariorum, quod volumus repraesentari ex duodecim votantibus signaturae iustitiae de corpore ac numero ipsorum referendariorum electis et in posterum eligendis, quorum caput ac moderatorem perpetuo constituimus praefectum eiusdem signaturae iustitiae pro tempore existentem, et antiquior eorum in officio appellabitur decanus.

Officium decani et collegii.

§ 2. Horum autem officium erit formare inquisitiones ac processus super qualitatibus eorum, qui ad praefatum referendarii munus ac dignitatem admittendi erunt, prout singulis a praefecto signaturae speciali rescripto demandabitur, ut infra statutum est. Praeterea eidem decano et collegio incumbet ceteros referendarios, praesertim in posterum recipiendos, diligenter instruere de his, quae spectant ad exercitium eorum officii, et omnibus intimare decreta et ordinationes quascumque, tam nostras quam eiusdem praefecti, eorum personas ac munus concernentes et concernentia, necnon dies ac tempora et servitia a singulis eorum nobis tam in cappellâ nostrâ quam in aliis functionibus praestanda, ac etiam curare ut tabellae indicantes signaturas et congregationes faciendas congruis temporibus a ministris deputatis, ut moris est, exponantur, ac omnibus demum incumbere quae ordinis interesse concernent.

Forma convocandi collegium.

§ 3. Quoties vero dictum collegium convocari et coadunari necesse erit, requiratur prius licentia praefecti et de eius mandato per decanum convocetur, atque in domo habitationis eiusdem praefecti, et non alibi nec aliter, convocari et coadunari possit, nisi de expresso eiusdem praefecti consensu, ac licentiâ in scriptis tantum praestandâ.

Collegii privilegia.

§ 4. Volumus autem praefatum collegium a nobis institutum eisdem privilegiis et exemptionibus perfrui ac potiri, quibus cetera collegia praelatorum Romanae curiae potiuntur et gaudent.

Cooptandorum in ordine referendariorum processus.

§ 5. Porro illi, qui in ordinem referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relatâ nobis et successoribus nostris a praefecto signaturae eorum instantiâ, nostrum ac successorum praefatorum beneplacitum praecedat: deinde ut ab eodem praefecto unus ex praelatis praefati collegii delegetur pro conficiendo processu, in quo infrascriptae instantium qualitates legitime iustificentur; primo scilicet ut ex vero et legitimo matrimonio et probis ac honestis parentibus nati et procreati sint, ac bonae indolis, vitae ac famae prorsus inculpatae fuerint, atque in vigesimoquinto aetatis anno constituti; praeterea in aliquâ publicâ universitate studiis legalibus saltem per quinquennium operam dederint, ac in eâdem utriusque iuris, scilicet canonici et civilis, lauream doctoratus asseculi fuerint; atque annuos etiam redditus, summam scutorum mille

quingentorum monetae constituentes, vere ac realiter et pacifice possideant, vel a parentibus aut propinquis fuerint illis valide assignati; ac demum in hac curiâ Romanâ saltem per biennium versati fuerint, et studios praxeos penes aliquem ex auditoribus Rotae nostrae, vel alios praelatos, officiales seu advocatos eiusdem curiae sedulo incubuerint; super quibus, compilato diligenter processu, fiat a ponente seu delegato illius relatio in collegio, cui si videantur probata sufficienter praemissa, tunc orator admittatur ad examen, assignatis illi (ut moris est) duabus supplicationibus seu commissionibus coram ipso collegio proponendis; et subinde peracto examine, si eiusdem praefecti, atque collegii, quorum conscientiam oneramus, fuerit concordi iudicio, vel saltem per duas ex tribus partibus votorum, quae secreto per fabas albas et nigras proferri volumus, approbatus, tunc praefectus, omnibus nobis et successoribus nostris relatis, illum auctoritate nostrâ pronunciabit referendarium, ac in aliorum numerum adscribi mandabit, praestito tamen prius in eius manibus solito iuramento.

Vota signaturae nemini referantur.

§ 7. Postremo, ut in signaturis tam gratiae quam institiae liberior sit causarum discussio et votorum prolatio, prohibemus omnibus et singulis, tam votantibus quam aliis quibuscumque in eisdem signaturis intervenientibus, ac eorum auditoribus et studiorum coadiutoribus, vota ipsa cuiquam alteri etiam speciali expressione digno referre aut propalare oretenus vel in scriptis per se ipsos vel alios quacumque formâ et exquisito modo, sub poenâ indignationis nostrae.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes praesentes litteras validas, etc., inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de gratiis non concedendis ad instar, ac felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in praedictâ camerâ registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae praefati praedecessores in dictis constitutionibus voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, erectionis, institutionis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLIX, idibus iunii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 iunii 1659, pontif. anno V.

CCXLVIII.

Confirmatio decreti domini cardinalis Barberini protectoris totius Ordinis sancti Francisci de Observantiâ super praecedentiâ inter procuratores et commissarios generales eiusdem Ordinis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ad pastorale fastigium divinâ dispositione evecti, illa, quae pro conservandâ inter religiosos viros Altissimi obsequiis sub suavi arctioris vitae iugo mancipatos fraternâ animorum concordiâ, avertendisque controversiis quae inter eos excitari possint, provide conspicimus emanasse, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio roboramus.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dilectus filius Rocchus de Villareio, frater expresse professus ac in Romanâ curiâ commissarius generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nnncupatorum, quod, cum ipse aliàs a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ petiisset, ut, ad occurrendum litibus quae inter procuratores et curiae praedictae commissarios generales eiusdem Ordinis circa praecedentiam oriri poterant occasione statuti per capitulum generale dicti Ordinis anno MDCLI in almâ Urbe celebratum editi, quo cavetur inter procuratorem et commissarium Romanae curiae tam actualem quàm habitualem hunc ordinem esse servandum ut ceteris paribus semper et utrobique procurator actualis debeat praecedere actualem commissarium et habitualis procurator habitualem commissarium, istam particulam *ceteris paribus* declarare dignaretur, eadem congregatio eam rem ad venerabilem fratrem nostrum Franciscum episcopum Portuensem cardinalem Barberinum nuncupatum eiusdem S. R. E. vice cancellarium, ac Ordinis praedicti apud nos et Sedem Apostolicam protectorem remisit, ut decerneret prout iuris. Qui declarationem et decretum desuper edidit, prout continetur in eius litteris tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor decreti domini cardinalis Barberini protectoris.

« Franciscus miseratione divinâ episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius, ac Ordinis S. Francisci protector, corrector et gubernator, dilectis in Domino filiis patribus procuratoribus et commissariis Romanae Curiae habitualibus eiusdem instituti salutem in Domino. Cum, sicut expositum est sacrae Congregationi negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae, ad abigendos controversiarum anfractus circa praecedentiam inter procuratores et commissarios generales habituales curiae Romanae, sive horum nominibus aut titulis insignitos, expediat huiusmodi lites terminari, statutumque editum Romae anno MDCLI exponi, videlicet: « Quod ceteris paribus semper et utrobique procurator actualis debet praecedere actualem commissarium, et habitualis habitualem »: nobisque ab eâdem sanctâ congregatione fuerit commissum desuper decernere prout iuris: hinc est quod nos, pari honore et onere functos, non impares emereri praeeminentias aequitati consonum esse putantes, primoque emeritis priora deberi praemia, atque Ordinis huiusmodi statutorum inviolabili observantiae et inveterabili consuetudini inhaerentes, necnon praedecessorum nostrorum decretis super hac re iamdudum emanatis, et praesertim eminentissimi domini cardinalis Veralli, olim dicti Ordinis protectoris, praeviâque huius rei maturâ discussione, dicimus, decernimus et declaramus, procuratorem actualem generalem legitime iuxta statuta in comitiis seu congregationibus generalibus electum et nominatum praecedere debere actualem commissarium in eisdem comitiis legitime electum, habitualem vero commissarium prius electum praecedere habitualem procuratorem posterius institutum et suo munere functum, itaut in posterum praedicti procuratores et commissarii generales habituales inter se praecedere debeant iuxta antiquitatem, sive antianitatem, sive institutionis sive electionis in diversis comitiis, et congregationibus generalibus; suffectos vero, seu substitutos, extra comitia et congregationes generales praefatorum procuratorum seu commissariorum loco ad unum et alterum annum, sive quovis indulto eorum titulis insignitos, si aliàs in suis provinciis prius ministri provinciales non fuerint, non solum

praedictis patribus sic legitime institutis et suo munere functis, sed et his qui fuerunt in suis provinciis ministri provinciales cedere debere decernimus, et ita praedictum statutum intelligi inviolabiliterque observari. Confirmantes insuper et pro rato et valido habentes quascumque sententias a quibusvis superioribus eiusdem instituti, sive iudicibus ab eisdem delegatis, iuxta tenorem huius nostrae decisionis exaratas. Praecipientes sub poenâ officiorum actuumque legitimorum privationis, et aliis ad arbitrium nostrum infligendis poenis, ut haec nostra in hoc dubio decisio et ultima statuti explicatio adamussim in toto Ordine ita observetur. Datum Romae, in palatio cancellariae apostolicae, hac die XI aprilis MDCLIX.

F. card. BARBERINUS, protector.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Rocchus declarationem et decretum huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret;

Confirmat decretum a cardinali protectore emanatum.

§ 3. Nos, ipsum Rocchum specialibus favoribus et gratiis, etc., et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem et decretum a memorato Francisco cardinalem protectore, sicut praemittitur, editum, emanatasque desuper litteras praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere; ac irritum et inane, etc., contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis et aliis quibusvis, etiam iuramento, etc., concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etc., eadem prorsus ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 iunii 1659, pontif. anno V.

CCXLIX.

Confirmat decretum, quo numerus vocalium capituli generalis congregationis Italiae fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini reducitur ad tres pro qualibet provinciâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici christifidelium sub suavi arctioris religionis iugo Altissimi obsequiis nuncupatorum directionem provide statuta esse dignoscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici munimինis patrocinio roboramus.

1 De his fratribus vide ad Constitut. CCLXXXV (al. 261) Urbani VIII, *Aliàs*, tom. XIII, pag. 652, circa electionem priorum provincialium, ac de modo regendi provincias.

Expositio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius generalis et definitorium congregationis Italiae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod ultimum eiusdem congregationis capitulum generale sub directione dilecti filii nostri Ioannis Baptistae tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbyteri cardinalis Pallotti nuncupati, dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, summà cum tranquillitate et pace celebratum fuit, iuxta modum et formam cuiusdam decreti in proxime praecedenti capitulo generali congregationis praedictae editi, et per venerabiles fratres nostros eiusdem S. R. E. cardinales negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositos die x ianuarii proxime praeteriti (ut dicti exponentes asserunt) confirmati, quo numerus vocalium capituli generalis congregationis huiusmodi praescribitur, et ad tres pro qualibet provincià reducitur, et aliàs, prout continetur in scripturà tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum capituli generalis.

§ 2. « Die XIII maii MDCLIX, sessione VII, invocato divini Spiritus auxilio, congregatis eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Pallotto protectore et praeside, ac patribus definitorii generalis congregationis patrum Discalceatorum sancti Augustini Italiae, propositum fuit, an confirmandum sit decretum in praeterito capitulo generali, sessione x, die XVIII maii MDCLVI editum, et a sacrà congregatione super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ confirmatum, super reductione vocalium capituli generalis sub infrascripto tenore, videlicet:

§ 3. « Ad tollenda inconvenientia et incommoda, quae ex celebratione capituli generalis more solito contingunt ex multitudine vocalium ad praedictum capitulum generale concurrentium et expensarum ultra limites nostrae paupertatis, et ex periculis itinerum cum evidenti detrimento nostrae regularis observantiae, cum experientià compertum sit summopere expedire capitulum generale celebrari iuxta formam praescriptam in decreto aliàs facto in praeterito triennio, et a sacrà congregatione praedictà confirmato, paucis mutatis, ut infra, sub reservatione beneplaciti SS. D. N., et cum supplicatione S. S. pro confirmatione in perpetuum per litteras in formà Brevis, decretum fuit, quod deinceps in perpetuum accedant suffragaturi ad capitulum generale, praeter admodum reverendum patrem vicarium generalem, quatuor definitores generales, duos visitatores generales, procuratorem generalem et secretarium generalem, ex qualibet provincià priores provinciales in capitulo generali sive extra illud ad formam litterarum apostolicarum electi; quod si aliquem ex dictis provincialibus ante elapsum triennium et ante capitulum generale decedere contigerit, et per tempus non licuerit novam fieri electionem ut supra, tunc ius ferendi suffragium in capitulo generali in locum demortui devolvatur ad proxime antecessorem in officio provincialatus, dummodo illi non competat huiusmodi ius ferendi suffragium in eodem capitulo ex alio titulo, quo casu ad antecessores in dicto officio eodem modo devolvatur; et si detur casus quod nullus ex provincialibus antecessoribus existat, aut ferre votum ex alio titulo possit, tali casu ius ferendi votum devolvatur, in provincià Romanâ, ad priorem conventus Iesu Mariae de Urbe, et eo deficiente aut legitime impedito, ad priorem conventus S. Nicolai eiusdem Urbis; in provincià Neapolitanâ, ad priorem S. Mariae Veritatis, vel eo deficiente aut legitime impedito, ad priorem conventus S. Nicolai Tolentinatis eiusdem civitatis;

in provincià Ianuensi, ad priorem conventus S. Nicolai Tolentinatis Ianuae, et eo deficiente vel legitime impedito, ad priorem conventus S. Damiani Mediolani; in provincià Siciliae Panormitanae, ad priorem conventus S. Nicolai Tolentinatis Panormi, vel eo deficiente seu legitime impedito, ad priorem conventus S. Gregorii eiusdem civitatis; in provincià Germaniae, ad priorem conventus S. Augustini Viennae, et eo deficiente vel legitime impedito, ad priorem conventus S. Winceslai Pragae; in provincià regni Neapolitani, ad priorem conventus S. Mariae Pietatis Montis Leonis, et eo deficiente vel legitime impedito, ad priorem conventus S. Mariae Incoronatae Neritonensis; in provincià Pedemontanà, ad priorem conventus S. Caroli Taurini, et eo deficiente seu legitime impedito, ad priorem conventus Ss. Nicolai et Annae Salutiarum; in provincià Siciliae Messanensis, ad priorem conventus S. Restitutae, et eo deficiente seu legitime impedito, ad priorem conventus S. Annuntiatae eiusdem civitatis, et sic deinceps.

§ 4. Praeterea, loco priorum et discretorum cuiuslibet conventus, accedant suffragaturi ad capitulum generale, et ad idem laturi instantias ad statum provinciarum et singulorum conventuum, duo ex qualibet provincià, qui sint sacerdotes, et sine scandalo, et cum aedificatione in congregatione se gesserint, et saltem duodecim annos completos a professione habeant in congregatione, et triginta annos pariter completos habeant aetatis: et unus ex istis insuper philosophiam vel theologiam, si fieri poterit, per duodecim annos, vel ad minus per novem formiter legerit et docuerit, vel pro[1] duodecim, vel saltem novem, cursus quadragesimales aut integros annuales laudabiliter concionatus fuerit, excepto tamen hoc primo triennio, pro quo vocales, sive lectores, sive concionatores, eligi et admitti possint, etiamsi per sex tantum annos muneribus praedictis functi sint: quibus requisitis, ut supra, respective deficientibus, electiones nullae sint eo ipso, ac sine illis electi ad suffragandum in capitulo generali non admittantur.

§ 5. Praedicti autem duo in qualibet provincià eligantur in congregatione cogendà per priorem provincialem cuiuslibet provinciae dominicà primà mensis maii proxime praecedentis capitulum generale, vel, si urgens aliqua necessitas coëgerit, primo quoque tempore post dictam dominicam primam mensis maii, in quibus congregationibus praesideant provinciales, non tamen in illis votum ferant; et provincialibus quovis modo deficientibus, praesideant priores conventuum in quibus congregationes fient; et officio scrutatorum fungantur, qui praeerit, et duo praesidenti proximiores, eligentur et alii duo cum eisdem qualitatibus et requisitis respective substituendi unicuique ex proxime electis in casu mortis sive alterius cuiusvis legitimi impedimenti.

§ 6. In praedictis autem congregationibus vocem habebunt priores cuiuslibet conventus et vicarii conventuum vicariatus, secretarii reverendorum patrum provincialium, necnon discreti, qui eligentur prout hactenus factum est. Et cetera faciant ad formam constitutionum. Congregationes autem habebuntur pro provincià Romanà in conventu SS. Crucifixi Spoleti, pro provincià Neapolitanà in conventu S. Mariae Veritatis Neapolis, pro provincià Ianuensi in proximo triennio in conventu S. Franciscae Romanae Mediolani, in subsequenti vero in conventu S. Nicolai Tolentinatis Ianuae, et sic deinceps alternative; pro provincià Siciliae Panormitanae in conventu S. Nicolai To-

1 Videtur legendum *per* loco *pro* (R. T.).

lentinatis Panormi; in provincià Germaniae, in proximo triennio, in conventu S. Augustini Viennae, in subsequenti vero in conventu S. Wincislai Pragae, et sic de singulis alternative; pro provincià regni Neapolitani, in proximo triennio, in conventu S. Mariae Incoronatae Neritonensis, in subsequenti vero in conventu S. Mariae Pietatis Montis Leonis, et sic deinceps alternative; pro provincià Pedemontanà in conventu S. Caroli Taurini; in provincià Siciliae Messanensis in conventu S. Restitutae Messanae. Utquè electiones pro qualibet provincià de dignioribus et magis acceptis personis in qualibet provincià in definitorio generali fiant, provisum et decretum pariter fuit, ut in electionibus praedictis intersint et admittantur ad ferendum votum provinciales, et duo vocales unicuiusque provinciae, unà cum patribus definitorii in electionibus singularum provinciarum, itaut possint esse omnes numero duodecim electores. Et fuit affermative per vota secreta omnibus concurrentibus, die XXV maii MDCLIX, in capitulo generali, praesidente eminentissimo domino cardinali Pallotto, ad maiorem quietem et pacem totius congregationis, etc., perlecto per secretarium capituli generalis altà voce suprascripto decreto, et factà propositione an placeat servari et confirmari dictum decretum tenoris prout supra, per vota secreta fuit resolutum affermative per vinginti octo suffragia, duobus tantum pro negativà ».

Confirmat decretum prout in rubrică. § 7. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentià et observatione, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, etc., harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum definitorii et capituli generalis dictae congregationis decretum, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans. § 8. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum, etc., attentari.

Contraria refellit. § 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis praedictae, eiusque provinciarum et aliis quibusvis, etiam iuramento, etc., quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, etc., hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis, etc.

Transumptorum fides. § 10. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 iunii 1659, pontif. anno V.

CCL.

Pro erectione provinciae B. Petri de Alcantara fratrum Discalceatorum sancti Francisci, et communicatione eorum quae provinciae S. Ioannis Baptistae et omnibus aliis provinciis eorumdem fratrum Discalceatorum pro bono ipsarum regimine sunt concessa.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam impositum postulat, ut, paternam christifidelium, qui e fluctibus seculi in portum regularis vitae confugerunt, curam gerentes, eorum statui et felici directioni opportunis rationibus consulere studeamus, prout pia orthodoxorum regum vota exposcunt, et nos, maturâ consideratione praeviâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum Discalceatorum provinciae S. Ioannis Baptistae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis expositum fuit, quod eadem provincia, vigore facultatis aedificandi seu instituendi conventus seu domos regulares in quibusvis Hispaniae locis ei per quasdam felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteras concessae, ita (benedicente Domino) dilatata nunc reperitur, ut in Valentiae, Murciae et Granatae regnis, in quibus consistit, trigintasex illius conventus numerentur, in quibus singulis fratres notabili numero habitant. Qui conventus cum per spatium trecentorum milliarium in longitudinem, et centum quinquaginta in latitudinem dispersi existant, ministris provincialibus provinciae huiusmodi pro tempore existentibus, si non impossibile, saltem difficillimum redditur ipsam provinciam pedibus totam quotannis peragrare et visitare, sicut per statuta dicti Ordinis praescribitur, nec ipsi, attentâ itineris longitudine, eam in singulis conventibus praefatis moram trahere valent quam spiritualis religiosorum consolatio exigit.

Supplicatio pro divisione provinciae. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis in capitulo provinciali dictae provinciae provide perpensis, fratres, qui eidem capitulo interfuerunt, omnes unanimiter decreverint nobis esse supplicandum, ut licentiam dividendi provinciam praedictam concederemus, hocque decretum non solum a tunc existente Ordinis praedicti ministro generali, qui capitulo provinciali huiusmodi praesedit, approbatum, sed etiam a capitulo generali eiusdem Ordinis in civitate Toletanâ novissime celebrato confirmatum fuerit: nobis propterea tam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nomine quam pro parte dictorum exponentium humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Philippi regis desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, praefatosque exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et ipsorum exponentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, etc., harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi piis et rationabilibus supplicationibus inclinati, attentis expositis, necnon etiam audito dilecto filio ministro generali Ordinis huiusmodi, memoratam provinciam S. Ioannis Baptistae fratrum Discalceatorum nuncupatorum praedicti Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ in regnis Valentiae, Murciae et Granatae consistentem, olim apostolicâ auctoritate erectam et institutam, quae in tantum postmodum (Deo favente) se dilatavit et excrevit, ut trigintasex iam conventus seu domos regulares cum competenti numero fratrum comprehendat, ac proinde impossibile sit per unum tantummodo ministrum provincialem, propter longam distantiam, eam quotannis ad praescriptum constitutionum et statutorum Ordinis praedicti visitari;

Dividit provinciam in duas.

§ 4. Auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, dismembramus, et ex unicâ in duas dividimus, ita scilicet, ut vigintiseptem conventus nunc existentes in provinciâ Valentiae, et si quos exinde in eâdem erigi contingat, usque ad civitatem Murciae exclusive, retento nomine provinciae S. Ioannis Baptistae, sub eâ remanere; ceteri vero ab eâdem civitate Murciae per praefata regna Murciae et Granatae diffusi, et in posterum pariter fundandi, ad[1] provinciam de novo erectam et B. Petri de Alcantara nuncupandam pertinere intelligantur.

Gaudet privilegiis aliarum provinciarum.

§ 5. Quam provinciam B. Petri de Alcantara, de novo, sicut praefertur, erectam et institutam, volumus inter provincias praedicti Ordinis Minorum regularis observantiae auctoritate apostolicâ erectas et approbatas aggregari et annumerari, ac aggregatam et annumeratam esse statuimus et decernimus, omnibusque concessionibus, gratiis, indultis et litteris apostolicis eidem S. Ioannis Baptistae et aliis dicti Ordinis provinciis Discalceatorum concessis, et pro tempore concedendis, frui et gaudere, ac si eidem de novo specialiter concessa essent et eisdem constitutionibus, legibus, statutis et ordinationibus, quibus dicta provincia S. Ioannis Baptistae utitur et gubernatur, similiter perpetuo uti et gubernari debere.

Dat modum eligendi ministrum et definitores.

§ 6. In capitulo autem provinciali, in quo praeses ipsiusmet capituli ad novam electionem praesideat, vel etiam in congregatione more capituli provincialis ad hunc effectum habendâ et celebrandâ tempore et loco ab ipso ministro provinciali provinciae S. Ioannis Baptistae praescriptis, convocatisque per ipsum definitoribus et fratribus cunctisque omnium locorum seu conventuum ipsius provinciae guardianis, ex omnibus eius fratribus, hoc est de toto corpore provinciae, unus illorum in ministrum provincialem pro provinciâ de novo erectâ per eosdem ministrum provincialem et definitores et guardianos per vota secreta ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, et deinde ex corpore congregationis solummodo quatuor definitores et custos, servatis servandis, et prout in huiusmodi capitulis provincialibus moris est, eligantur, quos omnes, scilicet ministrum provincialem, definitores et custodem, postquam electi fuerint, idem minister provincialis S. Ioannis Baptistae, seu praeses capituli, apostolicâ auctoritate confirmet.

Quod maneat sub audientiâ ministri generalis.

§ 7. Decernentes provinciam de novo, ut dicitur, erectam, tamquam veram et legitimam ipsius Ordinis filiam sub obedientiâ, visitatione et correctione ministri generalis illius pro tempore existentis perpetuo remanere, et in capitulo generali sicut ceterae eiusdem Ordinis provinciae locum habere, tractari, amplecti et debitis favoribus prosequi debere; illamque in celebrandis capitulis provincialibus, congregationibus, electionibus et aliis pariformiter ac provincia[1] S. Ioannis Baptistae procedere, et ipsas ambas provincias suis propriis tantummodo, non autem alienis congregationibus et ordinationibus, regi et gubernari perpetuo teneri.

Praefigit tempus fratribus eligendi sibi provinciam.

§ 8. Atque electionibus ministri provincialis, definitorum et custodis supradicti, ut praemittitur, celebratis et confirmatis, dictus minister provincialis S. Ioannis Baptistae terminum sex mensium cunctis ipsius provinciae fratribus praefigat, intra quem ipsi alterutram ex ambabus provinciis, quam maluerint, ad incolendum et inhabitandum eligere possint, quo clapso nulli eorum locum aut provin-

1 Edit. Main. legit *ac* pro *ad* (R. T.).

1 Aptius legeretur *provinciam* (R. T.).

ciam amplius mutare, sine utriusque provincialis consensu in scriptis obtento, ullo modo liceat.

Novae provinciae limites. § 9. Eiusdem autem novae provinciae B. Petri de Alcantara limites et confines esse debere volumus episcopatum Carthaginensem, comitatum in regno Murciae, episcopatum Guadicensem et Baza, episcopatum Almeriensem, archiepiscopatum Granatensem, Adelantatum de Cazorla, abbatiam de Alcala et Pliego, necnon partem episcopatus Ghiennensis, scilicet ab ipsâ civitate Ghiennensi versus Biacensem et Ubetensem, relinquendo aliam partem, scilicet ab ipsâ civitate Ghiennensi usque ad episcopatum Cordubensem: ita tamen, ut nec provincia noviter erecta nec provincia S. Didaci possit fundare conventum in civitate Ghiennensi, neque in eius districtu, sed ipsa civitas communis sit utrique provinciae pro quaestuatione, prout inter partes ita conventum et pactum extitit.

Decretum irritans. § 10. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., ac irritum, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 11. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae S. Ioannis Baptistae, eiusque conventuum huiusmodi, et aliis quibusvis, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLI.

Reintegratio, seu nova erectio conventus S. Laurentii in terrâ Bonitii, vulgariter Poggibonzi, *ad favorem congregationis Ilicetanae Ordinis Eremitarum S. Augustini*[1].

Venerabili fratri episcopo Collensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae catholicae regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam praepositi, ad ea, quae in religionis divinique cultus incrementum, spiritualemque populorum consolationem et animarum salutem cessura esse noscuntur, peculiares vigilantiae nostrae curas libenter convertimus, officiique nostri pastoralia partes propensâ charitate desuper interponimus, prout pia religiosorum antistitum vota postulant, et nos, prudenti consultatione adhibitâ, cognoscimus in Domino salubriter expedire. Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Ambrosius Landuccius episcopus Porphyriensis secretarii nostri apostolici praefectus, qui in minoribus constitutus habitum per fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini gestari solitum suscepit, et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisit regularem, quod, cum conventus S. Laurentii fratrum provinciae Pisanae dicti Ordinis in terrâ Bonitii, *Poggibonzi* vulgariter nuncupatâ, Collensis dioecesis existens, cuius redditus certi et incerti insimul ad summam trecentorum sexaginta scutorum monetae vel circiter ascendebant, ante aliquot annos per sinistram Expositio.

1 Conventus horum fratrum non possunt occupari ab aliis fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis, nisi de consensu prioris generalis. Vide ad Const. LXXXII Inocentii X, tom. XV, pag. 508.

superiorum illius temporis relaxationem, vigore constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri, quae incipit *Instaurandae*, etc., suppressus fuisset, ordinatum fuit, attento quod dicta terra missarum et confessariorum penuriâ laborabat, ut ecclesia eiusdem conventus sic suppressi in parochialem, cum assignatione curae animarum parochiali ecclesiae praepositurae nuncupatae eiusdem terrae, cui copiosa parochianorum multitudo suberat, incumbentis, et in ipsâ novâ parochiali ecclesiâ una cappellania, quam obtinens pro tempore cappellanus missam in eâdem ecclesiâ quotidie celebrare, illiusque parochum in curâ animarum exercendâ coadiuvare obligatus esset, respective erigerentur; et parocho quidem centum, cappellano vero sexaginta scuta ad rationem septem librarum monetae illarum partium pro quolibet scuto respective annuatim ex redditibus dicti conventus suppressi assignarentur, residuum vero reddituum huiusmodi seminario ecclesiastico Collensi applicaretur; quae, quantum quidem ad erectionem novae parochialis ecclesiae et cappellaniae huiusmodi attinet, executioni demandata fuerunt, eisdem parochiali ecclesiâ Francisco Mutii et cappellaniâ a primaevâ erectione vacantibus Ioanni Dominico Scachi presbyteris illarum partium dilectis filiis cum assignatione iamdictâ respective collatis: applicatio vero residui dictorum reddituum praedicto seminario facienda hactenus mansit in suspenso.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quidam conventus sub titulo seu invocatione S. Antonii fratrum Congregationis Ilicetanae dicti Ordinis, cuius fructus, redditus et proventus certi et incerti insimul computari ad quadringenta vel circiter scuta paria annuatim ascendunt, circiter trium milliarium intervallo a praedictâ terrâ distans reperiatur, qui, si supprimeretur, illiusque redditus praedicto conventui S. Laurentii suppresso applicarentur, idem conventus S. Laurentii reintegrari, seu de novo erigi posset, atque ita memoratae terrae, quae populi frequentiâ situsque amoenitate inter alias conspicua existit, decori, illiusque civium et incolarum, qui per suppressionem dicti conventus S. Laurentii ope, operâque illius fratrum destituti notabilia incommoda passi sunt, spirituali consolationi et utilitati peropportune consuleretur, et illis[1], sicut ante suppressionem huiusmodi fiebat, divina officia celebrarentur, sacramenta Ecclesiae frequentarentur, praedicationes verbi Dei ad populum haberentur, necnon processiones aliaeque piae et devotae functiones;

§ 3. Cumque dilecti filii superiores memoratorum Ordinis et congregationis suppressioni dicti conventus S. Antonii, quantum ad eos spectat, consentiant, praedicti vero Franciscus et Ioannes Dominicus suas parochialem ecclesiam et cappellaniam supradictas respective resignare libere parati sint, si eorum indemnitati per infrascriptarum pensionum seu praestationum annuarum assignationem provideatur: nobis propterea praedictus Ambrosius episcopus, necnon dilecti filii universitas et homines dictae terrae Bonitii humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. *Supplicatio.*

§ 4. Nos igitur, pio et religioso eiusdem Ambrosii episcopi desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ipsumque Ambrosium episcopum ac universitatem et homines praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., et absolutas fore censentes, necnon erectionum et institutionum novae parochia- *Dat facultatem episcopo Collensi ut erigat et reintegret conventum S. Laurentii suppressis quibusdam conventibus S. Antonii.*

1 Forsan *illic* pro *illis* legendum (R. T.).

lis ecclesiae et capellaniae huiusmodi ac dicti conventus S. Antonii tenores, et alia quaecumque etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis et specificatis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, praedictum conventum S. Antonii, eiusque titulum, conventualitatem, ac dignitates, ministeria, munera et officia regularia quaecumque, necnon titulos beneficiales et collativos dictae parochialis ecclesiae S. Laurentii et cappellaniae, sicut praemittitur, erectarum (factâ tamen prius per memoratos Franciscum et Ioannem Dominicum respective ipsarum parochialis ecclesiae et cappellaniae in manibus tuis liberâ et spontaneâ cessione et resignatione), auctoritate nostrâ apostolicâ perpetuo supprimas et extinguas, ac in supradictâ terrâ Bonitii praedictum conventum S. Laurentii, sicut praemittitur, suppressum, ad statum conventus restituas et reintegres, seu de novo in conventum fratrum dictae congregationis Ilicetanae Ordinis praedicti, in quo de praesenti quidem octo fratres, nempe quinque presbyteri, unus clericus professus et duo laici seu conversi, post mortem vero dictorum Francisci et Ioannis Dominici duodecim, videlicet octo presbyteri, duo clerici professi et duo laici seu conversi fratres congregationis et Ordinis huiusmodi degere et commorari debeant, eâ lege ut iidem fratres, donec ad numerum duodenarium pervenerint, tuae et pro tempore existentis Ordinarii Collensis iurisdictioni subiaceant, ipsique fratres divina officia celebrent, aliaque spiritualia exercitia iuxta eorum institutum obeant et peragant in ecclesiâ eiusdem conventus S. Laurentii, quae, licet titulus parochialis in eâ suppressus et extinctus sit, nihilominus curata remaneat, et in eâ curae animarum exercitium continuetur, ipsaque cura animarum ab aliquo fratre dicti Ordinis per definitorium praedictae congregationis Ilicetanae tempore illius capituli vel dietae intermediae, extra capitulum vero seu dietam huiusmodi per vicarium generalem eiusque[1] congregationis pro tempore existentem ad hunc effectum eligendo seu deputando, ac, antequam administrationem curae animarum huiusmodi gerat, ad illam a te seu pro tempore existente Ordinario Collensi approbando, exerceri debeat, dictâ auctoritate itidem perpetuo erigas et instituas.

Pro sustentatione conventus S. Laurentii varios proventus assignat.

§ 5. Praeterea eidem conventui S. Laurentii sic reintegrato seu de novo erecto, pro illius dote, ac prioris et fratrum in eo pro tempore degentium sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, omnia et singula praedictis parocho et cappellano assignata ac supradicto seminario applicari ordinata, ut praefertur, et alia quaecumque bona mobilia et immobilia, proprietates, census, redditus, proventus, obventiones, emolumenta, actiones et iura, aliave quaelibet, tam ad ipsum conventum S. Laurentii, illiusque ecclesiam, quam ad supradictum conventum S. Antonii a te supprimendum et extinguendum quomodocumque et qualitercumque respective spectantia et pertinentia, ubicumque locorum existentia, ac illis in futurum quandocumque tam in ultimâ voluntate quam inter vivos et aliàs quomodolibet elargienda, eroganda, donanda et assignanda, ex nunc prout ex tunc postquam elargita, erogata, donata et assignata fuerint, itaut liceat eisdem priori et fratribus illorum omnium et singulorum corporalem, realem et actualem possessionem et quasi possessionem,

[1] Videtur legendum *eiusdem* (R. T.).

per se, vel alium, seu alios suo et dicti conventus S. Laurentii nominibus, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensa perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus et emolumenta ex illis provenientia quaecumque ac eleemosynas ipsis eorumque conventui huiusmodi pro tempore factas recipere, percipere, exigere, levare, locare, arrendare, recuperare, ac in suos communes usus, necessitates et utilitatem, onerumque huiusmodi adimplementum convertere et erogare, dioecesani loci seu cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, auctoritate praedictâ pariter perpetuo applices, assignes et appropries, dictumque conventum S. Antonii, postquam sic, ut praefertur, suppressus et extinctus fuerit, membrum et grangiam eiusdem conventus S. Laurentii, priorem el fratres missas et anniversaria ad quae fratres dicti conventus S. Antonii ex legatis piis aut aliâs quomodolibet tenebantur in ecclesiâ ipsius conventus S. Antonii (ita factâ missarum huiusmodi distributione, ut saltem singulis diebus dominicis et festis de praecepto una missa inibi celebretur per fratres eiusdem conventus S. Laurentii pro tempore existentes, qui tamen hac occasione extra conventum huiusmodi non pernoctent, vel aliquem presbyterum secularem, eorum arbitrio, quoties ipsis placuerit, deputandum) celebrari et adimpleri facere perpetuo teneri et obligatos fore, dictâ auctoritate decernas et declares.

Fratres S. Laurentii privilegiis indulgentiis, immunitatibus, etc. gaudere permittit.

§ 6. Ad haec eidem conventui S. Laurentii sic reintegrato, seu de novo erecto, illiusque ecclesiae ac priori et fratribus pro tempore existentibus, necnon quibusvis christifidelibus eamdem ecclesiam pro tempore visitantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis et indulgentiis, etiam illis, quibus ante ipsius conventus suppressionem, mediante confraternitate Cinctorum sive *de centurati* vulgariter vocatâ in ecclesiâ huiusmodi erectâ gaudebant, aliisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii conventus congregationis et Ordinis praedictorum, illorumque priores et fratres de iure, usu, consuetudine, et aliâs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quovis modo in futurum, non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter et pariformiter, ac absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eâdem auctoritate concedas et indulgeas.

Pensiones concedit memoratis Francisco et Dominico.

§ 7. Ac demum memoratis Francisco quidem unam octuagintaquatuor, Ioanni Dominico vero alteram pensiones seu praestationes annuas triginta scutorum monetae dictarum partium super omnibus et singulis bonis, redditibus et proventibus dicti conventus S. Laurentii per eos quoad vixerint percipiendas, exigendas, levandas, ac in eorum usus et utilitatem convertendas, eisque per priorem et fratres ipsius conventus S. Laurentii pro tempore existentes annis singulis pro unâ in Nativitatis et pro alterâ medietatibus pensionum seu praestationum annuarum huiusmodi in Annunciationis B. M. V. festivitatibus respective persolvendas; itaut pro dictis pensionibus annuis sic eisdem Francisco et Ioanni Dominico respective solvendis omnia et singula bona dicti conventus S. Laurentii specialiter obligata et hypothecata sint, auctoritate praedictâ reserves, constituas et assignes; nos enim quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa facultatem tibi harum serie eâdem auctoritate tribuimus et impartimur.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta ac inde legitime

secutura quaecumque nullo unquam tempore sub quibusvis similium vel dissimilium restitutionum, reintegrationum, erectionum, suppressionum et extinctionum, applicationum, assignationum et appropriationum, etiam effectum nondum sortitarum, ac indultorum aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus vel aliis contrariis dispositionibus etiam per quascumque litteras et constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per nos et quoscumque successores nostros Romanos Pontifices, etiam in crastinum cuiuslibet eorum assumptionis ad summi apostolatus apicem ac Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter et aliàs quomodolibet pro tempore factis et concessis comprehendi, aut comprehensas et comprehensa censeri, sed semper ab illis exceptas et excepta, ac quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, necnon restituta, reposita et reintegrata, ac etiam de novo sub quacumque posteriore datâ per priorem et fratres dicti conventus S. Laurentii pro tempore existentes eligendâ concessas et concessa, firmaque, valida et efficacia existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri,

§ 9. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 10. Non obstantibus praemissis, ac de non concedendis indulgentiis ad instar, et, quatenus opus sit, de perpetuis suppressionibus, unionibus et applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, necnon de praestando consensu in pensionibus, seu illarum reservatione, aliisque nostris et cancellariae praedictae regulis, tam hactenus editis quam in posterum quandocumque edendis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure expressis fieri prohibendis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac praedictorum Ordinis congregationis, conventuum, ecclesiarum et seminarii, aliisve quibusvis, etc., eisdem Ordini, congregationi, conventibus, ecclesiis et seminario, illorumque superioribus, administratoribus, fratribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, etc., etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et pluries innovatis;

§ 11. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, etc., mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, etc., ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

rem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLII.

Indulget ut clerici Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Galliâ ab anno MDCXLVII *citra admissi, vota simplicia emittere possint, non renovato probationis anno, atque omnes supradicti sive iam admissi, sive in futurum admittendi in dictâ Congregatione, qui post emissa vota ex licentiâ praepositi generalis vel provincialis mittentur ad sacros ordines suscipiendos, ordinari possint a quocumque catholico antistite cum dimissoriis illius episcopi, in cuius dioecesi existunt collegia seu domus, in quibus degunt de familiâ qui ad sacros ordines promoveri desiderant* [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Aliàs emanarunt a nobis litterae in simili formâ brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabile divinae bonitatis abundantiam, etc. *(prout supra pag. 445).*

Supplicatio. § 1. Cum autem, sicut praedictus Franciscus Avias nobis nuper exponi fecit, illi, qui in dictam Coogregationem clericorum secularium Doctrioae Christianae in Gallia ab anno MDCXLVII usque in praesentem diem admissi fuerunt, annum probationis expleverint, eoque expleto, missi fuerint ad diversa collegia et domos eiusdem Congregationis, io quibus tum in scholis faciendis, tum in aliis exercitiis, quibus dicta Congregatio ex instituto suo incumbit, occupantur, nec inde ad novam probationem faciendam, nisi difficulter et cum gravi damno ipsius Congregationis revocari possint: nobis propterea dictus Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis ecommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, perspectâ narratorum veritate, ut omnes qui a praedicto anno MDCXLVII usque in praesentem diem in dictam Congregationem fuerunt admissi, in eâque per annum integrum in probatione steteruot, postquam per alios duos menses in eâdem probatione permanserint in collegiis vel domibus, in quibus ad praesens commorantur, si alioquin habiles inventi fuerint, ad tria vota simplicia, necnon votum seu iuramentum perseverandi perpetuo in eâdem Congregationem admitti libere et licite valeant ad praescriptum praeinsertarum nostrarum litterarum; atque ut omnes clerici sive iam admissi sive in futurum admittendi in dictam Congregatiooem, qui post vota, ut praefertur, emissa ex licentiâ praepositi generalis vel provincialis mittentur ad sacros ordines suscipiendos, ordinari possint a quocumque catholico antistite, cum dimissoriis illius episcopi in cuius dioecesi existunt collegia seu domus in quibus degunt de familiâ iidem clerici qui ad sacros ordioes promoveri desiderant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus. Indulget praeposito generali, ut clerici Doctrinae Christianae ordinentur a quolibet antistite.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari. Decretum irritans.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Avenionensi et Narbonensi archiepiscopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel eorum alter easdem praesentes ac praeinsertas litteras nostras, etc., et quoties pro parte clericorum secularium dictae Congregationis, seu alicuius eorum, aliorumve ad quos spectat et pro tempore spectabit, fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos ipsarum praesentium et praeinsertarum litterarum effectu respective pacifice frui et gaudere; non permittentes illos a quoquam desuper indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias et censuras, etc.; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc., aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etc., ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 11 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLIII.

Confirmatio statuti Congregationis Missionis in Gallia, quo cavetur, quod omnes et singuli in ipsâ Congregatione quatuor votis simplicibus, nempe castitatis, paupertatis et obedientiae, ac stabilitatis emissis, recepti, qui bona immobilia vel beneficia simplicia possident, aut in futurum possidebunt, licet dominium illorum retineant, eorumdem tamen usum liberum non habebunt, sed de fructibus cum facultate et arbitratu superioris in pia opera disponere tenebuntur[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos supplicationibus dilecti filii Vicentii de Paul, superioris generalis Congregationis Missionis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eamdem Congregationem sub certis modo et formâ tunc expressis confirmavimus et approbavimus, cum emissione votorum simplicium castitatis, paupertatis et obedientiae, necnon stabilitatis in dictâ Congregatione ad effectum se toto vitae tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi post biennium probationis faciendâ, in quorum tamen votorum emissione nemo interesset, qui ea acceptaret, sive nomine Congregationis, sive nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis nomine, et vota sic ut supra emissa dissolvere posset solus Romanus Pontifex, necnon et superior generalis dictae Congregationis in actu dimissionis e Congregatione, itaut eadem Congregatio non censeretur propterea in numero Ordinum religiosorum, sed esset de corpore cleri secularis, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris die XXII septembris MDCLV desuper expeditis, quorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Motiva.

Statutum collatum a Vincentio de Paul.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Vincentius nobis nuper exponi fecit, circa observantiam dicti voti simplicis paupertatis in Congregatione praefatâ multae oriri possent difficultates, quae ipsam Congregationem turbarent, nisi opportune super hoc a nobis provideatur; et propterea

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

idem Vincentius apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret statutum fundamentale memoratae Congregationis circa paupertatem editum tenoris qui sequitur: « Omnes et singuli in nostrâ Congregatione dictis quatuor votis emissis recepti, qui bona immobilia vel beneficia simplicia possideant[1], aut in futurum possidebunt, licet dominium illorum omnium retineant, eorumdem tamen usum liberum non habent[2], itaut neque fructus ex huiusmodi bonis vel beneficiis provenientes retinere, neque in proprios usus, sine licentiâ superioris, quicquam convertere possint, sed de iisdem fructibus cum facultate et arbitratu dicti superioris in pia opera disponere tenebuntur. Si autem parentes aut propinquos indigentes habuerint, superior curabit, ut suorum necessitatibus ante omnia de huiusmodi fructibus in Domino subveniant »:

Statutum praeinsertum confirmat Summus Pontifex.

§ 3. Nos, ipsum Vincentium superiorem generalem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri concilii interpretum consilio, statutum[3] praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., existere et fore, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

1 Legerem *possident* (R. T.).
2 Vel potius *habeant* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *statum* (R. V.).

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus et singulis illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu, etc., sigillo superioris generalis Congregationis praefatae, etc., eadem prorsus ubique locorum fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 augusti 1659, pontif. an. v.

CCLIV.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo eadem congregatio iniungit commissario generali curiae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ, ut aliud decretum dictae congregationis omnino exequi mandet super negotio praetensae erectionis custodiae Recollectorum Lotharingiae, et perpetuum silentium imponendum; eius autem conventus et domos sub obedientiâ et gubernio provinciae Franciae Parisiensis omnino redigendi et subiiciendi[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Leo Lefebure, minister provincialis, et fratres provinciae Franciae Parisiensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod aliâs (pro eorum parte venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quòd, licet iidem cardinales per eorum decretum die IX novembris MDCLVII emanatum, auditâ relatione procuratoris generalis dicti Or-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dinis, eâque attentâ, mandassent dilectum pariter filium Bonaventuram Hocquard, praedicti Ordinis fratrem, super illis, quae ipsis cardinalibus exposita fuerant, de cetero non audiri, et, quoniam ipse otiose et absque ullâ subiectione in curiâ morabatur, eidem procuratori generali commisissent, quatenus illi iniungeret ut quamprimum ad suam provinciam rediret, et interim de conventu non exiret absque licentiâ praefati procuratoris, et socio ab eodem assignando, quibuscumque non obstantibus, dictus Bonaventura nihilominus non solum eidem decreto non obtemperaverit, sed etiam ad capitulum generale dicti Ordinis ire ausus fuerit, suffragiumque tacito praefato decreto quasi custos dederit, imo, contra idem decretum, quo a curiâ Romanâ eiectus fuerat et remissus ad suam provinciam, non redierit ad eamdem provinciam, sed Romam venerit; ideoque per eosdem exponentes praedictis cardinalibus supplicato, ut praedictum decretum exequi mandarent, silentium[1] perpetuum praetensae erectioni custodiae S. Nicolai Recollectorum nuncupatorum in Lotharingia imponendo, necnon eius conventus, domos, seu hospitia obedientiae et gubernio ministri provincialis dictae provinciae Franciae Parisiensis reformatae subiiciendo) emanavit a congregatione memoratorum cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum emanatum a congregatione cardinalium.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et auditâ relatione commissarii generalis curiae Ordinis huiusmodi, committendum et iniungendum censuit, prout harum serie committit et iniungit eidem commissario ac omnibus aliis dicti Ordinis superioribus regularibus ad quos spectat vel spectare poterit, ut praeinsertum decretum omnino exequi et effectum sortiri mandent et praecipiant, super negotio praetensae erectionis dictae custodiae Recollectorum nuncupatorum Lotharingiae fratrem Bonaventuram Hocquard de cetero non audiendo, imo eidem negotio perpetuum silentium imponendo, eius autem conventus et domus sub obedientiâ et gubernio provinciae Franciae Parisiensis omnimodo redigendo et subiiciendo, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, II maii MDCLIX.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum praeinsertum confirmat et approbat Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat dicti exponentes decretum praeinsertum apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLV.

Indultum ut Complutensis academia recitare possit officium S. Thomae de

[1] Edit. Main. legit *silentiumque* (R. T.).

Villanova sub ritu duplici secundae classis cum octavâ.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra rituum congregatio, rectoris collegialium maiorum collegii S. Idelphonsi ac aliorum universitatis studii generalis oppidi Complutensis Toletanae dioecesis in S. Thomam de Villanova archiepiscopum Valentinum piis votis benigne inclinata, quod ibidem adipiscendis facultatibus, iisdemque mox gradu decoratus interpretandis ac edisserendis Sanctus idem operam navasset, eiusque costa cum parte carnis, ut asseritur, asservetur (quibus causis permotus sanctae memoriae Innocentius X eidem universitati indulsit, ut inibi posset de eodem Sancto tunc beatitatis tantum titulo insignito officium recitari ac missa pariter celebrari) ut posthac universitatis ac collegiorum eorumdem incolae, tam seculares quam regulares, tanti coalumni memoriam, quo solemnius celebrant, eo impensius imitentur, quotannis de eodem nuper inter Sanctos relato eis officium duplex secundae classis cum octavâ, reliquo autem oppidi eiusdem clero duplex maius sine octavâ recitandi facultatem tribuendam censuit. Die XIX iulii MDCLIX. Factâ autem de praedictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua annuit. Die XX eiusdem mensis, eodemque anno MDCLIX.

Facultatem recitandi officium sub ritu duplici secundae classis cum octava Summus Pontifex Complutensi academiae concedit.

I. episc. Sabinensis card. SACCHETTUS.

Decretum praeinsertum approbat et confirmat.

§ 1. Cum autem, sicut dilecti filii rector et collegiales et alii praedicti universitatis studii generalis Complutensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

§ 2. Decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLVI.

Praecipitur omnibus de universitate Complutensi observari statutum LXIV *de obedientiâ rectori praestandâ.*

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset statutum olim emanatum universitatis Complutensis.

Aliàs pro parte dilectorum filiorum rectoris et aliorum universitatis studii generalis oppidi Complutensis Toletanae dioecesis congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito, quod, inter alia eiusdem universitatis Sedi Apostolicae immediate subiectae statuta, dudum a bonae memoriae Francisco dum vixit eiusdem S. R. E. cardinali Ximenez nuncupato auctoritate felicis recordationis Alexandri Papae VI praedecessoris nostri

condita, unum extaret sub cap. LXIV, incipiens: *Statuimus et ordinamus*, etc., in quo disponitur, teneri lectores, doctores et scholares iuramentum obedientiae deferre rectori ipsius universitatis, quod quidem iuramentum praestandum est antequam praedicti de universitate describantur in matriculâ, aliàs privilegiis et exemptionibus non gaudeant; et in eâdem expositione subiuncto, quod saepius nonnulli, qui praedictis privilegiis uti praetendunt, nihilominus se in matriculâ describi non faciant, ne cogantur praestare iuramentum obedientiae; ideoque supplicato, ut caput hoc statutorum confirmaretur, et non observantes privilegiis praedictis minime gaudere declararetur:

Emanavit a praedictâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Die XV maii MDCLVIII sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, statutum academiae Complutensis in praecitato capitulo LXIV de obedientiâ rectori praestandâ ab omnibus, etc., confirmatum a Sede Apostolicâ, esse observandum.

F. cardinalis PAULUTIUS, praefectus.

Statutum apostolica auctoritate confirmat. § 2. Cum autem, sicut praedicti exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLVII.

Declarantur poenae quas incurrunt non observantes statutum LXIV *academiae Complutensis de obedientiâ rectori praestandâ.*

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliàs pro parte dilectorum filiorum rectoris et aliorum universitatis studii generalis oppidi Complutensis Toletanae dioecesis congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito, quod inter alia eiusdem universitatis Sedi Apostolicae immediate subiectae statuta adesset LXIV tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor statuti ab universitate Complutensi emanati. § 1. « Statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli regentes, cathedratici et alii quicumque lectores, doctores, magistri, licentiati, baccalaurei et scholares universi huius academiae et universitatis, cuiuscumque qualitatis, gradus, ordinis, conditionis aut praeeminentiae existant, in omnibus et singulis regimini et gubernio rectoris nostri collegii pro tempore eligendi perpetuo subiaceant, teneanturque omnibus et singulis mandatis ipsius licitis et honestis ac constitutionibus nostris non contrariis obedire; et ad vocationem rectoris praefati toties quoties ab

co vel eius mandato vocati fuerint, convenire; statuta et constitutiones nostras in omnibus et per omnia inviolabiliter observare, honorem, utilitatem et dignitatem ipsius collegii semper et ubicumque fuerint procurare; exemptionem et libertatem eiusdem tueri; quae omnia et singula antequam scribantur in matriculâ universitatis infra sex dies a die electionis rectoris moderni computandos, si praesentes fuerint, vel infra alios sex dies postquam ad universitatem venerint, teneantur sic iurare; qui autem tale iuramentum non praestiterint, nullatenus gaudeant privilegiis et praerogativis ipsius universitatis, nec scribantur in matriculâ, in qua scribi debeant[1] nomina et cognomina omnium et singularum personarum in eâdem universitate residentium, neque computentur aut admittantur alicui cursus, quos peregerit antequam praedictum iuramentum praestiterit, etc. »:

Poenae statuuntur contra inobedientes.

Sequuntur poenae.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto, quod, cum ex statuto huiusmodi iuramentum de exhibendâ obedientiâ praedictâ praestandum sit, qui vero illud non praestiterit, privilegiis et praerogativis ipsius universitatis nullatenus gaudere debeat, dubitaretur an inter privilegia et praerogativas huiusmodi comprehenderentur stipendia debita ex gradibus conferendis et actibus universitatis cathedrisque moderandis, etc., et an similiter vox activa et passiva ad munia et officia academiae obeunda inter praerogativas et privilegia praedicta computarentur; ideoque petitâ a praedictis cardinalibus dubiorum huiusmodi declaratione, ut omnes in contrarium abusus de medio penitus tollerentur; emanavit ab eorumdem cardinalium congregatione decretum tenoris sequentis, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

§ 3. « Die XXVI iulii MDCLIX sacra congregatio eminentissimorum dominorum cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum censuit propinas et vocem activam et passivam comprehendi inter praerogativas et privilegia, de quibus in antedicto capitulo LXIV statutorum fit mentio ».

F. cardinalis PAULUTIUS, praefectus.

§ 5. Cum autem, sicut praedicti exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae praesidio roborari summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum praeinsertum auctoritate apostolica confirmat et approbat.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque per quoscumque iudices ordinarios, etc., irritum et inane, etc., contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV augusti MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 augusti 1659, pontif. anno V.

CCLVIII.

Declarationes super controversiis inter procuratorem generalem Ordinis Minorum strictioris observantiae sancti Francisci ac provincialem provinciae Romanae et guardianum S. Francisci Transtyberim de Urbe[1].

1 Videtur legendum *debent* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Illius, qui charitas est et[1] Deus pacis, vices (licet immeriti) gerentes in terris, ad illa propensis studiis intendimus, per quae dissidia inter religiosos viros in humilitatis spiritu et sub arctioris vitae iugo Altissimi obsequiis mancipatos[2] enata sopiantur, ut ipsi, sub laudabili institutorum suorum observantià quiete viventes, gratum divino numini praestent famulatum.

Motiva. § 1. Cum itaque inter dilectos filios procuratorem generalem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci strictioris observantiae nuncupatorum ex unà ac ministrum provincialem et definitores provinciae Romanae necnon guardianum conventus S. Francisci Transtyberim de Urbe ex alterà partibus exortae sint controversiae: nos, eas dirimere intendentes, ut discordiarum semina tollantur, et pax inter religiosos conservetur, de voto nonnullorum dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, quibus negotium examinandum ac nobis referendum commisimus, procuratorem generalem praedictum, nunc et pro tempore existentem, praeter secretarium prope[3] habere duos socios eiusdem Ordinis professos ad suum beneplacitum deligendos, unum scilicet sacerdotem, qui ei deserviat pro scribà, et alterum conversum, qui personae ipsius procuratoris curam gerat; ac eosdem socios teneri recognoscere dictum procuratorem generalem in eorum immediatum superiorem, non autem ministrum provincialem vel guardianum antedictos; ad haec spectare ad eumdem procuratorem generalem retinere vel dimittere fratres forenses, qui ad negotia peragenda Romam veniunt, eisque obedientiam dare quando ob tarditatem vel dilationem negotiorum suorum, aliàve de causà, ad tempus in aliquo conventu provinciae Romanae commorari debent: ministrum vero provincialem debere huiusmodi conventum suo arbitrio assignare et illius guardiano iniungere ut eos recipiat: praeterea huiusmodi forenses infra triduum sui ingressus in Urbem subesse in omnibus eidem procuratori generali dumtaxat; elapso autem triduo, subiectos esse curae guardiani dicti conventus S. Francisci in his quae morum correctionem et regularem disciplinam concernunt: postremo fratres forenses huiusmodi, si quidem pro eorum propriis negotiis e dicto conventu S. Francisci exire voluerint, utique teneri licentiam ac benedictionem obtinere tam a procuratore generali quam a guardiano, ad praescriptum decreti capituli generalis Toleti ultimo celebrati; verum, si procurator generalis uti voluerit operà ipsorum forensium pro negotiis ad officium suum spectantibus, eosque secum ducere, tunc non teneri dictam licentiam aut benedictionem petere a guardiano, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, declaramus.

Quid faciendum sit statuit.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., definiri debere, ac irritum et inane si secus, etc., contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae et conventus huiusmodi, aliisve, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 septembris 1659, pontif. anno V.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *mancipatis* (R. T.).
3 Videtur legendum *posse* pro *prope* (R. T.).

CCLIX.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium quo super controversiâ inter secretarium generalem ex unâ et secretarium provinciae Romanae Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ ex alterâ vertente declaratur ius praecedentiae competere secretariis generalibus curiae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Aliâs pro parte dilectorum filiorum secretariorum generalium curiae Romanae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, necnon secretarii provinciae Romanae eiusdem Ordinis, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et règularium praepositae exposito, quod inter praedictos secretarios generales ex unâ et secretarium provinciae huiusmodi ex alterâ partibus exorta fuisset controversia super praecedentiâ, ad quem scilicet seu quos illorum pertinere deberet, eidemque congregationi supplicato, ut controversiam huiusmodi dirimeret: emanavit ab ipsâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra congregatio declarat ius praecedentiae competere secretariis generalibus curiae.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac partibus, tam verbo quam scripto, in facto et in iure informantibus, auditis, eminentissimo Astallio referente, re diligenter ac mature discussâ, censuit, declaravit et decrevit huiusmodi ius praecedentiae competere secretariis generalibus curiae; in contrarium allatis et deductis pro parte secretarii provinciae Romanae non obstantibus quibuscumque. Romae XI iulii MDCLIX.

M. cardinalis GINETTUS ».

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Quod confirmat Summus Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Ferdinandus de Ariona, frater expresse professus ac secretarius generalis familiae ultramontanae Ordinis praefati in curiâ memoratâ, nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, eumdem Ferdinandum specialibus favoribus et gratiis, etc., et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 12 septembris 1659, pontif. anno v.

CCLX.

Ut episcopus Patavinus, et alii commendatarii monasteriorum Congregationis Camaldulensis Ordinis sancti Benedicti monastico regimini se non ingerant, etc.[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis commissum exposcit, ut religiosorum virorum sub suavi regularis vitae iugo Altissimi obsequiis mancipatorum paternam curam gerentes, illos a gravaminibus indebitis tueamur, ac eorum commodis et felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulamus[1]:

Motiva. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Ferraccius, abbas generalis Congregationis Camaldulensis Ordinis sancti Benedicti, nobis nuper exponi fecit, licet sacri Concilii Tridentini decretis cautum reperitur, ut priores claustrales, aut in prioratibus conventuum habentibus subpriores qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus vel ipsorum Ordinum visitatoribus instituantur, nonnulli nihilominus commendatarii quaedam monasteria Congregationis praefatae in commendam obtinentes, et signanter venerabilis frater Gregorius Cornelius episcopus Patavinus, qui monasterium abbatiam nuncupatum S. Mariae de Vangadicia eiusdem Congregationis in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ, ut asseritur, obtinet, forsan in vim litterarum apostolicarum super eorumdem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus ipsorum monasteriorum cura, regimen et administratio tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committitur, ius instituendi ac destituendi priores et officiales claustrales, necnon visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi et exercendi ea quae institutum regulare concernunt, ad se spectare, electionibus et depositionibus priorum et subpriorum, aliorumque officialium, ac etiam visitationibus et monachorum correctionibus sese ingerere, quinimo superiores dictae Congregationis, monasteria praedicta visitare et reformare iuxta eiusdem Congregationis regularia instituta cupientes, repellere et impedire praetendant et praesumant, non sine gravissimo ipsius Congregationis eiusque monasteriorum praeiudicio et observantiae regularis detrimento: hinc est quod nos, inconvenientibus huiusmodi remedium adferre, dictumque Petrum abbatem generalem specialibus favoribus et gratiis, etc., et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon Concilii praedicti decretis ac resolutionibus congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae in similibus casibus antehac emanatis inhaerentes, dicto Georgio episcopo et aliis commendatariis praefatis non licere priores, subpriores, aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates ipsis commendatariis in litteris apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea quae institutum regulare concernunt, et eiusdem Concilii dispositione monastico regimini relinquuntur, trahi posse aut debere, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus et decernimus ac statuimus. Decretum.

§ 2. Quocirca dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nunciis, sive etiam locorum Ordinariis, vel dictae Congregationis Camaldulensis conservatoribus, per easdem praesentes iniungimus, ut, quotiescumque requisiti fuerint, ab huiusmodi vexationibus, ac violentiis manifestis commendatarios per censuras et alia iuris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, cohibeant et com- Exequutores deputat.

1 Edit. Main. legit *consolamus* (R. T.).

pescant; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc., aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, quatenus opus sit, Congregationi et Ordinationi huiusmodi, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etc., eadem prorsus ubique locorum fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX septembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 septembris 1659, pontif. anno V.

CCLXI.

Ordinationes super admissione clericorum secularium Doctrinae Chistianae in Gallia ad vota simplicia eorumque ad ordines sacros promotione[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium[2] humilitati nostrae per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam impositum postulat, ut Congregationum virorum in Ecclesiâ Dei pie prudenterque institutarum, uberesque bonorum operum fructus assidue producentium, statui et utilitati opportunis rationibus consulere studeamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias, presbyter ac procurator Congregationis clericorum secularium Doctrinae Christianae in Gallia, quod eadem Congregatio anno MDCXLVII a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras a Congregatione clericorum regularium de Somascha nuncupatâ[1] separata fuit, et pro futuris inde temporibus secularis remansit, atque ita ut[2] usque in hodiernum diem perseveravit. Sed ex eo statu plurima passa est et patitur incommoda. Nam, licet plurimi a praedicto anno MDCXLVII citra[3] postulaverint, et adhuc hodie postulant[4], in eamdem Congregationem Doctrinae Christianae admitti, allecti vitâ exemplari illius personarum et assiduis pietatis officiis in instituto docendi doctrinam christianam tam in missionibus quam in civitatibus, quibus indesinenter incumbit cum plurimo animarum fructu ut publica fama est, et praeter[5] quamplurimis attestationibus authenticis tam episcoporum quam civitatum in quibus ipsa Congregatio humaniores sacrasque litteras in academiis publicis docet; saepe tamen accidit, ut non pauci, nullis ligati vinculis perpetuis, postquam Congregatio huiusmodi plurimum temporis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Eadem fere est huiusmodi Constitutio ac duae simul iunctae quae iam praecesserunt supra pag. 445 et pag. 437 (R. T.).

1 Male ed. Main. habet *nuncupatae* (R. T.).

2 Particula *ut* redundat (R. T.).

3 Male in loc. parallel. pag. 445 *b* lectum fuit *circa* pro *citra* (R. T.).

4 Aptius in loc. parall. legitur *postulent* (A. T.).

5 In loc. parall. legitur *pariter ex* pro *praeter* (R. T.).

iuramentum ut supra praestitum, de licentiâ praepositi generalis vel provincialis, ad omnes sacros et presbyteratus ordines, servatis servandis, promoveri valeant ad titulum praefatae Congregationis, et ordinari a quocumque catholico antistite ad omnes ordines, cum solis dimissoriis illius episcopi, in cuius dioecesi existunt collegia seu domus in quibus degunt de familiâ iidem clerici qui ad ordines promoveri desiderant, contrariis quibuscumque non obstantibus; ita tamen ut capitulum generale vel definitorium minime dispenset seu relaxet huiusmodi votum seu iuramentum alicui ex promotis ad sacros ordines, nisi sibi prius constiterit etiam ex litteris testimonialibus Ordinarii loci eum aliunde habere unde commode sustentari possit. Quod si aliquis, huiusmodi votis et iuramento ut praefertur emissis, sine dispensatione et relaxatione praeviâ recesserit a dictâ Congregatione, eo ipso remaneat suspensus donec huiusmodi dispensationem et relaxationem obtinuerit.

Deinde indulget ut iam probati non renovent annum probationis. § 4. Praeterea, ut omnes, qui a praedicto anno MDCXLVII usque in praesentem diem in dictam Congregationem fuerunt admissi, in eâque per annum integrum in probatione steterunt, postquam per alios duos menses in eâdem probatione manserint in collegiis vel domibus, in quibus ad praesens commorantur, si alioquin habiles inventi fuerint, ad tria vota simplicia necnon ad votum perseverandi perpetuo in eâdem Congregatione, ut praefertur, admitti libere ac licite valeant, auctoritate et tenore praedictis pariter indulgemus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definire debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Exequutores deputat. § 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Avenionensi vel Narbonensi aut dilectis filiis eorum officialibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel eorum unus easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte clericorum secularium dictae Congregationis seu alicuius eorum, aliorumve ad quos spectat et pro tempore spectabit, fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos ipsarum praesentium litterarum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos a quoquam desuper indebite molestari, perturbari vel inquietari, contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, censuris et poenis ecclesiasticis, aliisque iuris et facti remediis, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularii.

§ 7. Non obstantibus praemissis, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generali de duabus dietis, etc., dummodo ultra tres dietas aliquis praesentium vigore in iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, etc., constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Congregationis eiusque domorum et collegiorum huiusmodi, et aliis quibusvis, etc., concessis, confirmatis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus Transumptorum fides.

ubique locorum fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 septembris 1659, pontif. anno V.

CCLXII.

Reformatio collegii cursorum apostolicorum.

Alexander Papa VII.
Motu proprio, etc.

Quid factum sit a Paulo V pro huiusmodi collegio.

Aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, ut collegium cursorum a maximis interusuriis, quibus fere singuli premebantur pro alienis pecuniis quas pro emptione eorumdem officiorum perceperant, liberaret, vigintiquinque officia militiae Piae vendibilia et resignabilia ad instar aliorum officiorum militum Piorum sub certis tunc expressis conditionibus erexit et instituit, et pretium, quod ex venditione et integrâ expeditione dictorum singulorum vigintiquinque officiorum tunc erectorum in primâ vice retraheretur, penes personam fide et facultatibus idoneam per eosdem cursores eligendam, seu in sacro Monte Pietatis aut banco archihospitalis S. Spiritus, ad electionem eorumdem cursorum, deponi mandavit, aequaliter inter ipsos cursores dividendum, ad effectum tamen satisfaciendi eorum creditoribus, qui pecunias pro officiis cursoratus emendis contribuerant.

Officia instituit militiae Piae vendibilia.

Indemnitati prospicit emptorum.

§ 1. Indemnitati vero eorum, qui dicta officia militum Piorum sic emerant, et securitati prospicere volens, mandavit ut singulis mensibus, ex certis ibidem eorumdem cursorum massae assignatis redditibus ab eisdem cursoribus ex cursoratus officii emolumentis persolvendis, de quorum solutione eorum magistro pro tempore existenti sub poenâ excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae rationem reddere deberent et tenerentur, scuta centum tredecim et bononenos septuaginta quinque eisdem militibus, sive eorum depositario, sequaliter inter ipsos dividenda persolverentur, gravissimis impositis poenis, tam fraudantibus dictam massam, quam deficientibus in praedictâ solutione dictis officialibus militum Piorum, sicuti ex eisdem massae redditibus solvi mandavit fructus locorum montium Pacis tunc dictorum, necnon alia onera eidem collegio incumbentia, quibus integre solutis, quicquid ex dictâ massâ supererat, aequaliter inter eosdem cursores dividi voluit; quibus etiam expresse inhibuit ne de cetero perpetuis futuris temporibus (sub solutione[1] ducentorum scutorum et suspensionis ab exercitio cursoratus officii per annum integrum pro primâ, et solutione[2] trecentorum scutorum huiusmodi ac suspensione[3] eiusdem officii per duos annos pro secundâ, necnon solutionis scutorum quingentorum similium, pro unâ camerae apostolicae vel alicui loco pio, arbitrio eiusdem praedecessoris, et alterâ medietatibus eidem collegio cursorum irremissibiliter applicandorum, et perpetuae privationis exercitii officii cursoratus ac excommunicationis maioris latae sententiae pro tertiâ vicibus huiusmodi per quemlibet ex ipsis contravenientem incurrendis poenis) aliquem appaltum citationum cum quibusvis personis facere, vel inire, nec per interpositam personam, etiam quovis praetextu vel ingenio, quaesito colore, vel causâ et occasione, aliquos libros, inscriptiones, notulas et, ut vulgo dicitur, *ricordi*, tam parvos, quam minimos, vel etiam quaecumque computa etiam minima cum qui-

1 Aptius lege *solutionis* (R. T.).
2 Aptius lege *solutionis* (R. T.).
3 Aptius lege *suspensionis* (R. T.).

buisvis personis conficere auderent seu praesumerent; sed bononenos ex dictis citationibus et expeditionibus provenientes in unum pro dictâ massâ conficiendâ congerere ad effectum solvendi ut supra tenerentur; super qua massâ et illius aumento tunc assignato expresse voluit et ordinavit, ne de cetero perpetuis futuris temporibus possent domini titulorum ipsorum officiorum cursoratuum aliquam ratam participare, nec ad effectum quomodolibet participandi aliquod pactum vel promissionem cum eisdem cursoribus facere vel inire; ad quorum omnium observationem voluit ut tunc omnes existentes cursores sese in ampliori camerae apostolicae et quacumque aliâ iuris validâ formâ, quicumque vero de eisdem cursorum officiis in posterum provideretur antequam ad illius exercitium admitteretur et reciperetur, se obligare tenerentur, et aliàs prout in ipsius praedecessoris litteris in formâ Brevis, sub datum I octobris MDCXIV, pontificatus eiusdem praedecessoris anno X, plenius continetur.

Alexander nunc providet praemissis.

§ 2. Cum autem, sicut nobis non sine animi nostri molestiâ nuper innotuit, praedicti redditus, per dictum praedecessorem huiusmodi massae sic assignati, non solum fideliter non persolvantur, sed plures fraudes in eorum solutionibus ab eisdem cursoribus committantur in eiusdem massae, camerae nostrae apostolicae, quae solvendi assignamenta dictis militibus Piis necnon depositariae eiusdem camerae pro dictis locis montium Pacis suppressis et aliis illorum loco erectis onus in se assumpsit, et aliorum, qui officium cursorum huiusmodi de suis propriis pecuniis sub illorum vitae periculo emerunt, damnum et praeiudicium, quibus et aliis nonnullis etiam in dictis litteris praedecessoris nostri contentis, quae, ut experientia docuit, aut nullo modo aut difficillime servari possunt, providere volentes, negotium huiusmodi nonnullis S. R. E. cardinalibus, ac Romanae curiae praelatis, et aliis probis viris commisimus, qui saepius congregati, ac partibus auditis, negotium huiusmodi mature examinatum et discussum nobis retulerunt, proindeque securitati tam massae cursorum quam camerae nostrae aliorumque interesse habentium indemnitati ac curialium commoditati opportune consulendum decernimus:

Contravenientes punit.

§ 3. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostrae et apostolicae potestatis plenitudine, praedictas praedecessoris litteras earumque dispositionem super formâ exigendi redditus per praedictos cursores debitos et notulas ut praefertur prohibitas, quoad censuras et poenas spirituales et alias in praedictis litteris comminatas et fulminatas (easdem tamen quoad reliqua in illis deposita in suo robore et observantiâ permansuras[1]), limitamus, reducimus et moderamur; statuentes ex nunc de cetero, quod perpetuis futuris temporibus quilibet ex dictis cursoribus emolumentorum partem, quae ex citationibus, inhibitionibus, monitoriis, renovationibus, aliisque quibuslibet expeditionibus, tam reproducendis quam reproduci non solitis, praedictae massae assignatam ad eiusdem creditum fideliter et integraliter describi facere debeat et teneatur. Quod si aliquid ex praedictis emolumentis massae assignatis fraudatum quoquo modo fuerit, aut cursores sibi retinuerint, teneatur in poenam quilibet cursor, et etiam illorum magister, pro quolibet bononeno sic fraudato vel retento, omni excusatione etiam invincibilis ignorantiae remotâ, ad solutionem iuliorum decem monetae romanae per causarum curiae camerae apostolicae generalem auditorem eo ipso, nullâ iudicii formâ ser-

1 Aptius lege *eisdem ... permansuris* (R. T.).

vatâ, sed solâ facti veritate inspectâ, quorum decem iuliorum unam denunciatori, seu delatori, aliam vero medietatem massae praedictae applicamus. Cuius etiam securitati, ac proinde eiusdem camerae, et aliorum interesse habentium indemnitati magis consulentes, volumus et decernimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ante congregationem faciendam secundâ die dominicâ cuiuslibet mensis singuli cursores in banco archihospitalis S. Spiritus, seu alio loco tuto et securo, arbitrio pro tempore existentis generalis auditoris praedicti, integram massae ratam ab ipsis ex emolumentis praecedentis mensis perceptis debitam deponant, quae nullâ ratione, etiam praetextu ratae sibi postea ex eâdem massâ (solutis prout infra oneribus) tangentis, retardari possit, et quilibet cursor cedulam depositi in dictâ congregatione deferre et magistro tradere teneatur sub poenâ suspensionis ab officio ipso facto, absque aliâ iudicis declaratione, donec dictam ratam deposuerit cedulamque magistro ut supra consignaverit, qui infra triduum a die habitae congregationis praedictae notam cursorum, qui in praedicto deposito defecerint, eidem auditori generali tradere sub poenâ privationis officii magisterii teneatur, ut ab eodem auditore in casum non observantiae suspensione puniri eius arbitrio possint.

Quae praecipit vult inviolabiliter observentur.

§ 4. In ipsâ vero die congregationis magister cursorum in primâ seu sinistrâ facie libri ad hunc effectum singulariter habendi describat ordinatim suum et cuiuslibet cursoris nomen cum quantitate pecuniarum debitarum tam ab ipso magistro quam a singulis cursoribus, cum subscriptione eiusdem magistri ac decani, vel in huius defectum antiquioris cursoris et deputatorum supra massam, in eâdem facie; in secundâ vero facie eiusdem libri ex opposito notabit solutionem a singulis et quibuslibet in banco archihospitalis S. Spiritus factam, iuxta quietantiam desuper productam; sequenti vero folio registrentur singula mandata directa ad praedictum bancum subscribendum[1] a magistro et decano simul vel loco decani ab antiquiori cursore cum distributione supradictarum pecuniarum solvendarum infrascriptis, videlicet: primo loco depositario generali camerae apostolicae in satisfactionem onerum a collegio cursorum debitorum; subinde reservatariis decretorum et aliis creditoribus singulorum cursorum respective ratione cuiuslibet officii; et denique magistro et aliis cursoribus pro ratâ massae singulos tangentis.

§ 5. Praeterea magister cursorum pro tempore existens teneatur exhibere supradictum librum, pro tempore existenti auditori generali infra triduum a die habitae congregationis computandum, sub suspensionis per unum mensem a sui officii exercitio aliisque poenis eiusdem auditoris generalis arbitrio in qualibet contraventione supra dispositorum, vel alicuius eorum. Et quia tum curialibus tum eisdem cursoribus onerosa nimis redditur prohibitio faciendi citationes, aliasque expeditiones, habitâ fide solutionis, ut ambas partes ab huiusmodi angustiis sublevemus, cuilibet ex cursoribus permittimus, ut illorum arbitrio, absque ullarum poenarum aut censurarum incursu in praedicti praedecessoris litteris impositis[2], citationes, intimationes, aliasque omnes expeditiones sub fide curialium ipsis benevisorum expedire possint et valeant, non retardatâ tamen huiusmodi sive aliâ de causâ solutione reddituum massae ut supra debitâ et singulorum mensium initio faciendâ, firmâ etiam remanente prohibitione, sub eisdem poenis

1 Forsan *subscribenda* (R. T.).
2 Videtur legendum *impositarum* (R. T.).

et censuris in dictis praedecessoris litteris, et aliis etiam corporis afflictivis arbitrio nostro seu pro tempore existentis generalis auditoris praedicti condemnandis, incurrendis et exequendis, ne quemlibet appaltum, aut aliquam remissionem mercedis citationum, intimationum, seu aliarum quarumcumque expeditionum, cum quibusvis personis, tam ecclesiasticis et speciali notâ dignis, quam regularibus et secularibus, quovis praetextu, quaesito colore et occasione, facere aut inire cuilibet cursori etiam magistro liceat.

§ 6. Ne vero supradicta dilata solutio ob morositatem alicuius debitoris nimis gravis et damnosa reddatur cursoribus, volumus et mandamus, ut de cetero quilibet cursor libellum unum seu plures inscriptos per magistrum praedictum (*libro di N. cursore*), et ab eisdem magistro et cursore subscriptos, in quibus per eumdem curialem, aut ipsius sollicitatorem seu substitutum, propriâ manu citationes, intimationes, aliasque[1] expeditiones, expressâ quantitate ac die debiti, adnotentur, penes se retineant, cui libro retento plena fides in iudicio et extra habeatur. Exactio vero fiat iuxta declarationem edicti desuper a dilecto filio Odoardo Vecchiarello, moderno curiae causarum palatii apostolici auditore, desuper stabiliendi et publicandi. Consuetudinem denuum, seu potius abusum, quod ad officium cursoris admittendus, ultra solitam admissionem, alia scuta triginta diversis vicibus titulo convivii solvere ceteris cursoribus teneretur, prorsus cassamus et irritamus, et huiusmodi solutionem sub quovis praetextu fieri de cetero omnino prohibemus. Imo ut eisdem novitiis, qui prae ceteris in exercitio officii et cum minori utilitate laborant, de aliquâ subventione provideatur, mandamus ut singulis mensibus, si novitii in collegio existant (quos pro talibus durante biennio a die habitae possessionis haberi volumus), ex dictâ massâ scuta sex monetae inter ipsos dividenda, si plures sint, sin minus uni tantum per praedictum magistrum assignanda solvantur.

§ 7. Decernentes praesentem nostrum motum proprium de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae aut quopiam alio defectu, notari[1], sed illum ab omnibus et singulis, quos concernit et concernet quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari et adimplere debere, sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per eumdem auditorem generalem, et quoscumque alios iudices ordinarios[2], contigerit attentari. *Confirmat decretum.*

§ 8. Non obstantibus dicti praedecessoris litteris, aliisque praemissis, ac dicti collegii cursorum, quatenus in aliquo obstet, erectione, et etiam, quatenus opus sit, Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri constitutione, in qua cavetur, quod indulta et aliae concessiones dictae camerae interesse aut gravamen quomodolibet concernentes intra certum tempus in eâdem camerâ registrentur, itaut dicti cursores et quilibet alii ad praesentes in dictâ camerâ praesentandum et inibi registrari faciendum minime teneantur, etc., et aliàs in contrarium facientibus quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis. *Contraria tollit.*

Fiat motu proprio F.

Et cum absolutione a censuris ad effectum, etc. Et quod praedicti Pauli praedecessoris litterarum praedictarum teno- *Clausulae.*

1 Legendum *aliaeque* vel *aliàsque* (R. T.).

1 Subde *non posse* (R. T.).

2 Subde *iudicari debere, et irritum ac inane*, etc. (R. T.).

res etiam veriores ac datae habeantur pro expressis, seu in toto vel in parte exprimi possint in litteris. Et de singulis statutis et ordinationibus, mandatis, cassatione, irritatione, annullatione, prohibitionibus, singulis decretis, derogatione, aliisque praemissis, ut supra, quae hic pro sufficienter et ad partem repetitis habeantur, ut supra in litteris latissime extendendum. Et cum opportunâ deputatione eiusdem auditoris generalis qui facultatem habeat citandi in formâ inhibendi et exequi faciendi. Invocato etiam brachii secularis auxilio, si opus fuerit, cum opportunâ derogatione quomodolibet contrariorum in litteris latissime extendendum. Et quod sola praesentis motus proprii signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in iudicio et extra, regulâ contrariâ non obstante. Seu etiam praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae praesentes adhiberetur, si forent originaliter exhibitae vel ostensae, seu etiam desuper litterae apostolicae etiam per Breve nostrum seu de curiâ desuper expediri possint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, kalendis octobris MDCLXI, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 1 octobris 1659, pontif. anno v.

CCLXIII.

Declaratio quod nullum ius nec etiam cumulative competat administratoribus seu superioribus monasteriorum Parisiensium et aliorum monasteriorum Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae visitandi dicta monasteria, cum diversis ordinationibus circa visitatores, etc.[1].

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad pastorale fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, inter gravissimas multiplicesque curas, quibus assidue premimur, eam peculiari studio amplectimur, ut felici sacrarum virginum et honestarum mulierum, quae, spretâ seculi vanitate, Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, regimini et directioni opportunis rationibus consulere satagamus, prout, maturâ consideratione pracviâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, per quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis dominicae MDCIII, idibus novembris, expeditas litteras, monasterium nunc Incarnationis nuncupatum Parisiense monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum nuncupatarum sub reformatione sanctae Teresiae primum instituti[1] huiusmodi in regno Franciae, sub certis modo et formâ tunc expressis, perpetuo erexit et instituit; ac idem monasterium sic erectum, eiusque abbatissam, conventum et moniales, rectores, officiales, ministros, servientes et personas, necnon bona universa, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, subiectione et potestate pro tempore existentis episcopi Parisiensis, seu illius officialis aut vicarii in spiritualibus generalis, necnon protectorum ac generalium et provincialium ministrorum, aliorumque praelatorum et superiorum Ordinis fratrum mitigatorum eiusdem B. M. V. de Monte Carmelo in spiritualibus et temporalibus penitus et omnino itidem perpetuo exemit et liberavit, ac sub beati Petri et Sedis Apostolicae atque suâ et pro tempore existentis

1 Forsan *primi instituti* (R. T.).

Romani Pontificis protectione et inviolabili conservatione suscepit; ipsumque monasterium sic erectum visitationi, correctioni, obedientiae, superioritati et omnimodae iurisdictioni in eisdem spiritualibus pro tempore existentis commissarii generalis Ordinis fratrum Discalceatorum seu Reformatorum nuncupatorum B. M. de Monte Carmelo, et, donec illius regula reformata huiusmodi in memorato regno Franciae, ubi nullum adhuc eatenus virorum monasterium sub eâ militare reperiebatur, recepta et introducta foret, pro tempore existentis prioris generalis Ordinis Carthusiensis, cum diversis facultatibus, necnon curae, gubernio, regimini et administrationi trium presbyterorum in eisdem litteris nominatorum quoad temporalia, cum diversis itidem facultatibus, respective subiecit, et aliàs prout in dictis litteris uberius continetur. Postmodum vero recolendae memoriae Paulus Papa V itidem praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die IX septembris MDCVI expeditas litteras, cum accepisset praedictum priorem generalem Ordinis Carthusiensis, vigore decreti in capitulo generali eiusdem Ordinis editi, onus huiusmodi recusasse, tunc existenti in praedicto regno Sedis Apostolicae nuncio, ut singulis trienniis, donec aliud ab ipso Paulo praedecessore et Sede praedictâ mandatum foret, etiamsi dicti fratres Carmelitae Discalceati tunc forsan Parisiis, vel in aliis civitatibus seu locis regni praedicti conventus obtinerent vel in posterum assequerentur, unum sacerdotem, ex duobus sibi nominandis ac praesentandis per praedictos administratores, in visitatorem dicti et aliorum monasteriorum monialium Carmelitarum Discalceatarum in dicto regno Franciae erectorum vel in posterum erigendorum deputare, ac illum sic deputatum suo arbitrio et infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, confirmare posset, facultatem concessit, visitatorique huiusmodi super visitatione monasteriorum praedictorum certas facultates attribuit. Et successive idem Paulus praedecessor, cum paulo ante Congregationem clericorum Oratorii nuncupatam, deputato in illius praepositum generalem bonae memoriae Petro dum vixit S. R. E. cardinali de Berulle nuncupato, tunc in minoribus agente, erexisset, Congregationemque praedictam ex presbyteris pietate et doctrinâ conspicuis, aetate gravibus, zeloque erga religionem catholicam et Sedem Apostolicam praestantibus compositam esse et uberes fructus in vineâ Domini producere accepisset, revocatâ quam prius nuncio praedicto tribuerat deputandi visitatorem monasteriorum praedictorum facultate, primodictum ceteraque Ordinis Carmelitanarum Excalceatarum monasteria in regno Franciae constituta huiusmodi, tam eatenus erecta, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus erigenda, curae, visitationi, correctioni et superioritati dicti Petri, ac pro tempore existentis praepositi generalis, qui huiusmodi monasteria, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas ac moniales, et alias personas in eis degentes visitare posset et valeret, ad Sedis Apostolicae beneplacitum, subiecit et supposuit per alias suas pariter in formâ Brevis die XVII aprilis MDCXIV emanatas; quas, necnon omnia et singula in eis contenta, subinde, cum clarae memoriae Ludovicus tunc temporis Francorum rex christianissimus ei exponi fecisset dictum Petrum regimini et gubernio monialium praedictarum cum multo illarum spirituali fructu ac christifidelium aedificatione vacavisse, approbavit et confirmavit, et aliàs prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper etiam in formâ Brevis die XIV martii MDCXX expeditis plenius continetur. Post haec autem piae

memoriae Urbano Papa VIII etiam praedecessori nostro pro parte abbatissarum seu priorissarum et monialium praedictarum inter alia exposito, quod quondam Carolus de Condren memorati Petri in officio praepositi generalis Congregationis Oratorii huiusmodi successor de consensu presbyterorum dictae Congregationis, et in eorum comitiis generalibus, se munus visitatoris praedictarum monialium monasteriorum exercere nolle, seque eidem pro se, omnibusque suis successoribus dictae Congregationis praepositis generalibus renunciare declaraverat, idem Urbanus praedecessor, supplicationibus dictarum abbatissarum seu priorissarum et monialium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existenti suo et Sedis praefatae in regno huiusmodi nuncio, ut singulis trienniis aliquem presbyterum secularem aetate gravem ac vitae et probitatis spectatae, ex duobus sibi per presbyteros administratores nominandis et praesentandis, in visitatorem quorumcumque monasteriorum monialium Carmelitanarum Discalceatarum huiusmodi in dicto regno eatenus erectorum et deinceps erigendorum deputare, ac deputatum arbitrio suo et infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium et non ultra confirmare (prout ante praedictas Pauli praedecessoris litteras die XVII aprilis MDCXIV emanatas fieri consueverat) valeret, ita quod in eiusdem nuncii absentiâ, ille qui a nuncio deputatus foret usque ad successoris nuncii adventum supplere posset et deberet, facultatem concessit. Visitatori autem sicut praefertur deputato quaecumque monialium praedictarum monasteria in toto regno supradicto erecta et in futurum erigenda, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas et moniales, ceterasque personas in eis degentes, visitandi facultatem sub certis modo et formâ tunc expressis impertitus est. Et subinde eidem Urbano praedecessori pro parte dictarum abbatissarum seu priorissarum et monialium monasteriorum praedictorum iterum exposito, quod, attentis ipsorum monasteriorum tam eatenus erectorum quam in posterum (Deo dante) erigendorum numero, eorumque ab invicem distantiâ, unus dumtaxat visitator sicut praemittitur deputandus visitationem singulorum monasteriorum huiusmodi per se ipsum supplere nequibat; ipse Urbanus praedecessor, illarum supplicationibus sibi humiliter porrectis pariter inclinatus, memorato nuncio unum vel duos alios tantum eorumdem monasteriorum visitatores, prout necessarium fore iudicavisset, modo et formâ ac cum facultatibus in prioribus suis litteris expressis et contentis arbitrio suo deputandi facultatem concessit, et aliàs prout in binis ipsius Urbani praedecessoris litteris, unis die XI aprilis MDCXXXII et alteris die XXIX iannarii MDCXXXIII respective in simili formâ Brevis desuper expeditis, uberius continetur.

§ 3. Cum autem, sicut a venerabili fratre Caelio archiepiscopo Caesareae nostro et Apostolicae Sedis in regno praedicto nuncio nobis nuper delatum fuit, licet memorata monasteria monialium Carmelitarum Excalceatarum secundum reformationem sanctae Teresiae in civitate Parisiensi et in universo Galliae regno huiusmodi hactenus erecta, et in posterum erigenda, visitationi, correctioni, superioritati, ac omnimodae iurisdictioni visitatorum auctoritate huius sanctae Sedis Apostolicae ab eius nunciis pro tempore in eodem regno existentibus deputatorum et deputandorum, iuxta formam praedictarum litterarum Clementis et Pauli ac Urbani praedecessorum nostrorum occasione erectionis et propagationis, regiminis et directionis monasteriorum Ordinis huiusmodi in eodem regno respective emana-

tarum, subiaceant et subiacere debeant, nihilominus dilecti filii rectores, superiores et administratores dictorum monasteriorum ius ea visitandi saltem cumulative cum visitatoribus deputatis ad se spectare praetenderint, prout in quibusdam ex eis de facto visitare praesumpserunt: hinc est quod nos, prosperiori monasteriorum praedictorum statui, Ordinisque[1] earumdem monialium tam in spiritualibus quam in temporalibus incremento quantum nobis ex alto conceditur consulere, et ut administratores praedicti deinceps se intra concessae sibi auctoritatis limites, ut par est, contineant, regularisque disciplina firmius et diutius in eodem Ordine vigeat providere volentes, ac praedictarum litterarum apostolicarum tenores et datas etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et verbatim insertim habentes, de venerabilibus fratribus nostrorum S. R. E. cardinalis negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui easdem litteras apostolicas ac memorati nuncii relationem huiusmodi necnon litteras dilectae in Christo filiae priorissae monasterii oppidi de Pontoise in favorem dictorum rectorum ad nos datas viderunt[2] et diligenter examinarunt ac totum negocium attente et mature discusserunt, consilio, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, nullum ius, nec etiam cumulative, praedictis rectoribus et administratoribus seu superioribus competere visitandi huiusmodi monasteria tenore praesentium decernimus et declaramus, atque ita deinceps omnino etiam sub ecclesiasticis censuris servari mandamus. Praeterea visitatorum memoratorum monasteriorum monialium nominationem deinceps ad eorumdem monasterium administratores non pertinere; visitatores autem monasteriorum huiusmodi, incipiendo a modernis, qui sunt dilecti filii Petrus de Berulle in sacrâ theologiâ magister monasterii de Ponnoy, sive de Pontelenio, abbas commendatarius, die XXV iunii MDCLVII, ac Ludovicus de la Rochechovard de Chandennier, abbas de Torneu, die II augusti MDCLVIII a praedicto Caelio archiepiscopo nuncio confirmati, quorum hic quidem bonae memoriae Francisci, dum vixit, S. R. E. de la Rochefoucault nuncupati, ille vero memorati Petri cardinalis respective nepotes, ac ambo spectatae vitae et probitatis sacerdotes existunt, perpetuos fore quemadmodum rectores et administratores;

Nullum ius administratoribus visitandi monasteria, nec etiam cumulative, competere Summus Pontifex declarat.

§ 3. Ad haec dictorum visitatorum numerum ultra duos augeri non posse, neque etiam minui; sed ipsos visitatores, ut possint supervenientibus occurrere necessitatibus, delegandi ad tempus biennii vel triennii ad summum eorum auctoritatem et potestatem pro quorumdam monasteriorum visitatione uni vel pluribus sacerdotibus vitae irreprehensibilis ab eodem nuncio similiter approbandis facultatem habere;

§ 4. Praeterea quod uno ex visitatoribus perpetuis huiusmodi recedente vel decedente, alter superstes alium vitae probatae virum in sacro presbyteratus ordine constitutum, infra trimestre vel semestre a die recessus vel decessus computandum, nuncio praedicto, ut ab eodem in visitatorem deputetur et confirmetur, nominare possit et debeat, ita tamen ut non possint visitatores huiusmodi successive et immediate ex eodem collegio, congregatione, Ordinis communitate, societate aut corpore particulari assumi, aut nominari et deputari; quodque, si nominatio huiusmodi per visitatorem superstitem intra semestre ut supra praefixum facta

[1] Male edit. Main. legit *ordinique* pro *Ordinisque* (R. T.).

[2] Edit. Main. legit *viderant* (R. T.).

non fuerit, aut si aliquando contingat visitatores praedictos simul vel alterum superstitem non factâ alterius nominatione recedere vel decedere, tunc illorum seu alterius respective deputatio ad dictum nuncium, et casu quo nuncius non adesset, ad hanc Sedem devolvatur, statuimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, etc., aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, etc., sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus sunt vel dici quomodolibet possunt contraria, praedictis Clementis ac Pauli et Urbani praedecessorum litteris, et aliis praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, congregationum et monasteriorum huiusmodi, et aliis quibusvis, etc., ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, etc., in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 octobris 1659, pontif. an. V.

CCLXIV.

Declaratio apostolica pro universitate studii generalis Complutensis, ut deinceps in licentiis theologiae non ferant votum nisi illi doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum praesentes in dictâ universitate adfuerint, vel saltem adfuerint praesentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad licentias ex iis quos pro licentiâ obtinendâ facere debent [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Nuper pro parte dilectorum filiorum rectoris et aliorum universitatis studii generalis Complutensis nobis expositum fuit, quod per statuta dictae universitatis, Sedi Apostolicae immediate subiectae, dudum a bonae memoriae Francisco dum vixit S. R. E. cardinale Ximenez de Cyneros nuncupato, ecclesiae Toletanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesule, auctoritate felicis recordationis Alexandri Papae VI praedecessoris nostri condita, cap. XLIV, XLV, XLVI et XLVII, inter alia cavetur, quod omnes doctores theologicae facultatis eiusdem universitatis actibus theologicis, quos illi qui ad baccalaureatus et subinde ad licentiae gradus in eâdem theologicâ facultate adspirant octo numero successive obire debent, interesse et in illis arguere seu argumenta proponere tenentur, quodque iidem doctores per cedulas secretas ex baccalaureis formatis primum licentiae gradu insigniendum, habendo principaliter respectum ad sufficientiam litterarum, deinde secundum, postea tertium, et sic deinceps similiter eligere debent, et aliâs prout in eisdem statutis uberius dicitur contineri.

1 De hoc collegio vide supr. Const. CCLVI et CCLVII huius Pontificis pag. 491 seq.

Motiva. § 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, saepe nonnulli doctores praedictae theologicae facultatis, qui Compluti non resident, in electione licentiae gradu insigniendorum praedictum votum habere praetendant, licet sufficientiae baccalaureorum cognitionem non habeant, quippe qui praedictis eorum actibus non interfuerint, nec contra eos argumenta proposuerint, imo nec Compluti quidem tempore actuum huiusmodi resederint: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio. § 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps in eiusmodi licentiis theologiae non ferant votum nisi illi doctores, qui vel per sex menses continuos ante dictum votum ferendum praesentes in dictâ universitate adfuerint, vel saltem adfuerint praesentes quatuor actibus singulorum concurrentium ad licentias ex iis quos[1] pro licentiâ obtinendâ facere debent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et ordinamus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictis, et aliis quibusvis memoratae universitatis, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 octobris 1659, pontif. anno V.

[1] Male edit. Main. legit *quo* pro *quos* (R. T.).

CCLXV.

Ordinationes circa conventus Briocensem et Landerniensem super quibusdam controversiis inter fratres Recollectos et Cordigeros Ordinis sancti Francisci in Gallia exortis in capitulo generali dicti Ordinis emanatas[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Postulatio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Bernardus, fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum regni Galliae in Romanâ curiâ agens generalis et provinciae Brittaniae eiusdem Ordinis procurator specialis, quod aliàs, dilecto pariter filio Guielmo Trovillet, ex parte Cordigerorum conventus Briocensis, ac etiam cleri, civium et fundatoris eiusdem conventus procuratore, necnon ipso Nicolao ex alterâ parte in contradictorio auditis, emanarunt ad favorem dictae provinciae Recollectorum apostolicae in simili formâ Brevis litterae, quibus iniungebatur fratribus Cordigeris conventus Briocensis ut magistro provinciali Recollectorum tamquam suo legitimo superiori obedirent, sicut per spatium octodecim annorum fecerunt, ac praecipiebatur quatenus fratres provinciae Turoniae Pictaviensis in supradicto conventu instituti sine ullâ legitimâ obedientiâ superiorum Ordinis, qui per duos annos iam

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

inobedientes et rebelles remanent, sub censuris ecclesiasticis ad suam remearent provinciam, dictusque conventus Briocensis pacifice relinqueretur, et fratribus Recollectis traderetur, ut diurnum in ipso persolverent officium, quia tantummodo septem presbyteri de eâdem provinciâ professi supererant in dicto conventu, et ob ipsorum paucitatem nequibant in omnibus, quae ad statum dictae familiae et chori functiones pertinent, satisfacere; sed his non obstantibus dicti Cordigeri praedictas litteras apostolicas, ac congregationis[1] venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae necnon capituli generalis dicti Ordinis decreta spernunt; et contumaces inobedientesque maximo cum scandalo absque ullo legitimo superiore perseverant, dicentes quod cives nolint Recollectos admittere, et praetextu cuiusdam arresti parlamenti secularis rebelles iactant se non discepturos, nec praedictis litteris apostolicis obtemperare volunt.

Postulata conceduntur, et fratres in proprium conventum revocantur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Nicolaus plurimum cupiat a nobis ordinari ut nullus in superiorem instituatur tam in dicto conventu Biocensi quam etiam in Landeriensi (qui duo tantummodo conventus supersunt in totâ provincia reformandi) quin sit de eâdem provinciâ et sub gubernio ministri provincialis, nec etiam extranei dictos ingrediantur conventus, sed illi qui sunt intrusi reiiciantur, sicut praedictae litterae apostolicae de mensibus februarii et martii MDCLVIII expeditae disponunt; neque duo conventus huiusmodi ullo modo a provinciâ Brittaniae dismembrentur, sicut eaedem litterae ordinant, sed semper sub obedientiâ ministri provincialis remaneant secundum conditiones in transactionibus ab utrâque parte factas, et aliàs opportune in praemissis provideri et ut infra indulgeri: nos, eumdem Nicolaum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praefatae congregationis cardinalium consilio, attentis narratis, ac auditâ per eosdem cardinales relatione dilecti filii ministri generalis Ordinis huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus litteras apostolicas in formâ Brevis et decreta eiusdem congregationis necnon ordinationes a novissimo capitulo generali dicti Ordinis circa praemissa emanatas omnino servanda esse, ac propterea, quod nullus tam in conventu Briocensi quam in Landerniensi in superiorem eligatur et instituatur nisi a definitorio memoratae provinciae Brittaniae iuxta solitum, hac positâ conditione, quod Recollecti huiusmodi provinciae gubernent conventus memoratos sub cantu Gregoriano in missis, vesperis et funeralibus; item, quod dicti duo conventus nullo modo dismembrentur a provinciâ, sed sub gubernio provincialis sint et esse debeant, eosque fratres extranei non ingrediantur, immo illi qui reperiuntur intrusi eiiciantur; sub poenâ autem excommunicationis ipso facto incurrendae, earumdem tenore praesentium, inhibemus omnibus et singulis provincialibus regni Galliae dicti Ordinis, ne suos religiosos fratres in praefatos duos conventus mittant; ministro vero provinciali Turoniae Dictaurensi iniungimus ut suos religiosos intrusos in conventu Briocensi revocet et discedere cogat, ac in suam provinciam remeare. Ut autem haec omnia debitum sortiantur effectum, eorum executionem venerabili fratri episcopo Leo-

1 Male ed. Main. legit *congregationes* (n. T.).

nensi, necnon dilectis filiis eius vicario et officiali, tam coniunctim quam divisim, qui per ecclesiasticas censuras et poenas compellendos et rebelles compellant, cum omni potestatis plenitudine committimus et iniungimus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc., et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis, ac provinciae et conventuum huiusmodi, aliisve quibusvis, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresso derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides habenda. § 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etc., eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die X octobris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 10 octobris 1659, pontif. anno V.

CCLXVI.

Super exemptione religionis B. Ioannis Dei nuncupatae de' Fate bene Fratelli *ab omnimodâ iurisdictione Ordinariorum* [1].

1 Et fusius de hac materiâ videtur notata ad Constit. DCX (al. 576) Urbani VIII, tom. XIV, pag. 660.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Paganus, Congregationis fratrum beati Ioannis Dei procurator generalis, quod, licet dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis litteras die VI iulii MDCXXXVIII expeditas, de tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, declaraverit ac decreverit, ut, quoad dictae Congregationis conventus et hospitalia in quibus forent duodecim religiosi, episcopi nullatenus se ingererent, et quoad illos conventus, seu hospitalia, in quibus foret minor religiosorum numerus, iidem episcopi possent insimul cum provinciali vel alio maiori eiusdem Congregationis superiore ad revisionem computorum administrationis eorumdem hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo se immiscerent,

§ 1. Venerabilis nihilominus frater archiepiscopus Calaritanus superioritatem in hospitalia Congregationis praedictae intra fines dioecesis Calaritanae existentia, illaque tam quoad visitationem quam quoad alia quaecumque sibi subiecta esse praetendit, hacque occasione nonnullas dubitationes per congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum resolvi petit[1], super quibus emanavit decretum eiusdem congregationis cardinalium, prout continetur in scripturâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. Calaritana. Supplex petit archiepiscopus Calaritanus infrascriptas dubitationes per hanc sacram congregationem resolvi:

I. An fratres B. Ioannis Dei, a magistratu civitatis vocati et addicti servitio hospitalis, cuius se ipse magistratus pro-

1 Videretur potius legendum *petiit* (R. T.).

tectionem gerere praetendit, sint exempti a visitatione archiepiscopi in his quae versantur circa administrationem et rationem bonorum reddendam;

II. Quomodo procedendum contra dictos religiosos se opponentes praedictae visitationi virtute privilegiorum;

III. An dicti religiosi, praetermissâ formâ sacri Concilii et licentiâ Ordinarii in primâ eorum fundatione et receptione, sint nihilominus exempti a iurisdictione archiepiscopi circa regularem observantiam et personas, maxime dilapidando bona hospitalis vel scandalose vivendo;

Die XXVII septembris MDCLIX. Sacra Congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit servandam in omnibus dispensationem Brevis Urbani VIII, editi IX iulii MDCXXXVIII.

F. card. PAULUTIUS, praefectus ».

Confirmat decretum. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Paulus decretum huiusmodi, pro firmiori illius robore et efficaciâ, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desideret, nos, ipsum Paulum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas et inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere; ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V novembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 5 novembris 1659, pontif. an. V.

CCLXVII.

Erectio provinciae Reformatae S. Mariae Ungariae fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae divinâ dispensatione creditum exigit, ut, paternam religiosorum virorum sub suavi arctioris vitae iugo Altissimi obsequiis mancipatorum curam gerentes, ea, per quae prospero felicique eorum statui et regimini consulitur, apostolicae confirmationis nostrae praesidio constabiliamus. Exordium.

§ 1. Aliàs siquidem (pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Mariae Ungariae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Strictioris Observantiae nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ipsi quidem prius ante sex menses, vel circiter, varias gravissimas causas, quarum intuitu provinciam huiusmodi a iurisdictione commissarii nationalis, ad instar diversarum aliarum provinciarum familiae cismontanae eiusdem Ordinis, eximi desiderabant, dictae congregationi exposuerant; ipsis vero ab initio oppositum fecerat[2] eamdem provinciam ad exemptionem huiusmodi admitti at[3] privilegiis vicinarum provinciarum gaudere non posse, Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Videtur legendum *fuerat* pro *fecerat* (R. T.).
3 Lege *ac* pro *at* (R. T.).

nisi prius ostenderetur reformationem in illâ pariter acceptatam fuisse, pro qua introducendâ similes commissarii deputari solent, quodque dicta provincia S. Mariae Ungariae constitutiones Reformatorum, et quidem uti tales a ministro generali Ordinis praedicti recognitas, semper observasset, ipsique exponentes credebant ex relatione dilecti pariter filii visitatoris generalis Austriae et Ungariae dicti Ordinis, cui memorata congregatio indagationem veritatis praemissorum commiserat, ad ipsam congregationem transmissâ constare eorum quae exposuerunt veritatem;

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. Et propterea dictae congregationi supplicato, ut exemptionem huiusmodi praedictae provinciae concederet[1], illamque reformatam declararet) emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

« Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac auditis relationibus tam Minorum generalis Ordinis huiusmodi quam etiam commissarii visitatoris generalis Austriae et Ungariae, asserentium memoratam provinciam S. Mariae Ungariae, eiusque omnes fratres, ac dicti Ordinis religiosos iam acceptavisse et suscepisse reformationem, ac secundum huius instituta, leges, constitutiones et statuta vivere, regi et gubernari, censuit, decrevit et declaravit eamdem provinciam tamquam reformatam haberi, ac inter reformatas provincias statuendam, computandam et describendam, earumque omnibus gratiis, privilegiis et praerogativis aeque ac cunctae similes aliae provinciae reformatae utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, uti, frui, potiri et gaudere ipsam quoque debere, ac proinde ab obligatione recipiendi de cetero commissarium nationalem esse eximendam, prout praesentis decreti vigore statui et computari, haberi, describi, gaudere et eximi respective mandat et praecipit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, XIX septembris MDCLIX.

M. GINETTUS ».

Absolvit oratores a censuris.

§ 3. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolici muniminis patrocinio roborari summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationis eorum nomine nobis super hoc porrectis humiliter inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Confirmat decretum.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciae huiusmodi quibusvis, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Edit. Main. legit *concedet* pro *concederet* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 novembris 1659, pontif. anno v.

CCLXVIII.

Quod generalis Congregationis monachorum del Tardon, *Ordinis sancti Basilii Magni visitet Congregationem eo modo quo disponunt brevia novissima Urbani VIII et Innocentii X.*

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliàs (pro parte dilecti filii Francisci a Iesu, procuratoris generalis Congregationis seu provinciae del Tardon nuncupatae monachorum reformatorum Ordinis sancti Basilii Magni in Hispania, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quod felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXIII septembris MDCIII expeditas litteras inter alia decrevit, eosdem monachos reformatos abbati dicti Ordinis generalis taliter subiacere, ut ipse per se, non vero per alium, nisi forte ex eâdem Congregatione reformatâ monachum, possit illos tam in capite quam in membris visitare, corrigere et emendare, non vero in aliquo contra eorumdem monachorum reformationem seu constitutiones ab ipsis faciendas et a Sede Apostolicâ approbandas in communi vel cum aliquo particulari dispensare, vel quidquam aliud mutare seu innovare, neque monachos reformatos a suis monasteriis ad alia quacumque de causâ auferre, seu alios ab ipsis etiam ad breve tempus recipi facere, vel aliud quicquam ordinare seu statuere, in quo ipsos possit perturbare, seu quomodolibet inquietare; dictisque monachis reformatis procuratorem ad Romanam curiam eligendi, et ibidem pro dictae Congregationis negotiis tractandis, quamdiu voluerint, habendi facultatem tribuerit;

Quid statuerat Clemens VIII.

Quid Urbanus VIII. Recolendae vero memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster per quasdam suas in eâdem formâ Brevis litteras die XXX octobris MDCXXIX expeditas abbati generali Ordinis praefati pro tempore existenti praeceperit, ut in posterum praedictas litteras in formâ Brevis memorati Clementis praedecessoris omnino observaret et observari faceret, decernens illum, si unquam aliquem ex monachis reformatis huiusmodi contra dispositionem dictarum litterarum ad provincias non reformatas transferre praesumpsisset, poenam privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrere;

Quid Alexander VII et Innocentius X. § 2. Nosque per nostras itidem in formâ Brevis die XI februarii MDCLVIII emanatas litteras ordinaverimus, quoad visitationem servandas esse litteras praedicti Clementis praedecessoris, ut scilicet fieri debeat per ipsummet abbatem generalem, et eo impedito per alium ex congregatione *del Tardon;* quoad contributionem autem pro assistentibus et eorum interventu in visitatione cum abbate generali litteras piae memoriae Innocentii X praedecessoris pariter nostri non comprehendere dictam Congregationem seu provinciam *del Tardon*, ac proinde assistentes non posse intervenire in dictâ visitatione, nec dictam provinciam *del Tardon* teneri ad aliquam contributionem pro dictis assistentibus; praeterea praedictus Urbanus praedecessor in quibusdam aliis suis in simili formâ Brevis litteris die IX ianuarii MDCXXX ad favorem dictae Congregationis *del Tardon* expeditis abbati generali memorati Ordinis iniunxerit, ut in visitatione dictae provinciae reformatae expensas tantum necessarias, quae tamen

summam ducentorum scutorum monetae romanae non excedant, recipiat;

Quid Paulus V. § 3. Ac demum similis recordationis Paulus Papa V pariter praedecessor noster etiam per quasdam suas in formâ Brevis litteras voluerit et statuerit, ut, quamvis provincialis provinciae huiusmodi notabiliter deliquerit, a definitorio tamen, nisi ob crimen ex quo de iure deponendus seu privandus veniat, tam ex officio, quam per inquisitionem seu denunciationem vel accusationem, aut alio quovis modo contra eum nequaquam procedi, sed eius iurisdictionem usque ad praefinitum tempus illaesam durare; ipse Franciscus procurator generalis, pro maiori observatione dictarum litterarum apostolicarum, plurimum cupiebat ordinari:

Petitio. § 4. I. Ut abbas generalis Ordinis praedicti in visitatione, quam per se solum facere potest, in assistentes eligere debeat duos antiquiores definitores dictae reformationis, nempe presbyterum unum, et laicum seu conversum alterum, vel alios duos, qui a definitorio eiusdem reformationis electi fuerint, ac eidem abbati generali prohiberi, ne exemptionem, aut privilegia dictis monachis reformatis concedat, sed praefatas litteras apostolicas observet et ab omnibus proprias eorum leges et institutum faciat observari, attento quod hac in re nonnulla inconvenientia sunt secuta, quibus reformatio huiusmodi perturbata fuit:

§ 5. II. Prohiberi eidem abbati generali ne a conventibus, praelatis, aut monachis particularibus eorumdem reformatorum maiorem quantitatem pecuniarum aut alterius cuiusvis rei aequivalentis accipiat, quam quae in visitatione dictorum reformatorum expendetur tam pro naulo et stabulatione iumentorum eorumque sustentatione, quam pro aliâ qualibet impensâ, ita ut expensae huiusmodi summam ducentorum scutorum monetae romanae praedictae excedere non debeant, iuxta supradictas Urbani praedecessoris litteras, idque sub poenâ privationis officii et inhabilitatis perpetuae tam per dantes quam per recipientes incurrendâ:

§ 6. III. Prohiberi monachis reis, ne praetextu gravaminis ad alios superiores quam primo ad definitorium recurrere possint, prout per quasdam Urbani et Innocentii praedecessoris in simili formâ Brevis litteras cavetur:

§ 7. IV. Declarari, quod quando superior provincialis dictae reformationis constitutionibus, seu litteris apostolicis, per quas poena privationis officii imponitur, contravenerit, definitores in eorum definitorio vel extra illud, eveniente casu, procedere valeant ad declarandum eum in poenam huiusmodi incurrisse, eumque officio privare, non obstante supradictâ constitutione, ac insuper declarari utrum ius, de quo inibi fit mentio, sit ius commune, an vero ius particulare dictae religionis, videlicet leges et constitutiones a Romanis Pontificibus editae) emanavit a praedictorum cardinalium congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis responsa. § 8. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, reque, eminentissimo Carpineo referente, diligenter et mature discussâ, censuit decernendum et declarandum, quemadmodum praesentium tenore decernit et declarat ut infra, videlicet: Ad I, quod generalis visitet iuxta formam et dispositionem Brevis sanctae memoriae Clementis VIII. Ad II, idem generalis servet omnino Breve sanctae memoriae Urbani VIII datum sub die IX ianuarii MDCXXX, adeo ut expensae quae dantur pro visitatione, omnibus computatis, non excedant summam scutorum ducentorum monetae romanae, nec etiam

a sponte dantibus aliud quidquam ultra dictam summam sub expressis poenis recipere audeat. Ad III, quod serventur pariter litterae in formâ Brevis emanatae de anno MDCXLI a felicis recordationis Urbano VIII, de anno MDCXLVI a simili memoriâ Innocentii X, in iis quae concernunt appellationem seu recursum ad definitorium. Et ad IV, quod, quando provincialis crimen commisit, ex quo de iure deponendus vel privandus venerit, itidem procedendum esse in casibus tam de iure comuni, quam de iure constitutionum dictae reformationis dictae provinciae *del Tardon* a sanctâ Sede Apostolicâ confirmatis. Ac proinde ita circa praemissa de cetero omnimode exequi et respective observari mandat et praecipit contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae XIV februarii MDCLIX.

M. cardinalis GINETTUS ».

Confirmat Pontifex. § 9. Cum autem, sicut dictus Franciscus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum irritans. § 10. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 11. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis seu provinciae et Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet. § 12. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 novembris 1659, pontif. anno V.

CCLXIX.

Decernit quaedam statuta Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ circa electionem guardianorum omnino observanda esse, ac proinde omnes electiones, quae de cetero in provinciâ Granatensi Ordinis huiusmodi fient tam praesidentium in guardianos, quam illorum qui ante congregationem provincialem intermediam guardianorum officia renunciaverint, si in eo triennio reeligentur, esse cassandas, irritandas et annullandas[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Aliàs pro parte dilectorum filiorum patrum provinciae Granatensis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et regularium praeposito exposito, quod, licet per statuta dicti Ordinis, Romana quidem anno MDCXII, tit. *De Praelatis* § XI, et Segobiensia anno MDCXXI respective edita, tit. *De Guardianis*, caveatur expresse, ut nullus guardianus triennio expleto possit continuare (etiam cum titulo praesidentis) neque in eodem conventu, nec in alio; provincialis autem minister qui consenserit, suo sit privatus officio; ac insuper per eadem statuta romana, § III, disponatur, quod si quis frater conventui vacanti praefectus fuerit praesidens, non poterit guardianus eligi eiusdem conventus (pro illâ vice dumtaxat), minister vero provincialis qui contrafecerit vel consenserit, sit officio privatus, et electio irrita et nulla, prout ex tunc a capitulo generali declarata fuit; nihilominus in dictâ provinciâ non sine tranquillitatis et observantiae regularis detrimento invaluissent abusus, ut, quando post capitulum provinciale aliquâ ex causâ vacarent[1] aliquae guardianiae, eligerentur in praesidentes illi qui in capitulo officium finivissent; ac praesidentes per vacantiam guardianorum electi eligerentur postea in guardianos eorumdem conventuum; et guardiani electi in congregationibus intermediis vel particularibus aliquibus mensibus ante futuram congregationem, in qua officia finire deberent, renunciarent, ut eligerentur in eâ congregatione ad hoc ut suffragium darent in futuro capitulo, quippe quorum suffragia essent certa, et a gubernantibus provinciam experta; sicque per multos annos in officiis perpetuarentur: et in eâdem expositione subiuncto, quod tales abusus libertati electionum adversarentur, fomentum ambitionis continerent, scandalum religiosorum benemeritorum inducerent, ac in totius familiae detrimentum, ob malum exemplum, cedere possent: eaque propter praedictis cardinalibus supplicato ut opportunum praemissis remedium adhiberent, emanavit ab eorumdem cardinalium congregatione decretum tenoria qui sequitur, videlicet:

1 Male edit. Main. legit *vocarent* (R. T.).

Sacrae congregationis decretum.

§ 2. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et auditis relationibus tum ministri generalis tum etiam commissarii generalis curiae Ordinis huiusmodi, censuit supramemorata statuta omnino observanda esse, ac proinde omnes electiones, quae de cetero in praefatâ Granatensi provinciâ fient, tam praesidentium in guardianos, quam illorum, qui ante congregationem provincialem intermediam guardianatuum officia renunciaverint, si in eo triennio reeligantur, esse cassandas, irritandas et annullandas; ministrum vero provincialem illis consensum praestantem esse omnimode privandum; huiusmodi autem electiones, si quae antehac factae fuerint, ad tollenda incommoda et inconvenientia quae ex earum annullatione seu cassatione orirentur, duxit confirmandas esse, earumque omnes et quascumque invaliditates et defectus supplendos, prout praesentis decreti vigore observari, cassari, irritari et annullari, privari, confirmari et suppleri respective vult, mandat et praecipit.

Romae, die III octobris MDCLIX.

M. cardinalis GINETTUS ».

Confirmatur decretum.

§ 3. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostro robore communiri summopere desiderent, nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae provinciae et aliis quibusvis, etc.; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris[1], die XVIII novembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 novembris 1659, pontif. anno V.

1 Edit. Main. dubitat; et lectio recta (n. T.).

CCLXX.

Ut de cetero commissi in Congregatione sancti Bernardi monachorum Italiae Ordinis Cisterciensis, exacto biennio, ad habitum conversorum admitti, et post annum novitiatus profiteri possint.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ferdinandus Ughellus abbas et Tusciae * ac Hilarion Rancatus Lombardiae provinciarum Congregationis sancti Bernardi monachorum Italiae Ordinis Cisterciensis respective procuratores, quod ante viginti vel circiter annos in capitulo eiusdem Congregationis ordinatum fuit, ne ex tunc in posterum habitus conversorum dictae Congregationis cuiquam praestari posset, nisi qui quinquennio continuo commissus in ipsâ Congregatione fuisset, eaque ordinatio postmodum constitutionibus Congregationis praedictae a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro confirmatis inserta fuit. Verum tot annorum experientiâ compertum est ordinationem huiusmodi eidem Congregationi multifariam esse nocumento, attento quod commissi, ut plurimum, tam diuturnae morae taedio non perseverent, sed egrediantur, non sine monasteriorum ipsius Congregationis dispendio, cum non reperiantur qui tam longam probationem subire velint; ut proinde eorumdem monasteriorum superiores conversorum professorum defectu, nec operâ commissorum pro bonorum temporalium ad ipsa monasteria spectantium curâ et administratione uti volentes, eam curam secularibus cum gravi monasteriorum huiusmodi detrimento demandare cogantur.

* Sic.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilecti pariter filii definitores memoratae Congregationis in capitulo ipsius Congregationis novissime celebrato, praemissis mature consideratis, decreverunt[1], nobis esse supplicandum, ut quinquennium praedictum ad duos annos reducamus, quibus elapsis commissi, si aliàs idonei reperti fuerint, ad praedictum habitum conversorum, et subinde peracto novitiatus anno ad professionem regularem admitti possint; nobis propterea dicti Ferdinandus et Hilarion humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Summus Pontifex.

§ 3. Nos igitur, ipsum Ferdinandum et Hilarionem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero commissi

1 Aptius legeretur *decreverint* (n. T.).

in Congregatione praedictâ exacto biennio ad habitum conversorum eiusdem Congregationis, si ad id aliàs idonei existant, servatis servandis, admitti, peractoque subinde novitiatus anno professionem regularem per dictos conversos emitti solitam expresse emittere libere, licite et valide possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Praesentes litterae tamquam firmae habendae sunt.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc.; sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere; ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria respuit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etc., quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credendum.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus ubique locorum tam in iudicio quam extra illud fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 decembris 1659, pontif. anno v.

CCLXXI.

Confirmat decretum circa receptionem oblatorum, probationem et admissionem ad habitum in provinciâ Ss. Ludovici et Elzearii Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis S. Francisci[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Aliàs pro parte dilectorum filiorum ministri provincialis et definitorum provinciae Ss. Ludovici et Elzearii Congregationis Gallicanae Tertii Ordinis sancti Francisci nobis exposito, quod regula dicti Tertii Ordinis, cap. II, et Concil. Trident. sess. XXV, cap. XV, determinant unum annum probationis pro novitiis, constitutiones vero generales eiusdem Tertii Ordinis ab hac Sanctâ Sede approbatae determinant duos annos pro novitiatu fratrum oblatorum seu servientium, qui emittunt tria vota solemnia religionis, ac insuper quartum votum de non procurandâ aliâ conditione a suâ, cap. I, § II, *De fratribus oblatis;* felicis autem recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster per quamdam suam constitutionem die XIX martii MDCIII emanatam ordinavit, ut unaquaeque religio sua specialia instituta observare teneatur circa fratrum oblatorum receptiones;

§ 1. Et in eâdem expositione subiuncto, quod, pro consolatione quorumdam fratrum oblatorum, qui tunc in dicto Tertio Ordine existebant, superiores ipsius Tertii Ordinis consenserunt aliàs, ut a recolendae memoriae Urbano Papa VIII praedecessore pariter nostro procuraretur dispensatio pro dictis fratribus oblatis super ipsorum quarto voto et licentiâ transeundi ad statum fratrum conversorum seu laicorum, cum assumptione caputii, sicut de facto idem Urbanus praedecessor die XVI augusti MDCXLI dispensavit cum fratribus oblatis, qui tunc in dicto Tertio Ordine existebant; quodque ab illo tempore in aliquibus conventibus dictae Congregationis Tertii Ordinis diversis et differentibus modis factae fuerunt receptiones dictorum fratrum oblatorum, siquidem aliqui superiores sibi persuadentes praedictas constitutiones generales Tertii Ordinis deter-

minantes duos annos pro novitiatu fratrum oblatorum esse contrarias regulae Tertii Ordinis et Concilio Tridentino praedictis requirentibus unum tantum annum probationis in novitiis, admittunt in Ordinem fratres oblatos sine caputio cum uno tantum anno probationis;

§ 2. Et ulterius, occasione litterarum dicti Urbani praedecessoris in simili formâ formâ Brevis super praemissis emanatarum, per quas ipse Urbanus praedecessor dispensavit cum dictis oblatis qui tunc erant in Ordine super quarto voto eisque concessit transitum ad statum laicalem post decem annos a suâ receptione, fratres oblati, qui de novo recipiuntur in Ordine, quartum votum ab oblatis emittendum non emittunt, ac post tempus aliquorum annorum assumunt caputium sine ullâ auctoritate huius S. Sedis, et dispensatione constitutionum generalium dicti Tertii Ordinis, contra quas novus status seu conditio in religionem inducitur;

§ 3. In aliis vero conventibus Tertii Ordinis et Congregationis huiusmodi admittuntur dicti fratres oblati, seu servientes, iuxta formam constitutionum generalium Ordinis cum quarto voto de non procurandâ aliâ conditione a suâ, idque eo magis, quod, cum sit dispensatio, ipsa est de voto iam facto, non vero de faciendo; et praedictus Urbanus praedecessor dispensavit cum oblatis, qui votum emiserunt, et tunc temporis in Ordine existebant; minime vero ordinavit aliquid circa oblatos in futurum recipiendos, aut quoad hoc constitutiones generalis Ordinis immutavit; istas autem diversas et differentes fratrum oblatorum receptiones non minimam parere in dictâ Congregatione Tertii Ordinis confusionem, et plures scrupulos ac dubia ingerere in animos; et propterea nobis humiliter supplicato, ut dignaremur declarare: »

Quaesita. § 4. I. An constitutiones generales dicti Tertii Ordinis, requirentes duos annos probationis in oblatis seu fratribus servientibus vota solemnia emittentibus, sint contrariae tam regulae eiusdem Tertii Ordinis quam decreto Concilii Tridentini unum annum probationis exigentibus in novitiis;

II. An occasione relaxationis et dispensationis factae a memorato Urbano praedecessore cum fratribus oblatis, qui tunc temporis existebant in Ordine, super ipsorum quarto voto de non procurandâ aliâ conditione a suâ, et super assumptione caputii post decem annos, possint de novo recipi oblati seu servientes cum uno anno solum probationis, ac admitti ad caputium et statum laicorum; possitque talis usus et status novus introduci contra generalia statuta Ordinis sine debitâ auctoritate Sedis Apostolicae;

III. An fratres oblati, qui in tali statu novo et non approbato a Sede praedictâ fuerunt admissi in religionem, sint vere religiosi et professi;

IV. An dicta dispensatio concessa ab Urbano praedecessore praedicto pro oblatis, qui tunc temporis existebant in Ordine, impediat quominus recipiantur in Ordine fratres oblati iuxta formam constitutionum generalium dicti Tertii Ordinis ab eâdem Sede approbatarum?

§ 5. Nos, negotium huiusmodi venerabilibus fratribus Æmilio Camerinensi et Carolo Clusinensi episcopis demandavimus, a quibus emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Responsa.

« Illustrissimi, ac reverendissimi domini, dominus de Alteriis episcopus Camerinensis et dominus de Vecchis episcopus Clusinensis, auctoritate apostolicâ sibi specialiter commissâ, omnibus mature perpensis, censuerunt et declaraverunt sicuti hoc praesenti decreto censent et declarant:

I. Non obstare Concilium Tridentinum

nec regulam Tertii Ordinis quominus oblati, seu servientes, iuxta tenorem constitutionum generalium dicti Ordinis debeant biennio integro probari, et, eo expleto, ad professionem admitti;

II. Non posse admitti ad caputium seu statum laicorum fratres oblatos, seu servientes, qui admissi sunt in religionem post Breve sanctae memoriae Urbani VIII, cum dictum Breve loquatur tantum de illis oblatis, qui tunc existebant in Ordine;

III. Dictos oblatos de novo receptos in statu novo et non approbato a S Sede, non esse veros religiosos;

IV. Dictum Breve Urbani non impedire quominus recipiantur in Ordine fratres oblati iuxta formam constitutionum generalium dicti Tertii Ordinis a S. Sede approbatarum, non obstantibus quibuscumque in contrarium.

Romae IX octobris MDCLIX.

E. episcopus Camerinensis, secret.

C. De Vecchis, episc. Clusinensis, S. C. C. secretarius ».

Confirmatio. § 6. Cum autem, sicut praedicti exponentes nobis denuo exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent, nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans. § 7. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane si secus, etc., contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x decembris MDCLIX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 decembris 1659, pontif. anno v.

CCLXXII.

Quod monachi sancti Basilii Hispaniarum possint deferre cucullam amplam talarem, manicatam, quam floccum vocant: In causâ Salamantinâ cucullae.

In congregatione sacrorum rituum ordinariâ habitâ coram Sanctissimo, eminentissimus dominus cardinalis Azzolinus retulit controversiam monachorum S. Basilii et S. Benedicti Hispaniarum super usu cucullae amplae talaris, quam *floccum* nuncupant; et iuribus utriusque partis hinc inde necnon voto sacrae rotae auditis ac mature perpensis, Sanctitas sua censuit decrevitque licuisse ac licere monachis S. Basilii deferre cucullam amplam, talarem, manicatam, quam *floccum* vocant, ac proinde manutenendos esse in eiusdem usu. Decretum sacrae congregationis.

Die XXVII septembris MDCLIX.

I. episc. Sabinensis card. Sacchettus.

Loco † sigilli.

F. M. Phoebeus, S. R. C. secr.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Controversiam, inter dilectos filios sancti Basilii ex unâ et sancti Benedicti Ordinis monachos in Hispaniis degentes ex alterâ partibus super usu cucullae amplae, talaris, quam *floccum* nuncupant, vertentem, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ, fine debito terminare Confirmatio decreti.

cupientes, litemque super eâdem controversiâ pendentem a quibusvis iudicibus (quorum omnium et singulorum, necnon collitigantium nomina, cognomina, et qualitates, ac litis et causae huiusmodi statum et merita, ceteraque etiam speciali et individuâ mentione digna praesentibus haberi volumus pro expressis) ad nos harum serie avocantes, ac dilectum pariter filium Dionysium Mungo, abbatem dicti Ordinis sancti Basilii, specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Dionysii abbatis generalis totiusque Ordinis praedicti sancti Basilii nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositorum consilio, iuribus utriusque partis hinc inde necnon voto dilectorum filiorum capellanorum nostrorum sacri palatii apostolici auditorum auditis ac mature perpensis, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, decernimus licuisse ac licere monachis eiusdem Ordinis sancti Basilii deferre cucullam amplam, talarem et manicatam, quam *floccum* vocant, ac proinde manutenendos esse in eiusdem usu; litemque praedictam perpetuo supprimimus et extinguimus.

Praesentes litteras roborat. § 2. Decernentes pariter ipsas praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc, definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus litis huiusmodi pendentiâ, aliisque praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus, opus sit, praedictorum Ordinum, aliisve quibusvis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCLIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 decembris 1659, pontif. anno v.

CCLXXIII.

Declaratio super modo intelligendi quoddam decretum pro episcopo Curiensi et abbate monasterii de Ensylden super iurisdictione [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs per quoddam decretum die XX ianuarii MDCLVII emanatum declaravimus exemptionem in unis felicis recordationis Urbani VIII et in aliis Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in simili formâ Brevis litteris concessam dilecto filio abbati monasterii abbatiae nuncupati de Ensylden Ordinis sancti Benedicti Curiensis dioecesis esse intelligendam et restrictam ad iurisdictionem ordinariam, quae venerabili fratri episcopo Curiensi uti Ordinario competit, non autem ad iurisdictionem delegatam ex sacro Concilio Tridentino et ex constitutione recolendae memoriae Gregorii Papae XV praedecessoris pariter nostri de exemptione privilegiorum [2] eidem episcopo uti Sedis Apostolicae delegato competentem quoad visitationem ecclesiarum et quoad omnia concernentia curam animarum et sacramentorum administrationem, ita tamen, ut in istis peragendis idem episcopus exprimere teneatur, se non uti Ordinarium, sed uti Sedis Apostolicae delegatum visitare ac procedere, imposito Declaratio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Forsan legendum *privilegiatorum* (R. T.).

desuper utrique parti perpetuo silentio, et aliàs, prout in eodem decreto, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, continetur.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte praedictorum episcopi et abbatis nobis nuper expositum fuit, exorta fuerit inter ipsos episcopum ex unâ et abbatem ex alterâ partibus circa intellectum decreti seu declarationis huiusmodi controversia, quam ipsi auctoritate nostrâ dirimi plurimum desiderant: nos, specialem eisdem episcopo et abbati gratiam facere volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium memorati Concilii Tridentini interpretum, ad quam praedictae controversiae definitionem remisimus, consilio, praeviâ etiam informatione dilecti filii nostri et Sedis praedictae nuncii in dominio Helvetiorum et Rhetorum residentis, re per eosdem cardinales mature examinatâ, praenarratum decretum, sub die XX ianuarii MDCLVII editum, intelligendum esse, remanente eidem episcopo Curiensi auctoritate ordinariâ in populum et parochianos, eâdemque ordinariâ iurisdictione immediatâ in ecclesias et rectores penes Sedem Apostolicam reservatâ, iniunctâ tamen parochis comparitione ad synodum et capitula ruralia necnon competente collectarum taxatione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, salvâ semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Decretum restaurat atque declarat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confirmatio decreti.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 ianuarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXIV.

Confirmatio concordiae super controversiis inter episcopum et capitulum ecclesiae Curiensis et abbatem monasterii Dissertinensis, Curiensis dioecesis, occasione exemptionis dicti monasterii vertentibus auctoritate nuncii apostolici apud Helvetios stabilitae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae bonitatis nullo licet meritorum nostrorum suffragio praepositi, illa, quae inter personas ecclesiasticas amabilis concordiae studio provide transacta et stabilita esse dignoscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Prooemium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt venerabilis frater episcopus Curiensis, et dilecti filii capitulum et canonici ecclesiae Curiensis, necnon abbas monasterii abbatiae nuncupati Dissertinensis, dioecesis Curiensis, quod aliàs, vertentibus nonnullis inter eosdem episcopum et capitulum ac canonicos ex unâ parte et dictum abbatem ex alterâ controversiis, inita et facta fuit (reservato tamen nostro et huius sanctae Sedis beneplacito) inter easdem partes operâ atque auctoritate venerabilis fratris Federici patriarchae Alexandrini, nostri et Sedis prae-

Supplicatio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dictae in dominio Helvetiorum et Rhethorum nuncii, compositio seu transactio, prout continetur in scripturâ tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor concordiae.

« Cum in exequutionem Brevis apostolici a sanctae memoriae Urbano VIII sub die v mensis augusti MDCXLIII expediti, et a sanctae memoriae Innocentio X sub die XVII octobris MDCXLIV confirmati, super assertâ conventione de anno MDCXLI initâ inter reverendissimum dominun episcopum et capitulum Curiense ex unâ et dominos abbatem Fabariensem, Dissertinensem, Mariamontanum et Einsildensem ex alterâ parte, fuerit anno praeterito sub die XXVIII septembris MDCLV ab illustrissimo domino Federico Borromaeo nuncio apostolico eidem domino abbati Dissertinensi et conventui, praecedente reali solutione bis millium florenorum in episcopatus subsidium applicatorum, adiudicata omnimoda et totalis exemptio propterea et[1] monasterii a iurisdictione reverendissimi episcopi moderni et pro tempore existentis, unâ cum ecclesiis parochialibus earumque filialibus, quae aliàs ad dicti monasterii praesentationem vel patronatum spectabant, vel etiam nunc spectant, multaeque propterea contentiones inter praedictas partes, ratione iurisdictionis episcopalis ac praetensae et respective concessae exemptionis, exortae fuerint, multaque etiam dissidia provenerint inter communitates, magistratus et populum dictarum parochiarum et praefatum monasterium ratione iuris conferendi dictas ecclesias, quod ad ipsas communitates respective spectare asseritur; hinc est quod cupientes dictae partes ecclesiasticâ et christianâ charitate quiete et amicabiliter vivere, nullamque acatholicis facultatem praebere, qua in orthodoxae fidei discrimina inhiantes possint in eiusmodi turbis proficere, in eiusdem domini nuncii arbitrium suas omnes praetensiones supradictas remiserunt et compromiserunt; qui proinde ad infrascriptam declarationem devenit ab utrâque parte acceptandam, et non alio modo valituram nisi quatenus Sanctissimi approbationem et confirmationem sortiatur, cuius dispositioni utraque pars humillime subiacet:

I. Quod perpetuâ[1] firmâ remanente, et, quatenus opus sit, de novo concessâ, omnimodâ et totali exemptione eiusdem domini abbatis et successorum suique Dissertinensis monasterii et religiosorum ecclesiae conventualis et omnium aliorum bonorum, granciarum, pertinentiarum et quomodolibet annexorum in omnem ampliorem formam et modum (dummodo supradictis nominibus non veniant ecclesiae parochiales seu earum filiales in praeterito contractu expressae seu de novo pro curâ animarum erigendae) a iurisdictione moderni et cuiuscumque in futurum pro tempore existentis episcopi Curiensis etiam quoad confirmationem et benedictionem abbatum per Sedis Apostolicae nuncios vel per alios de ipsorum commissione catholicos antistites pro maiori abbatum commoditate gratis impendendam, reducatur praedictarum ecclesiarum et parochiarum suarumque filialium status ad iuris communis et sacrum caoonum praescriptum, itaut pristina eiusdem episcopi iurisdictio ecclesias visitandi et corrigendi tam populum quam parochos et cappellanos iisdem ecclesiis inservientes, atque causas ad tribunal ecclesiasticum quomodolibet spectantes expediendi, omniaque alia faciendi et statuendi, pleno iure pertineat, non tamen de novo acquisito, sed tantum, ac si praedicta exemptio nullum quoad hanc partem sortita fuisset effectum:

1 Voces *propterea et* videntur abundare (R. T.).

1 Forsan *perpetuo* (R. T.).

II. Quod si quando in praedictis parochiis aliquem ex religiosis monasterii Dissertinensis per dictum dominum abbatem, vel alios ad quos spectat, praesentari contigerit, is debeat iisdem exemptionibus et privilegiis gaudere, quae in simili casu cum episcopatu et abbate Wingartensi conventa sunt, vel per alias conventiones inter episcopatum et conventum et eiusdem omnimodam exemptionem ad idem monasterium Dissertinense spectant, neque, exceptis iis quae tangunt curam animarum et iurisdictionem ordinariam vel delegatam, ullum reverendissimus dominus episcopus super iisdem religiosis ius habeat:

III. Quod, contemplatione dictae reintegrationis in pristinâ episcopali iurisdictione ac cessione[1] eiusdem respectivo per dominum abbatem factâ[2], debeant idem dominus episcopus et capitulum restituere vere et realiter eidem domino abbati ac monasterio Dissertinensi florenos octingentos, firmâ et ratâ permanente ad favorem episcopatus reliquâ summâ solutâ, et in eorumdem debitorum extinctionem applicatâ; et ulterius, ut dictus episcopus magis benevolentiam suam erga dictum dominum abbatem testetur, eiusque monasterii, in quantum possit, utilitati consulat, concedit ipsi sponte, cum consensu et promissione capituli de non contraveniendo, per totum consueti studii cursum, scilicet per septem annos, unum locum pro ad ipsius domini abbatis libitum eligendo alumno in uno ex collegiis ad quae nominationem reverendissimus dominus episcopus habeat:

IV. Conveniunt et declarant, ut nullum per hoc alicui ex partibus vel aliis quomodolibet interesse habentibus, maxime circa ius nominandi, praesentandi et conferendi, praeiudicium illatum vel ius quaesitum de novo intelligatur extra illos terminos in quibus ante praeterito anno factam unionem et exemptionem respective se haberent, neque per supradictam transactionem praeterquam in expressis ullo modo aliquid de antiquis conventionibus inter partes easdem vel alias ius habentes innovatum sit, omniaque praedicta non antea suum effectum et valorem sortiri debeant quam per Sanctissimum approbata et confirmata fuerint (in quem finem utraque pars supplicare intendit), veraque et actualis solutio florenorum octingentorum intervenerit, quam illustrissimus dominus nuntius eâ conditione fieri consensit ut redditus episcopatus annui extinguendis debitis assignati nullo modo tangantur, neque novum debitum sumatur, sed de alio medio opportuno iidem reverendissimus dominus episcopus et capitulum provideant, interimque a molestiis et novitatibus contra litterarum apostolicarum obedientiam omnino abstineant.

In quorum fidem tam illustrissimus et reverendissimus dominus nuntius, quam reverendissimus dominus episcopus et capitulum Curiense ex unâ, et dominus abbas suo et conventus nomine partibus ex alterâ, se subscripserunt et sua respective sigilla apposuerunt. Actum in arce episcopi Curiensis hac die XVI octobris MDCLVI.

Federicus patriarcha Alexandrinus, nuntius apostolicus ab utrâque parte electus, ita laudavi ac declaravi, Loco † sigilli domini nuntii: Ioannes episcopus Cunensis[1], Loco † sigilli domini episcopi: Adalbertus abbas Dissertinensis nomine quoque monasterii pro quo de rato promitto, Loco † sigilli domini abbatis: NN. praepositus, decanus et capitulum Curiense, Loco sigilli capituli.

1 Potius lege *cessionis* (R. T.).
2 Cohaerenter legerem *factae* (R. T.).

1 Lege *Curiensis* (R. T.).

Quae omnia iisdem loco, die, mense et anno, ut supra, coram reverendissimo domino episcopo et capitulo Curiensi ex unâ et domino abbate Dissertinensi nomine quoque monasterii et religiosorum de rato promittere[1] partibus ex alterâ, in praesentiâ illustrissimi et reverendissimi domini nuncii supradicti lecta et bene considerata, per ipsas partes acceptata fuerunt, et inviolabiliter praefatam concordiam et compromissi tenorem observare iuramento promiserunt, atque ad maiorem corroborationem se subscripserunt, et propriis respective sigillis dictam concordiam muniverunt, meque infrascriptum notarium requisiverunt, ut unum vel plura publicum seu publica instrumentum aut instrumenta conficerem atque traderem, prout opus fuerit et requisitus ero.

Quapropter ego Balthasar de comitibus de Cartignano Montisalti dioecesis apostolicâ auctoritate notarius et huius nunciaturae cancellarius, praesentibus perillustribus ac RR. DD. Felice Paradiso filio domini Iuliani de Montealto et Francisco Maria Lezana filio domini Bernardini Vallissolidae Mediolanensis dioecesis, testibus ad id specialiter vocatis, habitis atque rogatis, qui praeinserta omnia et singula fieri et acceptari unâ mecum viderunt, et interfuerunt praesens instrumentum confici[2] propriâ manu conscripsi, meumque solitum notariatus signum apposui rogatus et requisitus.

Loco † signi.

Exponentes a censuris absolvit.

§ 2. Quare iidem episcopus, ac capitulum et canonici necnon abbas exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum sacrae congregationis confirmat Summus Pontifex.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qui praenarratam compositionem et conditiones in ipsâ contentas examinarunt, consilio, eamdem compositionem seu transactionem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, ecclesiae Curiensis ac monasterii Dissertinensis huiusmodi, et aliis quibusvis, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 ianuarii 1660, pontif. an. IV.

1 Forsan *promittente* (R. T.).

2 Potius lege *confeci*; sed aliâ prorsus interpunctione opus esse videtur; nempe: *unâ mecum viderunt et interfuerunt, praesens instrumentum confeci, propriâ manu conscripsi*, etc. (R. T.).

CCLXXV.

Quod provincia Franciae Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gal-

liae uti possit Brevi ab Urbano VIII emanato sub die XX *augusti* MDCXLI *super facultate admittendi oblatos seu servientes ad caputium et statum laicalem*[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae Franciae congregationis Gallicanae Tertii Ordiniis sancti Francisci de Poenitentiâ nuncupati, quod constitutiones generales eiusdem congregationis a Sede Apostolicâ in formâ communi confirmatae permittunt receptionem fratrum servientium seu oblatorum, qui vice caputii pileum ferant, et praeter tria vota essentialia quartum de non procurandâ aliâ conditione a suâ emittant, ac biennio integro probentur. Atque ita recepti fuerunt usque ad annum MDCXLI, quo tempore de superiorum consensu cum eisdem fratribus oblatis seu servientibus super quarto voto de non procurandâ aliâ conditione ab eâdem Sede dispensatum fuit, et superioribus permissum caputium illis concedere et ad statum laicalem eos promovere post septem annos a votis emissis et unum recollectionis, cum aliis clausulis, prout in litteris apostolicis desuper in simili formâ Brevis eodem anno expeditis dicitur contineri. Quia vero dicti fratres facti laici, aliique laici per dictas litteras nullo iure suffragiorum, nisi in receptione novitiorum eiusdem status et conditionis ad professionem, gaudere permittebantur, cum fratres laici iuxta constitutiones Ordinis suffragia dedissent tam in receptione clericorum laicorum et oblatorum seu servientium ad professionem, quam in electione discretorum ad capitula mittendorum, eâque de re conquerebantur; ideo, de consensu superiorum, eisdem fratribus laicis praesentibus et futuris, etiam a statu oblatorum ad statum laicalem assumptis vel assumendis, tale ius suffragiorum restitutum fuit per litteras apostolicas pariter in formâ Brevis die XXV maii MDCXLIV emanatas[1]; et postea, nempe die XX aprilis MDCLVI, a ministro generali facta fuit declaratio super statuto biennii novitiatus eorum ad unum dumtaxat annum reductus fuit.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut expositio subiungebat, iuxta dictas facultates omnes fratres oblati seu servientes, qui erant in totâ congregatione circa praedictum annum MDCXLI ad statum laicalem admissi fuerint et caputium receperint et una dictae congregationis provincia S. Ivonis seu Normanniae nuncupata omnes suos fratres hactenus admiserit cum uno tantum probationis anno et tribus votis solemnibus solitis, cum concessione caputii et promotione ad statum laicalem post octo annos ab emissâ professione, nemine in totâ congregatione reclamante, aut contradicente, supradicta vero provincia Franciae, seu S. Francisci, aliquot annis a receptione huiusmodi fratrum abstinuerit, sed experientia docuerit ipsam provinciam multa pati incommoda ex defectu talium fratrum, ideoque nuperum capitulum provinciale eiusdem provinciae Franciae eorum receptionem iuxta dictas facultates et ad instar dictae provinciae S. Ivonis seu Normanniae faciendam esse decreverit: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie ab- Decernit prout in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Male edit. Main. legit *emanatis* (R. T.).

solventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem diligenter et mature discusserunt et examinarunt, consilio, eidem provinciae Franciae suffragari, ipsamque uti posse litteris felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis die XX augusti MDCXLI emanatis super facultate admittendi oblatos, seu servientes, ad caputium et statum laicalem, servatâ tamen in omnibus formâ earumdem litterarum; et, quoad ius suffragandi, servatâ pariter formâ litterarum etiam in formâ Brevis eiusdem Urbani, die XXV maii MDCXLIV et recolendae memoriae Innocentii Papae X praedecessoris pariter nostri die VI aprilis MDCXLVIII respective expeditarum; quo vero ad dispensationem seu declarationem ministri generalis Ordinis Minorum factam die XX aprilis MDCXLVI quod sufficiat unus annus novitiatus, servandas omnino esse constitutiones praefati Tertii Ordinis congregationis Galliae, ex quibus requiritur biennium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contrariorum derogatio. § 4. Non obstantibus in contrarium allatis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 2 ianuarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXVI.

Nonnullae declarationes super controversiis inter generalem Ordinis Minorum de Observantiâ, et provincialem provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis provinciae Ss. Ludovici et Elzearii fratrum tertii Ordinis sancti Francisci, quod definitorium capituli generalis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, die XV iunii MDCLVIII, ordinavit, ut deputaretur commissarius, sicut fuit deputatus dilectus pariter filius Eutropius Bertrandus frater recollectus secundodicti Ordinis, ad gubernandos conventus dicti tertii Ordinis qui erant in Aquitaniâ independenter a iurisdictione ministri provincialis, cum auctoritate alia statuendi in praeiudicium dictae iurisdictionis, quibus opportune providit congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita per suum decretum die XXIV ianuarii MDCLIX emanatum, et per nostras in simili formâ Brevis litteras die XI februarii subsequentis confirmatum, amovendo dictum commissarium a ministro generali secundodicti Ordinis deputatum, et declarando provincialem exercere debere suam iurisdictionem in totâ provinciâ, etiam in conventibus Aquitanis; a quibus tamen decreto et litteris quidam fratres dictae provinciae appellarunt ad nos melius informandos, atque protestati sunt de nullitate erectionis eiusdem provinciae, licet a quadraginta quinque annis circiter factae, et de electione ministri provincialis Supplicatio.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

et officialium, ac de celebratione futuri definitorii provincialis, cum tamen nulla legitima causa fuerit talis protestationis faciendae, tum quia eadem congregatio et postea felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster die XXVI maii MDCXLIX declaraverant fuisse rite et bene erectam dictam provinciam, tum quia electiones ministri provincialis et aliorum officialium canonice factae fuerunt, absque ullo defectu, sicut memoratae congregationi ostensum fuisse asseritur. Quinimo, tacito praefato decreto die XXIV ianuarii emanato, inscio et minime citato ministro provinciali praedicto, sub assertis quibusdam narrationibus, dilectus etiam filius Leo Tolosanus frater dicti tertii Ordinis per subreptionem obtinuit ab eâdem congregatione die XXIV februarii decretum etiam per nostras in formâ Brevis litteras die XXII martii proxime praeteriti confirmatum, ut mitteretur ad dictam provinciam commissarius cum potestate alternativam * provincialem aut commissarium nationalem concedendi Aquitanis, et alia plura statuendi in praeiudicium constitutionum generalium praefati tertii Ordinis, consuetudinis provinciae, et iurisdictionis ministri provincialis, quibus omnibus providit praefata cardinalium congregatio per suum decretum sub die XX iunii proxime praeteriti editum. Attentis autem pluribus excitatis a praedicto Leone Tolosano in partibus Aquitanis, eadem congregatio per suum decretum die XXIII martii proxime praeteriti mandavit ipsi ministro provinciali supradictae provinciae tertii Ordinis quatenus assignaret conventum extra Aquitaniam dicto Leoni Tolosano, sicuti assignavit conventum S. Ludovici penes Lugdunum, praecepitque ei et eius socio dilecto pariter filio Didaco Pisquasquensi laico, ne sub poenis apostasiae secederent in partes Aquitaniae: sed iidem Leo et Didacus nihilominus ausi sunt petere Tolosam seu pergere in partes Aquitaniae. Ac insuper dilectus filius minister generalis secundodicti Ordinis praedictum Leonem Tolosanum ad pristina iura (ut fertur) rehabilitavit et restituit; quibus etiam supra memoratis providit saepedicta congregatio per aliud suum decretum die XI iulii proxime praeteriti emanatum.

* Sic.

Petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, occasione dictorum decretorum quaedam difficultates inter praedictum ministrum generalem ex unâ et dictum ministrum provincialem exponentes ex alterâ partibus ortae sint, quas ipsi pro bono pacis sopiri plurimum desiderant; nobis propterea iidem generalis et provincialis ministri humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos generalem et provincialem ministros specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de praefatorum cardinalium, qui omnia praefata et praesertim appellationem per fratres Aquitanos et alios interpositam viderunt, remque, partibus informantibus et praecipue praedicto ministro generali Ordinis Minorum de Observantiâ, mature discusserunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus standum esse in decretis per eorumdem cardinalium congregationem sub die XXIV ianuarii MDCLIX cassanda et irritanda esse omnia acta et gesta per supradictum Eutropium Bertrandum commissarium aliàs per ministrum generalem deputatum et ab eâdem congregatione amotum, exceptis litteris obedientialibus fratribus Aquitanis concessis pro transitu de uno in alium

Standum esse in decretis sacrae congregationis declarat et statuit Summus Pontifex.

locum, et reducenda esse omnia ad eumdem statum, in quo erant ante eius ingressum in provinciâ, prout per praesentes cassamus, irritamus et reducimus; licere ministro generali deputare visitatores seu commissarios, dummodo in futurum de eodem tertio Ordine congregationis Gallicanae deputentur (salvis tamen iuribus successorum in generalatu); iuxta consuetudinem, seu consuetam petitionem a definitorio faciendam, posse quoque ministrum provincialem deputare praesidem seu commissarium pro celebratione futuri proximi definitorii provincialis. Porro benigne concedimus, ut, quando in Aquitaniâ numerus conventuum fuerit auctus usque ad octo, possit ad nos seu ad eamdem cardinalium congregationem haberi recursus pro opportunâ provisione; interim autem volumus, quod omnes subiaceant iurisdictioni ministri provincialis, imponendo super praemissis perpetuum silentium, et signanter tam super validitate erectionis dictae provinciae (quam iam aliàs memoratus Innocentius praedecessor sub die XXVI maii MDCXLIX declaravit fuisse semper bene erectam) et electione etiam legitimâ ministri provincialis et aliorum officialium, quam super omnibus aliis praenarratis. Praeterea declaramus pariter et decernimus standum esse in decretis per dictam congregationem sub die XIII martii proxime praeteriti, et praecipiendum sicuti per praesentes praecipimus stricte praedicto Leoni Tolosano et eius socio Didaco Pisquasquensi laico, quatenus, post tres dies a significatione earumdem praesentium, secedant rectâ viâ absque ullâ morâ et diversiculis in conventum S. Ludovici penes Lugdunum sibi a ministro provinciali assignatum, subiaceantque in omnibus et per omnia iurisdictioni ministri provincialis iuxta declarationem factam a ministro generali sub die XIII septembris currentis anni, non obstantibus eorum oppositionibus, appellationibus et aliis quibuscumque; nec suffragetur aliter eidem Leoni rehabilitatio a dicto ministro generali concessa, nisi a poenâ privationis actuum legitimorum incursâ pro suâ inobedientiâ contumaci, non vero ad alios casus iuxta eamdem declarationem ministri generalis; salvis in omnibus aliis iuribus dictorum ministrorum generalis et provincialis. Et ut praefata omnia plenum consequantur effectum, venerabilibus fratribus Lugdunensi [1] et Tolosano archiepiscopis, et dilectis filiis eorum officialibus, seu alteri ex ipsis, per praesentes committimus, ut sub censuris et aliis eorum arbitrio poenis praedicta omnia auctoritate nostrâ executioni demandari facient et mandent.

Executores deputat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc., et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Litteras huiusmodi confirmat.

§ 4. Non obstantibus oppositionibus, appellationibus et aliis quibuscumque in contrarium deductis, et praecipue decreto dictae congregationis XXIV februarii proxime praeteriti a memorato Leone Tolosano obtento, et per nostras in simili formâ Brevis litteras die XXII martii subsequentis confirmato, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, etc., et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 ianuarii 1660, pontif. anno V.

[1] Male edit. Main. legit *Lugdunum* (R. T.).

CCLXXVII.

Praeceptum nunciis apostolicis pro tempore apud Helvetios commorantibus circa consignationem scripturarum nunciaturae successori faciendam[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Cum, sicut venerabilis frater Federicus patriarcha Alexandrinus, noster et Sedis Apostolicae in dominio Helvetiorum et Raetorum nuncius, nobis nuper exponi fecit, ipse plurimas scripturas directionem illius nunciaturae ac conservationem iurisdictionis ecclesiasticae concernentes variis ex locis, adhibitâ exactâ diligentiâ, recuperaverit et collegerit, illasque in formam archivii redegerit, et in multa magna volumina cum suis indicibus et quovis alio apto ordine ad faciliorem pro rei et casus exigentiâ earumdem scripturarum usum compingi curaverit seu compingi facere intendat, maxime vero intersit dictas scripturas conservari, ne ad alias quam pro tempore existentium in memorato dominio nostrorum et Sedis praefatae nunciorum manus deveniant[2]: idcirco nos in praemissis opportune providere ac eumdem Federicum patriarcham et nuncium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Federico praedicto et aliis futuris pro tempore nostris et dictae Sedis Apostolicae in eodem dominio Helvetiorum et Rhetorum nunciis, sub nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrii poenis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut ipsorum quolibet[1] suo in dictâ nunciaturâ successori scripturas et volumina huiusmodi conservare et consignare ac de illorum consignatione per eos faciendâ a successoribus suis in eâdem nunciaturâ, quibus illa consignaverint, quietantiam authenticam reportare omnino debeant.

Statuit ut in rubrica.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 ianuarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXVIII.

Moderatio constitutionis ne monachi Ordinis sancti Benedicti congregationis Portugalliae sacros ordines suscipiant ante lapsum sexennii ab ingressu religionis, etc.[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Rangel, abbas generalis congregationis Portugalliae monachorum Ordinis sancti Benedicti, quod aliàs per quamdam constitutionem in quodam capitulo generali dictae congregationis editam, non tamen a Sede Apostolicâ approbatam, prohibitum fuit, ne monachi eiusdem congregationis, nisi post sexennium ab ingressu religionis sacros ordines susciperent.

Motiva

§ 2. Cum autem, sicut eadem exposi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *deveniat* (R. T.).

1 Videtur legendum *quilibet* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tio subiungebat, prohibitio huiusmodi in capituli generalis dictae congregationis novissime celebrato relaxata fuerit, eo quod multi presbyteri ipsius congregationis proxime praeteritis annis obiisse reperiuntur, ipsaque congregatio proinde penuriam patitur sacerdotum, qui missas perpetuas illi incumbentes celebrent: nobis propterea praedictus Vincentius abbas generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris absolvitur Vincentius. § 3. Nos igitur, ipsum Vincentium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut, ad quinquennium proximum tantum, monachi congregationis praefatae, licet sexennium ab eorum ingressu eamdem congregationem praeteriisse minime reperiatur, nihilominus sacros ordines, servatis aliâs servandis, suscipere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decreti confirmatio. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 15 ianuarii 1660, pontif. anno v.

CCLXXIX.

Quod fratres Minores de Observantiâ sancti Francisci provinciae Valentiae non possint transire ad Recollectos absque licentiâ ministri provincialis.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Aliâs pro parte dilecti filii Iacobi Quintana, procuratoris provinciae Valentiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ noncupatorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod (vigore concordiae dudum inter fratres Minores de Observantiâ nuncupatos ex unâ et fratres Recollectos provinciae et Ordinis praedictorum ex alterâ partibus initae et a felicis recordationis Gregorio Papae XIII praedecessore nostro confirmatae, qua cavetur, quod fratres, qui ex domibus non recollectis ad recollectas transire voluerint, consensum prius in scriptis habeant guardiani et conventus domus ad quam transire intenderint; consensus vero huiusmodi per vota secreta exquiratur, et, eo obtento, licentia humiliter petatur a ministro provinciali transeundi ad praedictam domum, quam ipse minister benigne concedere teneatur) multi non zelo virtutis, nec ut ferventius Deo servire possent, sed per voluntatis inconstantiam et mutabilitatem tenderent ad aliquem conventum recollectorum et acciperent vota; ac licet minister provincialis videret talem transitum esse contra bonum regimen dictae provinciae et nullo modo convenire, ipso invito transirent ad recollectos, freti particulâ supradictae concordiae, qua dicitur quod *minister provincialis licentiam concedere teneatur;* et in eâdem expositione subiuncto, hoc videri esse contra mentem dicti Gregorii praedecessoris et religionem, ideoque ad tales abusus evitandos dictae congregationi supplicato, ut declaret[1] dictam particulam, ita scilicet ut minister pro-

1 Legerem *declararet* (a. t.).

vincialis eiusmodi licentiam concedere teneatur *si iudicaverit secundum Deum ita expedire et non aliter*, et sic de aliis affirmativis et negativis in eâdem concordiâ positis: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. « Sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac audito ministro generali Ordinis huiusmodi, circa praemissa declarandum censuit, prout praesentium tenore declarat et decernit, ex vi praecitatae clausulae in memoratâ concordiâ a Gregorio XIII confirmatâ appositae, ministrum provincialem provinciae praedictae pro tempore existenten ad concedendum licentiam eiusmodi transitus non teneri nisi quando secundum Deum illam concedere iudicaverit expedire, et sic de aliis affirmativis et negativis in eâdem concordiâ contentis: quibuscumque in contrarium non obstantibus. Romae XIX decembris MDCLIX.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Iacobus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum Iacobum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

Decreti confirmatio.

§ 4. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Praesentes litteras observari mandat.

§ 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. 22 ianuarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXX.

Confirmat decretum capituli generalis congregationis Hispaniarum fratrum Discalceatorum nuncupatorum sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, scilicet quod praelati locales seu conventuales non amplius habeant vota in capitulis generalibus, sed solum superiores generales, diffinitores generales, provinciales, et socii seu discreti.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad pastorale fastigium, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, illis, quae pro felici prosperoque congregationum virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris religionis iugo mancipatorum regimine et gubernio provide et salubriter decreta et constituta esse conspicimus, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis Hispaniarum fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod iidem fratres in eorum capitulo generali, die X maii proxime praeteriti in civitate Toletanâ celebrato, qui iuxta litteras apostolicas in simili formâ Brevis per dictam congregationem obtentas intervenerunt,

et in quo vocales fuerunt dilecti pariter filii minister generalis, diffinitores generales, provinciales et ministri conventuales ipsius congregationis, considerantes eamdem congregationem benedicente Domino dilatam[1] esse in tres provincias et plurimas domos inter se valde distantes, quippe in regnis Castellae, Beticae, Aragoniae, Navarrae, Cataloniae et Valentiae positas; constitoque ipsis per experientiam, occasione accessus ministrorum conventualium ad capitulum generale, longissima itinera suscipi, magnasque fieri expensas, quin etiam propter diuturnam illorum a conventibus absentiam minus vigere in eis regularem observantiam; ac perpenso eos, quos vocales assignari ut infra petitur, maioris esse observantiae, doctrinae et experientiae, necnon animadvertentes in multis religionibus, tam antiquitus quam non ita pridem institutis, praelatos locales seu conventuales non concurrere nec habere vota in capitulis generalibus,[2] provinciales et socios seu discretos, prout fratres Discalceati nuncupati Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo et Eremitarum sancti Augustini respective observant; aliisque demum mature discussis et ponderatis:

Statuta. § 2. Statuerunt et decreverunt per secreta suffragia, quod ministri conventuales dictae congregationis non adeant capitulum generale ipsius congregationis, quod de triennio in triennium celebratur, nec in eo habeant vota; item quod obtineri debeant ab hac S. Sede litterae apostolicae approbationis et confirmationis huiusmodi determinationis, cum derogatione quarumvis aliarum apostolicarum in formâ Brevis litterarum eidem determinationi contrariarum; praeterea a nobis petendum esse ut assignemus pro vocalibus capituli generalis eiusdem congregationis ministrum generalem, definitores generales, provinciales, et unum socium pro unâquaque provinciâ ipsius congregationis, ut cum provinciali veniens ferat vocem provinciae, qui tamen socius debeat esse unus ex ministris conventualibus ipsius provinciae; ad haec, quod post obtentas a nobis confirmationis huiusmodi litteras, pro hac primâ vice, et pro capitulo proxime celebrando, praedictus socius pro unâquaque provinciâ eligatur per secreta suffragia a ministro generali, et a duobus definitoribus generalibus, necnon provinciali illius provinciae, pro qua eligetur socius; a capitulo vero proxime futuro fiat electio socii pro unâquaque provinciâ post finitas electiones praelatorum, concurrentibus tantum ad dictam electionem ministro generali, duobus definitoribus, provinciali illius provinciae, et socio iam tunc existente in capitulo; si autem per mortem, inhabilitatem, vel aliam iustam causam dictus socius sic pro unâquaque provinciâ in capitulo generali electus non potuerit intervenire, et adesse capitulo successive futuro, tunc electio novi socii fiat a ministro generali, et duobus definitoribus generalibus existentibus pro illâ provinciâ, et a provinciali ipsius provinciae, cui defecerit socius, et hoc per secreta suffragia ante capitulum tempore sufficienti, ut socius sic electus possit accedere ad capitulum ».

§ 3. Quare idem procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum et decretum huiusmodi a dicto capitulo gene- Procuratorem generalem consuetis absolvit Summus Pontifex.

1 Forsan *dilatatam* (R. T.).

2 Videtur deesse particula *sed* (R. T.).

rali, sicut praemittitur, editum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 4. Praeterea in vocales capituli generalis dictae congregationis ministrum generalem, diffinitores generales, provinciales, et unum socium pro unâquaque provinciâ ipsius congregationis, qui unâ cum provinciali veniens ferat vocem provinciae, et debeat esse unus ex ministris conventualibus ipsius provinciae, sicut per statutum et decretum supra expressum petitur, auctoritate et tenore praefatis assignamus.

Decretum irritans. § 5. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus praemissis, necnon felicis recordationis Clementis VIII quae incipiunt *Ad militantis Ecclesiae regimen*, die XX augusti MDXCIX, et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quarum initium *In supremo militantis Ecclesiae solio*, die XIV augusti MDCXIII respective emanatis in simili formâ Brevis litteris, per quas conceditur, quod ministri conventuales habeant vocem in capitulo generali dictae congregationis, et aliis ordinationibus et constitutionibus apostolicis, ac eiusdem congregationis, illiusque provinciarum, domorum et conventuum quorumvis, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides adhibeatur ubique in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 februarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXI.

Declaratio Brevis sanctae memoriae Innocentii X super modo recipiendi et profitendi novitios in monasteriis reformatis Congregationis del Tardon, *Ordinis sancti Basilii Magni.*

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Aliàs pro parte dilecti filii Francisci a Iesu, procuratore generali Congregationis seu provinciae reformatae *del Tardon* nuncupatae monachorum Ordinis sancti Basilii Magni in Hispaniâ, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositis exposito, quod felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, per quasdam suas super reformatione monachorum dictae Congregationis die XXIII septembris MDCIII expeditas in simili formâ Brevis litteras, quarum initium *Altissimi dispositione*, etc., quo vita communis et regularis observantia rectius et strictius inter multos posset observari, voluerat ut omnes conventus Congregationis huiusmodi numerosam monachorum multitudinem habere procurarent, nec in unoquoque monasterio minor vigintiquatuor monachorum numero haberi posset; Motiva.

§ 1. Et quia tempore eiusdem S. Basilii paucissimi fuerant sacerdotes, imo fere omnes laici extiterant, excepto abbate,

qui etiam aliquando laicus fuisse reperiebatur, et ita omnes communiter psallebant, quod ipsius Clementis praedecessoris tempore propter maiorem intelligendi latinam, quam tunc graecam linguam, difficultatem maioremque officii romani in choro prolixitatem fieri non poterat, idem Clemens praedecessor, mediam et suis temporibus convenientem viam sequutus, licet maiorem et principaliorem partem monachorum ex laicis esse vellet, prout per easdem litteras voluit et ordinavit, sufficientes tamen choristas et sacerdotes ad chori et divinorum officiorum ministeria haberi permiserat, ut ita alii aliorum operâ adiuvarentur, quodque, quia in dictis litteris non fuerat statutum qualis esset numerus sacerdotum et choristarum sufficienter ad supradicta, indeque aliae dissensiones inter monachos laicos ex unâ parte et sacerdotes et choristas ex alterâ ortae fuerant, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster, per binas suas pariter in formâ Brevis litteras, ultimas quidem die XXVII aprilis MDCXLI expeditas, quae incipiunt *Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi*, etc., praeceperat numerum sacerdotum esse tantum quartam partem, tam in duobus monasteriis erectis, quam in futurum erigendis; petentes vero habitum religionis excludi absque voto capituli conventualis non posse; et, ut tolleretur controversia circa modum recipiendi tam sacerdotes et choristas quam laicos, mandaverat quod omnes, qui vellent ingredi religionem pro laicis, si haberent requisita reciperentur, et ad proportionem laicorum reciperentur sacerdotes pro quartâ parte, ut scilicet si recepti fuissent tres laici, reciperetur unus sacerdos vel chorista;

§ 2. Quodque, cum monachi sacerdotes ad piae memoriae Innocentii Papae X praedecessorem pariter nostrum pro maiori numero monachorum eorum status recurrissent, idem Innocentius praedecessor per suas in simili formâ Brevis die XIV octobris MDCXLVI[1] expeditas litteras, quarum initium *Pastoralis officii*, etc., assignato numero praefixo monachorum pro quolibet monasteriorum antiquorum S. Basilii *del Tardon* et S. Antonii del Valle, voluerat eorumdem monachorum duas partes esse semper ex laicis, et tertiam partem respective ex sacerdotibus et choristis, interea tamen, quamdiu sacerdotes et choristae dictam tertiam partem non implevissent, alternative ad professionem reciperentur, id est, unus sacerdos et chorista, et alter laicus, et sic successive: postquam vero dictam tertiam partem complevissent, nullus pro utroque statu reciperetur amplius, nisi illi tantummodo, qui desiderarentur, ut dictae tres partes intra numerum pro quolibet monasterio assignatum perseverarent, usquedum monasteria reducerentur ad numerum nonaginta et octoginta respective; illi vero, qui ex dicto numero in huiusmodi monasteriis tractu temporis deessent, indistincte reciperentur usquedum numerus praefixus pro choristis et laicis completus esset;

§ 3. Pro monasteriis autem de novo fundandis capitulum provinciale assignaret numerum monachorum, qui in quolibet eorum commode sustentari posset, ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, sessione XXV, *De regularibus*, cap. III, et quoad receptionem noviciorum ordo supradictus in illis observaretur; professiones vero in huiusmodi provinciâ aliter factae nullius roboris existerent, nullamque in sic professo obligationem inducerent; ac praemissa ab omnibus, quos illa concernerent, exacte et sub poenis contentis in praedictis Urbani praedecessoris litteris die XXVII aprilis MDCXLI expeditis observari mandaverat;

1 Male edit. Main. legit 1746 (R. T.).

§ 4. Et in eâdem expositione subiuncto quod in monasteriis S. Mariae *del Buon successo del Ratamal* et S. Michaëlis de Brenna congregationis seu provinciae huiusmodi postea fundatis provinciales et praelati ad usum deduxerant, ut in illis reciperetur et professionem faceret unus chorista et unus laicus, dicentes hoc modo esse intelligendas et exequutioni esse demandandas praedictas Innocentii praedecessoris litteras, quousque sacerdotes et choristae adimplerent tertiam partem numeri praefixi pro quolibet monasterio, et hoc modo professi essent et profiterentur multi, quod clare et manifeste apparebat contra disposita et ordinata in dictis Innocentii praedecessoris litteris disponentibus ut duae partes essent semper ex laicis et tertia pars respective ex sacerdotibus et choristis, quia alternativa de recipiendo ad professionem choristam et statim laicum fuerat solum ordinata pro duobus monasteriis antiquioribus S. Basilii eremi *del Tardon* et S. Antonii *del Valle* ad reducendum monachos laicos de tribus ex quatuor partibus, et augendum sacerdotes et choristas de quartâ parte, in qua erant, ad tertiam; quodque in praedictis duobus monasteriis antiquioribus S. Basilii eremi *del Tardon* et S. Antonii *del Valle* tractu longi temporis in recipiendo unum choristam et unum laicum evenerat numerum monachorum laicorum esse minorem duabus ex tribus partibus, et superiores pro observantiâ praedictorum Innocentii praedecessoris litterarum requisiti hoc agere recusarent;

Supplicatio. § 5. Ac propterea supplicato memoratis cardinalibus ut declararent modum habendum in recipiendo et ad professionem admittendo novitios in dictâ congregatione, tam in monasteriis antiquioribus, quam in aliis deinde fundatis et in posterum fundandis, iuxta legitimum et verum sensum, et an recipi deberent in monasteriis noviter fundatis et in futurum fundandis unus chorista et statim unus laicus, vel duo laici et unus chorista a principio; utque mandarent observari praedictas litteras Innocentii praedecessoris iuxta litteras in suo vero et legitimo sensu, et quod superior vel monachus in aliquo contraveniens ipso facto incurreret poenas inflictas a praedictis Urbano et Innocentio praedecessoribus: emanavit ab eorumdem cardinalium congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra congregatio Innocentii X bullam declarat atque exponit. § 6. « Sacra Congegatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, et re, eminentissimo Carpineo referente, mature discussâ, censuit quoad numerum monachorum in monasteriis Congregationis S. Basilii *del Tardon* servandas esse (prout servari sub infrascriptis poenis mandat et praecipit) praecitatam bullam sanctae memoriae Innocentii X, necnon litteras in formâ Brevis sanctissimi domini nostri Alexandri Papae VII, et in recipiendis novitiis ac ad professionem admittendis huiusmodi ratio habeatur, ut nunquam in dictis monasteriis extent ultra duas partes monachorum ex laicis et tertiam ex sacerdotibus, seu choristis, et dictum numerum ullo unquam tempore, nullâque ex causâ excedere possint, praedictaque locum habere tam in monasteriis iam erectis, quam in illis quibuscumque et quandocumque de novo erigendis, sub excommunicationis sanctae Sedi Apostolicae reservatae ac privationis vocis activae et passivae dictae Congregationis superioribus et aliis quibuslibet, ad quos spectat, aliter facientibus vel fieri permittentibus seu mandantibus poenis eo ipso incurrendis; contrariis quibuscumque non obstantibus ». Romae die XVI ianuarii MDCLX.

Supplicatio

§ 7. Cum autem, sicut praedictus Franciscus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Confirmat Summus Pontifex.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae seu congregationis reformatae huiusmodi, eiusque monasteriorum quorumvis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, etc., hac vice dumtaxat specialiter et et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides habenda.

§ 10. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI februarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 16 februarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXII.

Ut electio vicarii generalis congregationis Hispaniarum et Indiarum fratrum Augustinianorum Discalceatorum fiat servatâ inter quatuor provincias congregationis huiusmodi alternativâ, itaut, eveniente casu quo vocales Indiarum capitulo tempori adesse non valeant, tunc unus frater provinciae subsequentis in ordine in vicarium eligi debeat[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae catholicae regimini, auctore Deo, praesidentes, ad ea, per quae felici congregationum virorum leve Christi ingum sub arctioris vitae regulâ trahentium directioni et gubernio consulitur, propensis studiis intendimus, illaque libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidio constabilimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis Hispaniae et Indiarum fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quod in eiusdem congregationis capitulo generali, novissime in oppido Civitate nuncupato de Calayud in Aragonia celebrato, determinatum fuit, pro maiori quiete electionis vicarii generalis dictae congregationis huiusmodi, servatâ inter B. Mariae Virginis in Columna Aragoniae et S. Augustini Castellae novae et veteris necnon S. Thomae de Villanova Beticae superioris et inferioris ac S. Nicolai Tolentinatis respective nuncupatas insularum Philippinarum in Indiis provincias congregationis praefatae alternativâ, sicut in congregatione Italiae fratrum Discalceatorum eiusdem Ordinis observatur, in-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cipiendo a memoratâ provinciâ Aragoniae, fieri debere; ita ut, eveniente casu quo vocales Indiarum capitulo pro tempore celebrando tempori adesse non valeant, tunc unus fratrum provinciae subsequentis iuxta ordinem supra expressum in vicarium generalem primodictae congregationis eligi debeat. Quare dictus procurator generalis dilectorum filiorum fratrum provinciarum praedictarum nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem procuratorem generalem et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praenarratam alternativam electionum vicarii generalis congregationis huiusmodi, tamquam religiosorum tranquillitati et bono regimini memoratarum provinciarum proficuam et consentaneam, modo et formâ supra expressis, quatenus, ut asseritur, in capitulo generali novissime celebrato legitime fuerit obtenta, auctoritate[1], tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac iuxta praefati capituli decretum desuper emanatum fieri et observari circa eamdem alternativam mandamus et praecipimus.

Concessio.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, congregationis Hispaniae et Indiarum eiusque provinciarum huiusmodi, et aliis quibusvis, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Deest *apostolicâ* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 februarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXIII.

Confirmatio quorumdam decretorum capituli provincialis provinciae S. Ioannis[1] Tertii Ordinis sancti Francisci in Gallia, per quae providetur diversis casibus per statuta generalia omissis in casu mortis provincialis et vacationis officiorum definitorum actualium dictae provinciae, nempe ut alii certâ formâ subrogentur[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres provinciae S. Ivonis in Gallia Tertii Ordinis sancti Francisci, quod ipsi in eorum capitulo provinciali congregati, ad evertenda[3] gravia continuorum tam ad hanc Sanctam Sedem quam ad dilectum filium ministrum generalem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in occurrentibus casibus quibus per statuta generalia primodicti Ordinis provisum non est recursuum inconvenientia, nonnulla decreta semel iterumque, consentiente eodem ministro generali, unanimiter ediderunt tenoris qui sequitur, videlicet:

« Si provincialem ministrum in officio mori contigerit, guardianus loci, ubi obierit, et secretarius defuncti, scripturas quascumque ad provinciam et negotia quovis

1 In textu legitur *S. Ivonis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Potius lege *avertenda* (R. T.).

modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus provinciae et loci sigillis bene munitas, ad provincialem novissime absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in religione patrem qui provincialatus vel provinciae vicariatus, vel utriusque defectu, qui definitoriatus officio functus fuerit, unà cum sigillis provinciae deferant et assignent; praedicta vero, ubi provincialis absolutus aut unus ex supradictis iuxta praescriptum ordinem acceperit, is absque morâ convocato definitorio faciet vicarii provincialis electionem, in qua votum activum ipse cum definitoribus, tam actualibus, quam qui olim facere[1], habebit; passivum vero omnes quos ad provincialatum habere statuta decernunt: quod si minister generalis intra tres dies consistat, consulendus est, et eius responsio expectanda; si tamen longius absit, eo inconsulto fiat electio: in capitulo autem provinciali proxime sequenti, si biennio integro seu in duobus definitoriis consecutivis provinciae vicariatu functus fuerit, ad provincialatum minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti ex-provincialatus iure gaudeat.

Si quis definitor actualis moriatur, sive aliâ ratione vacaverit, eius loco subrogetur et pro subrogato habeatur ipso facto qui antiquior in religione provincialatus vel vicariatus provincialis, et, iis deficientibus, definitoriatus munere aliàs functi sunt; si vero tales defuerint, subrogentur guardiani actuales in religione antiquiores; subrogatus autem ultimum locum in consessu habeat inter reliquos definitores, et in capitulo provinciae proxime subsequenti ad huiusmodi definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extitit seu duobus definitoriis adfuerit ».

Confirmantur. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes decreta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui praeinserta decreta attente ac mature discusserunt et examinarunt, consilio, eadem decreta, tamquam provinciae praefatae bono regimini consentanea, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac proinde iuxta eorum formam et tenorem in casibus expressis, perpetuis futuris temporibus, in eâdem provinciâ observari mandamus et praecipimus.

Praesentes litteras esse validas. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, primodicti Ordinis et provinciae, aliisque quibusvis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 februarii 1660, pontif. anno V.

1 Videtur legendum *fuere* pro *facere* (R. T.).

CCLXXXIV.

Absolutio et dispensatio super minus canonicâ consecratione impensâ et respective susceptâ ab episcopis civitatum Assumptionis et Tucumanensi in Indiis Occidentalibus[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

Motiva. § 1. Aliàs pro parte venerabilis fratris episcopi civitatis Assumptionis nuncupatae provinciae Paraquariensis in Indiis Occidentalibus congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum exposito, quod ipse episcopus possessionem ecclesiae civitatis Assumptionis huiusmodi apprehendisset, et a venerabili etiam fratre episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non praesentatis litteris apostolicis provisionis et praefectionis suae in episcopum eiusdem ecclesiae, quae tamen revera concessae prius et expeditae fuerant, deque ipsâ concessione et expeditione praeviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat; quodque consecratio huiusmodi ab unico praedicto episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus de capitulo canonicis, peracta fuisset, non exhibito apostolico dispensationis indulto, quod tamen re ipsâ pridem concessum fuerat et sub aliquali huius concessionis notitiâ aut saltem praesumptione (quia scilicet Sedes Apostolica solita sit circa numerum episcoporum dispensare cum episcopis consecrandis in Indiis) praenarrata consecratio facta fuerat; ac quaesito:

Quaesita. I. An praedicta possessio, non praesentatis litteris apostolicis apprehensa, fuerit legitima;

II. An praenarrata consecratio, ut supra peracta, fuerit valida;

Responsa. Praefata cardinalium congregatio, die quidem primâ septembris MDCLVII, respondit: Ad primum, non fuisse legitimam: Ad secundum vero eadem congregatio die XV decembris dicti anni, re mature discussâ, secundum ea quae proponebantur, respondit supradictam consecrationem episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad sacramentum et impressionem characteris, fuisse validam; quantum vero spectat ad licitam executionem ordinis, fuisse irritam et inanem, et episcopum ita consecratum, ac respective consecrantem, indigere absolutione et dispensatione.

§ 2. Quare pro parte eorumdem civitatis Assumptionis et Tucumanensis episcoporum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum statui opportune in praemissis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio. § 3. Nos igitur, specialem eisdem episcopis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, ipsos civitatis Assumptionis et Tucumanensem episcopos, et eorum singulos, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis sicut praemittitur peractae quoquo modo respective incursis, et quas ipsi incurrisse dici, censeri, praetendi vel intelligi possent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, absolvimus et plenarie liberamus; ac cum eisdem episcopis et eorum singulis super irregularitate per eos praemissorum occasione quomodolibet contractâ, ita quod illâ et eisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis respective obstet impedimentum, clericali charactere, quo aliàs rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, necnon sacris subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordinibus, etiam in altaris mi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nisterio ministrare, episcopaliaque munia obire, exequi et exercere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis dispensamus.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenitentiae per episcopos adimpleri mandat. § 5. Volumus autem ut dicti episcopi poenitentiam, quam eis respective sacerdos idoneus propter praemissa imposuerit, omnino adimpleant, alioquin praesentes quoad absolutionem eis in foro conscientiae nullatenus suffragentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo die Piscatoris, XXVII februarii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 27 februarii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXV.

Aggregatio monasteriorum S. Viti de Urbe, Claraevallis de Castagnola Senogalliensis, Casaemarii Verulanensis, Fossaenovae Terracinensis, de Ferraria Theanensis, Regalisvallis Nolanensis, ac Caesanovae Aprutii Penensis, seu nullius, respective dioecesis, et eorum religiosorum, congregationis Romanae Cisterciensium, cum congregatione Italiae provinciae Tusciae eiusdem religionis, sub directione et gubernio patrum regiminis nunc et pro tempore existentium dictae provinciae Tusciae, cum diversis pactis et conditionibus[1].

Alexander Papa VII.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pastoralis officii humilitati nostrae divinitus crediti ratio postulat, ut paternam christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum curam gerentes, ea libenter concedamus, quae felici prosperoque illorum regimini et gubernio conducibilia fore in Domino arbitramur.

Expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Vincentius Burellus, abbas praeses congregationis Romanae, et Ferdinandus Ughellus, abbas monasterii Ss. Vincentii et Anastasii *ad tres fontes* procurator congregationis Italiae et provinciae Tusciae monachorum Ordinis Cisterciensium, quod idem Vincentius praeses ceterique superiores dictae congregationis Romanae unà cum superioribus congregationis Italiae provinciae Tusciae Ordinis huiusmodi, praeviâ maturâ deliberatione, tractatum inter se habuerunt, ut quaedam monasteria, videlicet S. Viti de Urbe, Claraevallis de Castagnola Senogalliensis, Casaemarii Verulanensis, Fossaenovae Terracinensis, de Ferraria Theanensis, Regalisvallis Nolanensis, ac Casaenovae Aprutii nuncupatae, Pennensis, seu nullius, respective dioecesis, atque eorum religiosi unirentur et aggregarentur praedictae congregationi Italiae sub directione et gubernio patrum regiminis nunc et pro tempore existentium memoratae provinciae Tusciae, ad hoc, ut in eisdem monasteriis magis conservetur et incrementum accipiat divinus cultus et monastica disciplina, sine tamen praeiudicio contributionum capitulo generali debitarum.

Sequitur expositio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes unionem huiusmodi a nobis fieri plurimum desiderent, sub conditionibus tamen et pactis infrascriptis, videlicet: quod superiores praelati ad praesens existentes in monasteriis, quae unienda et congreganda venerint congregationi Italiae sub provinciâ Tusciae, maneant superiores praelati eorumdem respective monasteriorum usque

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

ad proximum capitulum in congregatione celebrandum, iuxta normam et dispositionem constitutionum ipsius congregationis Cisterciensium Italiae, gaudeantque iisdem gratiis, privilegiis [1], et cum iisdem honoribus et oneribus, quibus gaudent ceteri abbates eiusdem congregationis; nomine autem abbatis minime gaudent [2], nisi in suis respective monasteriis degant actualiter saltem sex monachi: quod, quotiescumque ex ipsis monasteriis uniendis aliquàm praelaturam vacare contigerit, habeatur ratio per patres regiminis, iuxta debitam iustitiam distributivam, ut eligatur ex iisdem religiosis, qui aggregandi venerint, dummodo reperiantur habiles habeantque cetera requisita ad normam constitutionum congregationis Italiae, aliàs eligantur ad arbitrium patrum regiminis: ex eo quoque quod monasteria, quae aggreganda veniunt, distent a monasteriis in quibus capitulum celebrari solet, ideo praelati monasteriorum S. Viti de Urbe, ac Claraevallis in Castagnola tamquam proximiores, cum suis respective discretis eligendis ad normam constitutionum, semper ad praedicta capitula accedere teneantur; ceteri vero praelati, videlicet Fossaenovae, Casaemarii, de Ferraria, Casaenovae, ac Regalisvallis teneantur per sex menses ante celebrationem capituli docere patres regiminis ex redditibus monasteriorum, tantum superesse, ut commode, et sine ullo detrimento eorum monasteriorum, se cum suis respective discretis, eligendis ut supra, ad praedictum capitulum accedere et ab ipso recedere, necnon taxam ipsius capituli celebrandi solvere valeant ac possint, super quod decretum a patribus regiminis obtinere debebunt, ad effectum ut tamquam capitulares admitti possint: quod pater praeses ac visitatores praedicta monasteria unienda per se ipsos, sicuti alia monasteria congregationis, visitare teneantur: quod tot nationales monasteriorum uniendorum ad habitum religionis admittantur, quot ex redditibus ipsorum sustentari queant, approbandi tamen et admittendi ad habitum religionis suscipiendum per patres regiminis: ex eo quod monasterium S. Viti et ipsius redditus instituta sint pro collegio et educatione iuvenum monasteriorum praedictorum pro navando operam studiis, ideo ad talem effectum conservetur, imo potius patres regiminis curabunt augeri redditus, ut, si fieri possit, constituatur formale collegium totius congregationis: et quia saepe saepius contingit ut superiores sive religiosi monasteriorum Fossaenovae, Casaemarii, et aliorum in regno Neapolitano existentium, pro negotiis eorumdem monasteriorum moram non patientibus ad Urbem accedere debeant, ideo patres regiminis possint delegare facultatem abbati Trium Fontium, sive abbati S. Viti, prout eis melius visum fuerit, concedendi licentiam ad Urbem accedendi, salvâ tamen in huiusmodi licentiis concedendis dispositione constitutionum: quod, pro expensis publicis faciendis ad bonum commune et universale congregationis monasteria aggreganda, concurrere debeant, taxanda per patres regiminis, sive patres definitores, habitâ ratione facultatum eorum: quod monasteria praedicta aggreganda debitas contributiones capitulo generali, sive patri generali, aut procuratori generali legitimum et speciale mandatum procurae habenti solvere teneantur: quod saltem unus abbas ex praedictis monasteriis uniendis, cessante legitimo impedimento, cum sufficiente [1] patrum regiminis ad capitulum generale in Galliâ adire teneatur:

1 Ed. Main. turbate legit *gratiis, privilegiis gaudeantque iisdem* (R. T.).

2 Potius lege *gaudeant* (R. T.).

1 Videtur deesse vox *numero* (R. T.).

Annuit petitis. § 3. Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., barum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auditâ relatione nonnullorum dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum, quibus hoc negotium commissimus examinandum, suprascripta monasteria et eorum religiosos congregationis Romanae Cisterciensium cum congregatione Italiae provinciae Tusciae, cum conditionibus et pactis supra exaratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo unimus et aggregamus.

Clausulas necessarias apponit. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etc., definiri debere; ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum Ordinis et congregationum ac provinciae et monasteriorum huiusmodi, aliisve quibusvis, etc.; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v martii MDCLX, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 martii 1660, pontif. anno v.

CCLXXXVI.

Revocat omnes contractus, qui contrariantur paupertati et bono regimini Ordinis Cisterciensis.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis Cisterciensis, quod licet omnes monachi dicti Ordinis tam stricte ad observantiam paupertatis teneantur, ut capitulum generale eiusdem Ordinis, anno MDCV celebratum, revocaverit omnes et quascumque licentias et dispensationes cuiuscumque privati rerum et bonorum usus, proprietatis, possessionis et dominii per quoscumque superiores dicti Ordinis ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ordinis capitulum generale anno MDCLI renovaverit, cum iniunctione observationis exactae decreti Concilii Tridentini, sess. XXV, cap. II *De regularibus*, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendae opponentibus sese huic executioni et observantiae, et inhabilitatis ad quaevis officia, gradus et dignitates; ac insuper contractus a quibusdam abbatibus regularibus cum suis monachis initos pro separatione mensae conventualis ab abbatiali censuerit esse rescindendos tamquam paupertati religiosae contrarios, eosque in posterum a quoquam attentari prohibuerit; nullusque sit in regno Galliae praedicti Ordinis professor, qui in suo novitiatu ad vitam communem et praedictae paupertatis observantiam non fuerit instructus, educatus et obligatus:

§ 1. Nihilominus nonnulli religiosi eiusdem Ordinis in Galliâ, dicti abstinentes, seu strictioris observantiae, sub praetextu introducendi in monasteria abstinentiam a carnibus, quarum usus certis diebus a Sede Apostolicâ concessus est, certos ineunt contractus, transactiones et concordata cum antiquis Ordinis huiusmodi religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis et fructibus promittunt et distribuunt, eosque a maiori et praecipuo onere chori aliisque observantiis, ad quos

ex professione tenentur, liberantes, evidenti relaxationis et perditionis periculo exponunt, dummodo eis solis privative quoad alios monasteriorum administrationem et regimen tam in spiritualibus quam in temporalibus, liberamque officialium et superiorum electionem, tam quoad vocem activam quem passivam, cedant.

Supplicatio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, contractus, transactiones et concordata huiusmodi, non in aedificationem, sed in evidentem praesentium religiosorum ruinem spiritualem vergant, dictusque procurator generalis propterea de opportuno in praemissis remedio a nobis provideri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., absolventes et absolutum fore censentes,

Contractus supradictos revocat, atque condemnat. § 3. Supplicationibus eius nomine nobis super boc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem diligenter et mature discusserunt, consilio, attentis narratis, contractus, transactiones et concordeta, de quibus supra agitur, fuisse et esse illicita, ideoque hucusque inita nulla et invalida fuisse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus et decernimus, probibemusque, ne in futurum sub eiusdem nullitatis et invaliditatis, necnon sub excommunicationis ec privationis vocis activae et passivae, officiorumque, graduum et dignitatum quarumcumque, et perpetuae inhabilitatis ad ea et quaelibet alia in posterum obtinenda, per huiusmodi contrahentes, transigentes et concordantes eo ipso incurrendis poenis, talia concordata, transactiones et contractus ullatenus celebrentur.

Clausulae ap- § 4. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

ponuntur necessariae.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, eiusque monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides in iudicio et extra sdhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 martii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXVII.

Confirmat decreta noviter edita, pro regularis disciplinae instauratione in religione Minorum Conventualium sancti Francisci.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inscrutabili divinae sapientiae arcano in secrâ Principis Apostolorum cathedrâ, meritis licet imparibus, collocati, illis, quae pro felici religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei pie sancteque plantatorum, ac uberes bonorum operum fructus proferre iugiter satagentium directione et gubernio provide dignoscuntur emanasse, libenter, cum a nobis petitur, apostolicam muniminis adiungimus firmitatem.

Supplicatio.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus de Vatesio, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod aliàs a definitorio[1] generali eiusdem Ordinis, ad necessarium regularis disciplinae praesidium et incrementum, edita fuerunt nonnulla decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Decreta definitorii.

« Generale definitorium Romae congregatum anno MDCLIX, praesidente reverendissimo patre magistro Iacobo Fabretto de Ravenna ministro generali, cupiens eidem ministro adiutricem dare manum pro instauratione regularis disciplinae Ordinis, non ab observantiâ Urbanarum constitutionum declinare, sed eiusdem observantiae indemnitati consulere arbitratur, dum dubia aliquot contingentia enodare, et nonnulla, quae tempori minus adaptata comperta sunt, modificare (ablegatis, quae in contrarium inoleverunt corruptelis), opportunum censuit. Idcirco sequentes declarationes, sanctionesque subtexere, et Sanctissimo exhibere decrevit, ut, apostolicae confirmationis robore implorato, insertas eas dictarum Urbanarum constitutionum volumini habeamus, veluti totius operis coronidem:

Primo igitur districte iniungitur cuilibet provinciae definitorio, ut in proximo futuro capitulo requisita examinare non negligat magistrorum suorum ad lauream promotorum ab ultimo capitulo generali ad haec usque tempora; soli vero admittantur per secreta suffragia, qui ad praescriptum Urbanarum constitutionum instituti probabuntur; arceantur vero in fraudem promoti, et absque expressâ Sedis Apostolicae facultate:

Teneatur etiam idem definitorium in proximâ congregatione provinciali requisita itidem examinare cuiuslibet definitoris perpetui meritorum titulo instituti post capitulum generale praefatum, et hi solum approbentur secretis suffragiis, de quorum meritis legitime constiterit, ad tenorem dictarum constitutionum, ceteris exclusis, quavis possessione non obstante, et omni meritorum aequiparantiâ explosâ, exceptâ lecturâ triennali supra cursum duodecim annorum, quam in supplementum indulgendam fore decernimus regentibus studiorum, quibus non contigit sortiri munus regentiale in aliquo religionis collegio:

In posterum etiam idem definitorium cuiusvis provinciae vocalium, magistrorum et definitorum suorum, quos absque expressâ Sedis Apostolicae facultate noviter institui contigerit, requisita ut supra recognoscere et examinare teneatur in primo capitulo provinciae et capitulari congregatione post eorum institutionem, et illi dumtaxat admittantur ad votum electivum qui per secreta suffragia ab eodem definitorio approbati fuerint tamquam canonice instituti:

Praerogativas minores, quibus consuevere ministri generales fratrum simplicium aliquos declarare graduatos, annuimus concedendas esse iisdem fratribus, non solum ob magisterium novitiorum, ob meritum operum musicalium, ad tenorem constitutionum, verum etiam ob missiones, ob conspicuas conciones, ob curam animarum, ob munus confessarii, ob lecturam seminariorum, et huius ponderis similia onera spatio duodecim saltem annorum laudabiliter peracta, et hoc ad alliciendum praemio eorum animos, qui plerumque fastidiunt talium functionum subire labores:

Verum provinciae paternitatem ex merito decernitur indulgendam esse solis sacrae theologiae magistris, non tamen solo titulo laborum in exercitio lecturarum ad praescriptum constitutionum, verum

1 Edit. Main. legit *definitore* (R. T.).

etiam titulo concionum, dummodo quindecim annorum curriculo munus huiusmodi obierint in insignioribus ecclesiis, super quibus interveniat testimonium definitorii per secreta suffragia exprimendum, non vero per solas subscriptiones, cum aliquando extortas[1] potius quam impetratas esse non ignoremus:

Cum vero in orbe religionis praecellere etiam censeantur praestantes vitae sanctimoniâ vel regiminis experimento, nostra interesse arbitramur hos etiam ad provinciarum paternitatem promoveri, quippe qui enituntur non privato sed publico velificare commodo, non suae sed religionis ancillari gloriae. Exoratur itaque Sanctitas sua, ut (abrogatâ lege posterius latâ) iubeat horum etiam habendam esse rationem in distributione quatuor provincialatuum titularium ad pristinam formam constitutionum Urbanarum:

Porro, ad compescendum omnem huiusmodi praelaturae et cuiuscumque etiam alterius dignitatis consequendae in religione ambitum, eorum maxime quos ad principum favores confugere non pudet[2] pro consequutione illarum, praeter poenas in constitutione CXVI[3] Pauli V felicis recordationis comminatas hoc[4] similia implorantes suffragia, poenam etiam excommunicationis latae sententiae Sanctissimo reservatae ipso facto incurrere, subireque decernimus: .

Sequuntur decreta. Ne de cetero in provinciis definitorum excessivus sit numerus, statuitur ut in provinciis primae classis sint tantum decem et octo definitores perpetui, secundae classis duodecim, tertiae classis novem, quartae classis sex; declaramus tamen patres provinciae naturales nunquam a definitorio expungendos esse, etiamsi plures numero sint; si vero definitorum naturalium minor praescripto sit numerus, ex reliquis definitoribus ob meritum institutis suppleatur iuxta eorum antianitatem usque ad praescripti normam calculi; si qui supersint eorumdem definitorum ex merito excedentes numerum praefixum, nomen utique definitoris retineant, praecedantque simplices sacrae theologiae magistros, non vero suffragia ferant in electionibus, nisi postquam eos ordine supradicto contigerit subrogari in locum demortui:

Cum etiam hisce temporibus excessivum experiamur numerum collegialium laureandorum, decernitur ut in posterum in collegiis Assisiensi, Patavino, Bononiensi et Neapolitano (reliquis in pristino statu permanentibus) numerus ad duodenarium reducatur, quorum sex tantum antiquiores in fine collegii sortiantur. baccalaurei ad collegium promovendi, vocatis singulis trienniis pro quolibet collegio duodecim tantum, ex quibus sex peritiores seligendi sunt:

Ad crebras perturbationes eliminandas ob praecedentes[1] controversias, declaramus inter privatos ubique primum locum deberi patribus officio generalatus vel vicarii apostolici functis, qui uni tantum superiori (scilicet digniori, si plures adsint) actu praesenti in conventu vel civitate locum cedere tenentur; secundum locum post superiores actu deberi iis, qui fuerunt generales Ordinis procuratores in Romanâ curiâ; tertium locum provincialibus et assistentibus Ordinis officio absolutis; quartum, patribus provinciae ex merito institutis, quibus cedere etiam teneantur, si qui urgentiori aliquâ

1 Male edit. Main. legit *exortas* pro *extortas* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *putent* pro *pudet* (R. T.).

3 Nunc est CCCXIX, quam vide in tom. XII, pag. 451 (R. T.).

4 Videtur legendum *contra* pro *hoc* (R. T.).

1 Videtur legendum *praecedentiae* pro *praecedentes* (R. T.).

ratione gratioso decreto ad paternitatem eam habilitarentur; quintum, sacrae theologiae magistris; sextum, baccalaureis collegialibus, si quos aliquâ impotentiâ contingeret non promoveri ad magisterium, ceteris non collegialibus baccalaureis ab hac praerogativâ subductis; septimum, patribus simplicibus graduatis, scilicet patentibus litteris a generali ob meritum decoratis; octavum, ceteris non graduatis, salvo, in quolibet gradu, ordine antianitatis ad formam Urbanarum constitutionum:

Declaratur demum decretum Urbanae constitutionis de non admittendo ad probationem vel professionem ante aggregationem, ita esse intelligendum, ut nullus deinceps novitius ad probationem admittatur, nisi de praeviâ aggregatione legitime constiterit.

Quoniam vero optimâ rationis urgentiâ sacra congregatio universalis inquisitionis aliqualem meritorum aequiparantiam inire nos edocuit, ut praedictum definitoriale munus in praemium vertatur pari passu insignioribus ministris S. Officii, idcirco in promotione ad paternitatem provinciae consultores inquisitionis in curiâ Romanâ assistentibus Ordinis aequiparandos esse decernimus; vicarios generales (dummodo sacrae theologiae magistri sint) regentibus gymnasiorum; consultores itaque ad instar assistentium, naturalem paternitatem provinciae sui muneris ratione nanciscantur; inquisitores vero (si patres provinciae ex merito instituti fuerint antequam onus inquisitionis sortiantur) naturalem pariter paternitatem novi oneris exercitio consequantur; si vero prius patres non exstabant, ad paternitatem tantum ex merito, ad instar regentium, ut praefertur, promoveantur; ut autem praemia non contingant praecocia, quae virtutis incrementa morantur, dictam paternitatem non sortiantur praefati ministri, nisi proportionatâ methodo cum regentibus concionatoribusque religionis, nempe consultor in curiâ post sextum, inquisitores post duodecimum, vicarii dicti post decimumquintum sui oneris expletum annum: si autem contingeret horum ministrorum aliquos duplici ministerio, intermedio tempore, functos esse, scilicet regentis in religione, et inquisitoris vel vicarii in S. Officio, tunc promiscue calculus annorum computetur ab utriusque muneris functione, ita ut defectus praescripti temporis in primo ministerio suppleatur ex secundo:

Ministri vero inferiores S. Officii ab ipsismet inquisitoribus deputati aequiparentur tantum magistris seminariorum et patribus simplicibus graduatis, ut promoveri possint post duodecimum sui oneris annum ad votum electivum in capitulis provincialibus pro electione ministri provincialis ferendum:

Si quis vero horum ministrorum baccalaureus sit, studiisque scholasticae addictus, et in concursu et examine pro promovendis ad collegia idoneus repertus fuerit, alicui collegio religionis adscribatur, dispensetur autem a residentiâ collegii toto tempore, quo iussus fuerit suam alibi navare operam in obsequium sancti Officii; elapso autem triennio, pari iure et methodo cum aliis eiusdem collegii concollegialibus lauream magisterii consequi valeat:

Nullus demum praefatorum ministrorum ad eas promoveatur praerogativas in retributionis vicem, nisi prius, per litteras commendalivas et patentes de sacrae congregationis licentiâ obtentas, sui ministerii laudabiliter functi merita probaverit ».

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Ludovicus procurator generalis decreta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et inviolabili *Decreta praeinserta confirmat Pontifex.*

observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio roborari plurimum desideret: nos, ipsum Ludovicum procuratorem generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit, attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis eiusque provinciarum et conventuum quorumvis, et aliis quibuslibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 martii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXVIII.

Quod, in causâ fabricae Genuensis collegii Societatis Iesu et fratrum Minorum de Observantiâ Nunciatae, presbyteri Societatis non possint impediri quominus coeptam ecclesiam perficere possint.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri regulares collegii Genuensis Societatis Iesu, quod, in causâ fabricae inter ipsos exponentes ex unâ et dilectos pariter filios fratres conventus Genuensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum ex alterâ partibus vertente, aliàs, videlicet die XXIII augusti MDCLII, congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, partibus pluries auditis, iuribusque hinc inde deductis mature perpensis, censuit revocandam esse prohibitionem, omneque prorsus removendum impedimentum, prout per suum decretum eâdem die emanatum revocavit et removit, praedictis exponentibus, quominus coeptam dicti collegii Genuensis ecclesiae structuram prosequi et perficere possent; dummodo in angulo eiusdem ecclesiae orientem versus, et e regione fenestrae magnae ambulacri infirmariae fratrum Minorum praedictorum, proprium murum ad Balbos olim pertinentem transgredi, aut aliquam servitutem, etiam stillicidii, in subiectam aream seu vacuum inferius eorumdem fratrum Minorum inducere nequirent; et ita observari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

§ 1. Et subinde, cum in signaturâ gratiae felicis recordationis Innocentio Papae X praedecessori nostro deductae fuissent novae instantiae dictorum fratrum Minorum super fabricâ novae ecclesiae collegii supradicti, idem Innocentius praedecessor negotium huiusmodi ad praedictam cardinalium congregationem re-

misit, ut desuper aliquem ex auditoribus causarum palatii apostolici deputaret, quae cardinalium congregatio eam rem demandavit tunc existenti eorumdem auditorum decano, ut ille, vel alius qui ipsi decano videretur ex dictis auditoribus, in causâ huiusmodi procederet.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, et subsequenter ambae partes ab auditorio Rotae Romanae inhibitionem in formâ expediri curaverit[1], causaque diu siluerit, nos vero successive, praedictis omnibus narratis et bene cognitis, causam et partes praedictas ad memoratam cardinalium congregationem remisimus, ut eademmet negotium expediret et super expeditione perpetuum silentium imponeret; et subinde, praedictis fratribus Minoribus coram dilecto filio nostro Marco Antonio titulo S. Mariae de Pace S. R. E. presbytero cardinale Franciotto nuncupato, eiusdem causae ponente, ac coram dilecto filio secretario dictae congregationis, ipsâque congregatione pluries citatis, necnon in contradictorio auditis, pluribusque dilationibus concessis, et denique factâ oppositione per dictos fratres Minores mediantibus precibus nobis porrectis, ut denuo causa ad auditorium Rotae praedictae, vel signaturam nostram remitteretur, nos per dictum cardinalium congregationem procedi mandamus[2]; cumque exhibita fuerint ex utrâque parte iura et scripturae, dictique exponentes, ut tandem huic controversiae finis imponatur, opportune a nobis in praemissis provideri plurimum desiderent:

Confirmat decretum.

§ 3. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praedictae congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinales negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae (quae, partibus[1] pluries citatis, auditis et informantibus, rem exacte et mature discussit, ac in decretis sub die XXIII augusti MDCLII standum esse censuit, consilio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, revocamus prohibitionem, omneque prorsus removemus impedimentum praedictum presbyteris Societatis Iesu, quominus coeptam collegii Genuensis ecclesiae structuram prosequi ac perficere possint, dummodo in angulo eiusdem ecclesiae orientem versus, e regione fenestrae magnae ambulacri infirmariae dictorum fratrum Minorum de Observantiâ, proprium murum dictorum presbyterorum Societatis Iesu, ad Balbos olim pertinentem, transgredi, aut aliquam servitutem etiam stillicidii in subiectam aream seu vacuum inferius eorumdem fratrum Minorum inducere nequeant. Ac dictis fratribus Minoribus super negotio fabricae praedictae et omnibus praemissis perpetuum silentium auctoritate et tenore praedictis imponimus, atque ita servari mandamus: salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, conventus et Ordinis praedicti, aliisve quibusvis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et

1 Legendum *curaverint* (R. T.).
2 Videtur legendum *mandavimus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *patribus* pro *partibus* (R. T.)

innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 martii 1660, pontif. anno V.

CCLXXXIX.

Statuit celebrationem capitulorum generalium congregationis Camaldulensium Ordinis sancti Benedicti de cetero faciendam esse de quinquennio in quinquennium, etc.[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Proemium. Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidentes, ad ea libenter intendimus, per quae congregationum virorum leve Christi iugum sub laudabili vitae monasticae instituto trahentium utilitati opportune consultum iri in Domino arbitramur.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas generalis ac visitatores necnon procurator generalis et definitores congregationis Camaldulensium monachorum Ordinis sancti Benedicti, quod eadem congregatio felici quidem in dies per Dei gratiam in spiritualibus augetur incremento, sed magnam in temporalibus patitur diminutionem, illiusque monasteria ob malam temporum conditionem, et nunc praesertim propter vilitatem pretii granorum et aliorum bladorum in quibus praecipue ipsorum monasteriorum redditus consistunt, difficultatemque illa vendendi, necessitate extremâ premuntur, itaut familias alere, onera incumbentia supportare, ac ecclesias, ut decet, tueri vix possint. Qua temporalis status declinatione consideratâ, superiores[1] dictae congregationis ei quidem rei consulere conati sunt, renovatis libris aestimorum, repartitis melius oneribus, diminuto numero eorum quibus alimenta ab iisdem monasteriis praestari solebant, prohibitâ novorum aedificiorum constructione, victu ad maiorem frugalitatem restricto, moderatis etiam superiorum provisionibus, ac denique rescissis ceteris omnibus expensis; nec tamen his omnibus aliisque non inutilibus remediis adhibitis, optatum effectum habuit eorum industria; idque (ut quidem praelatis senioribus experientioribusque videretur) ex eo quod eorumdem monasteriorum damnum et impossibilitas illa prosperiorem in statum reducendi ex brevitate guberniorum seu administrationum triennalium derivat, docente experientiâ triennium rebus bene constabiliendis non sufficere; nam praelati primo quidem triennii huiusmodi anno, ob graves expensas et contributiones, quae occasione capitulorum generalium, itinerum, mutationis familiarum, aliarumque necessariarum provisionum fiunt, monasteria pecuniis, aliisque assignationibus exhausta reperiunt, ac ut plurimum aes alienum contrahere coguntur, vixque tantum agere possunt, ut illa, quae ad gubernium spectant, in aliquem convenientem statum reducant; secundo vero anno aeri alieno quod primo anno contraxerunt dissolvendo vix sunt pares; tertio autem rebus monasterii componendis dant operam, ne illas implicatas relinquant, ac novas provisiones facere debent pro expensis et contributionibus imminentis capituli generalis; unde monasteriorum levamento et utilitatibus incumbere nequeunt, quippe qui tempore pecuniisque ad id necessariis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *superioris* (R. T.).

destituantur. Atque ita progreditur guberniorum successio, non sine ingenti praefatorum monasteriorum detrimento.

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, si capitula generalia congregationis praefatae de quinquennio in quinquennium celebrarentur, prout observatur in congregationi Cassinensium cuius institutis dicta congregatio Camaldulensium in ceteris se conformat, maiores expensae, nempe capitulorum generalium huiusmodi, itinerum, ac mutationis praelatorum et familiarum rarius fierent; praelati vero maiorem interea administrationum suarum peritiam adipiscerentur, et eorum auctoritas et existimatio apud personas, quibuscum est contrahendum, cresceret, ipsique etiam, spe videndi industriae suae fructum allecti, in culturam bonorum, unde redditus monasteriorum praecipue dependent, sedulius et vigilantius incumberent: cumque dilecti filii moderni congregationis praefatae Camaldulensium praelati aliquâ munerum suorum prorogatione pro extinguendo aere alieno prosequendoque his calamitosis temporibus gubernio indigeant, ne in deteriora labantur res eiusdem congregationis, in qua (benedicente Domino) pax et concordia nunc viget, ita ut ex dilatione proxime futuri capituli generalis ipsa congregatio nullum videatur detrimentum sed maximum acceptura sublevamentum: nobis propterea dicti exponentes, ad quos (ut asserunt) cura regiminis eiusdem congregationis spectat, humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, celebrationem capitulorum generalium dictae congregationis Camaldulensium de cetero faciendam esse de quinquennio in quinquennium, ita ut proxime futurum eiusdem congregationis capitulum generale demum finito iam coepto quinquennio habere debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, eâ tamen lege, ut una dieta inter quaelibet duo capitula generalia saltem tertio cuiuslibet intercurrentis quinquennii huiusmodi anno celebretur.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictae congregationis Camaldulensium eiusque monasteriorum quorumcumque, et aliis quibusvis, etc., quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCLX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 22 martii 1660, pontif. anno V.

CCXC.

Confirmat conventiones super iure patronatus ducis Medinae Sydoniae in tres conventus fratrum congregationis Hispaniae Ordinis B. Mariae de Mercede provinciae Andalusiae et in totam congregationem.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Christo, procurator generalis congregationis Hispaniae Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum, quod, cum dilectus filius nobilis vir dux Medinae Sydoniae favorabilem semper ac beneficum se praestiterit recollectioni dictae congregationis, eidemque tres conventus in provincià Andalusiae proprio aere ac magnis sumptibus fundaverit, necnon publico et solemni instrumento aliàs sub anno MDCXXI se suosque haeredes et successores et bona in perpetuum obligaverit singulis capitulis generalibus ipsius congregationis per sexennia celebrandis scuta sexcentum pro expensis uniuscuiusque capituli sustinendis eidem congregationi titulo eleemosynae contribuere et donare, prout et trecenta singulis trienniis pro expensis capituli provincialis provinciae Andalusiae itidem eodem modo contribuere et largiri; propterea dicta congregatio, gratitudinis nomine, eidem duci, eiusque in ducatu pro tempore successoribus, universalis patroni titulum, ad infrascriptos effectus et praerogativas dumtaxat, et non aliàs, indulsit, necnon ius patronatus honorificum cum praerogativis et praeeminentiis de iure fundatoribus regularium monasteriorum debitis super praedictos tres conventus ab ipso ut supra in provincià Andalusiae fundatos concessit seu concedi cupit, cum indultis et conventionibus contentis in capitulis tenoris qui sequitur, videlicet:

Conventiones observandae. I. Et primo, praesuppositâ contributione praenarratâ per dominum ducem pro tempore ut supra faciendâ, eidem et successoribus facultatem concedit nominandi seu assignandi locum et monasterium, in quo capitulum generale pro tempore celebrari debeat; ita tamen ut nominatio seu assignatio praedicta debeat fieri in antecedente capitulo pro subsequenti, et, quatenus assignatus locus recollectioni aliquam ob causam non placeret, liberum illi sit alibi ad suum libitum propriis expensis celebrare.

II. Et religiosi omnes, qui ex universâ recollectione in ipso capitulo generali aderunt, per id temporis, quo idem capitulum perduraverit, quotidie (si praenarrata eleemosyna scutorum a domino duce contributa ut supra fuerit) missam offerre teneantur pro animabus defunctorum antecessorum domini ducis pro tempore viventis.

III. Necnon semel in unoquoque capitulo generali missa cantata solemnis cum vigiliâ pro antedictis defunctis celebretur, descendentibus religiosis omnibus interessentibus capitulo in medium ecclesiae ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum; ita tamen ut per huiusmodi celebrationes missarum lectarum et cantatae nullatenus impediatur satisfactio onerum seu missarum, quae tunc vel ex anterioribus quibuscumque obligationibus celebrandae sint.

IV. De fructibus operum omnium *actus communitatis* nuncupatorum, quae in unoquoque capitulo generali fiunt, dictus dominus dux eiusque successores ut supra participes reddantur.

V. In singulis capitulis generalibus praecipietur, ut, intra tempus ab uno capitulo generali ad aliud intercedens, in unoquoque monasterio totius recollectionis missa cantata et a singulis sacerdotibus una missa lecta pro patronis vivis atque defunctis celebrentur.

VI. Morientibus autem duce vel ducissâ pro tempore, in quolibet monasterio universae recollectionis missa cantata cum officio defunctorum recitetur, et singuli

sacerdotes missam unam pro animâ ducis respective vel ducissae defunctae celebrare teneantur.

VII. Morientibus vero hodiernis dictis duce et ducissâ, in suffragium animarum suarum participes reddantur bonorum operum totius recollectionis.

VIII. Prout et dicti hodierni dux et ducissa, sicut etiam et eorum successores in ducatu, participes fiant spiritualis fructus, quem religiosi totius recollectionis orando, ieiunando, aliaque pia opera tam communia quam particularia exercendo, ac praesertim captivos redimendo, apud Deum lucrantur.

IX. Itidem, suppositâ praenarratâ contributione scutorum trecentorum per dominum ducem et successores in ducatu, ut supra faciendâ, eidem conceditur facultas nominandi vel deputandi locum, seu monasterium, ubi singulis trienniis celebrari debeat capitulum provinciale provinciae Andalusiae; ita tamen ut nominatio ipsa fiat in antecedenti capitulo pro subsequenti; et, si locus nominatus aliquam ob causam capitulo minus placeat, liceat alibi propriis expensis celebrare, ut de capitulo generali supra dictum est.

X. Religiosi omnes sacerdotes, qui in capitulo provinciali provinciae Andalusiae intervenient, quotidie, durante dicto capitulo, missam celebrare teneantur pro ducibus patronis vivis atque defunctis; insuper ibi una missa solemnis pro defunctis patronis canetur, descendentibus religiosis omnibus interessentibus capitulo ad medium ecclesiae ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum; ita tamen ut per huiusmodi celebrationes missarum lectarum et cantatae, ut supra, non impediatur satisfactio onerum et missarum ex instituto recollectionis seu ex anterioribus obligationibus celebrandarum.

XI. Et patroni pro tempore participes reddantur fructus omnium operum, seu actuum communitatis, quae in singulis praedictis capitulis provincialibus Andalusiae fient.

XII. In quibus capitulis provincialibus Andalusiae et in unoquoque eorum praecipiatur, quod quilibet sacerdos ipsius provinciae, intra tempus ab uno capitulo ad aliud intercedens, in unoquoque monasterio eius provinciae missa cantata et a singulis sacerdotibus missa una lecta pro patronis vivis atque defunctis celebrentur.

XIII. Sacerdotes religiosi inservientes respective in capitulo generali et provinciâ Andalusiae, ac proinde obligati ad celebrationem missarum, ut supra, si, durantibus dictis capitulis, antedictis obligationibus non satisfecerint, teneantur ante celebrationem novi capituli generalis aut provincialis respective satisfacere; ita tamen ut nullatenus impediatur satisfactio aliorum ex instituto recollectionis debitorum vel ex anterioribus obligationibus, ut supra dictum fuit.

XIV. In praefato monasterio S. Lucar singulis feriis sextis et sabbatis in perpetuum per omnes horas diei ac noctis debeat ab aliquo fratre alternâ vice fieri oratio ad Deum pro animabus fundatorum, ipsorumque maiorum et consanguineorum.

XV. Postquam facta fuerit electio commendatorum pro tempore trium conventuum a dictis patronis ut supra fundatorum, debeat significari domino duci et patrono pro tempore, ad effectum ut, si voluerit, suum honestum impartiatur assensum, iuxta dispositionem sacrorum canonum.

XVI. Valeat patronus pro tempore sibi assumere unum religiosum ex dictâ provinciâ Andalusiae in confessarium, cum facultate ipsum secum, etiam extra provinciam, abducendi; ita tamen ut ad prae-

dicta superioris regularis consensus accedat, qui, si commode et absque regularis disciplinae detrimento fieri possit, illum praestabit. Praedictus confessarius in locis in quibus recollectionis conventus extiterit, in ipso, non autem extra claustra, commoretur.

XVII. Quatenus patronus dux pro tempore velit in locis sibi subiectis novum monasterium fratrum aut monialium Ordinis recollectionis fundare, ex tunc censeatur habitus et praestitus consensus quantum ad recollectionem spectat; ita tamen ut in reliquis serventur constitutiones Bonifacii VIII, Clementis VIII, atque Urbani VIII, Summorum Pontificum, aliaque prout de iure circa fundationem novorum conventuum requiritur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissa in divini cultus augmentum, dictaeque congregationis progressum sint cessura, nobis propterea dictus Antonius humiliter supplicari fecit, ut desuper opportuno providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat praedicta. § 3. Nos igitur, eumdem Antonium specialibus favoribus et gratiis, etc., huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum consilio, praedicta omnia indulta et respective conventiones modo suprascripto correctas et reformatas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et respectivo approbamus; salvâ semper in praemissis auctoritate congregationis cardinalium.

Clausulae. § 4. Decernentes, etc., sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etc., ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus, etc., necnon, quatenus opus sit, congregationis et provinciae Andalusiae huiusmodi, earumque conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, etc.; quibus omnibus et singulis, etc., ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno V[1].

Dat. die 9 aprilis 1660, pontif. anno V.

CCXCI.

Prorogatio concessionis fructuum unius mensis ecclesiarum et beneficiorum Hispaniarum et Sardiniae pro rege catholico[2].

Carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis erga hanc sanctam Sedem devotio, aliaque catholici nomine optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ refulgent, plane exigunt, ut illi reddamur ad gratiam liberales.

Concessiones alias factae. § 1. Aliàs siquidem per felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum considerato, quod tu, clarae memoriae Philippi II et Philippi III Hispaniarum regum catholicorum avi et genitoris aliorumque maiorum tuorum exemplo, Christianae Reipublicae utilitati inservire, et non solum catholicae fidei defensioni, sed illius etiam prorogationi totis viribus incumbere desiderans, adeo ingentia expensarum onera subieras, ut non solum regnorum tuorum ordinarios

1 Ab electione anno VI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

redditus, verum etiam omnia illorum aeraria fere exhauseras; idem praedecessor, ad egregia utriusque Philippi regis avi et genitoris, aliorumque maiorum tuorum, tuaque propria merita buiusmodi paternae dirigens considerationis intuitum, laudabiles et Deo maxime gratos conatus tuos adiuvandos ducens, tibi omnes et singulos fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta (in quibus etiam pensiones annuas, quantumvis liberas, immunes et exemptas, quas de cetero super illis apostolicâ auctoritate reservari contigeret, comprehendi voluit) unius integri mensis (a die possessionis per infrascriptos portionarios, necnon provisos, praefectos, seu institutos de ecclesiis seu aliis beneficiis infra expressis habitae, seu quae per eos stetisset quominus possessionem huiusmodi adipiscerentur, computandi) proportionabiliter ad ratam anni et valoris, deductis oneribus, quarumcumque primatialium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, mensarumque abbatialium, prioratuum quoque, praepositurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, dignitatum etiam maiorum et principalium, canonicatuum, praebendarum, personatuum, administrationum, officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium (non tamen, quoad curata, eorum quorum centum, quo vero ad simplicia, quorum fructus, redditus et proventus valorem annuum viginti quatuor ducatorum auri de camerâ non excederent), necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum regularium, ac militiarum, praeterquam sancti Ioannis Hierosolymitani, ceterorumque locorum etiam exemptorum in regnis Hispaniarum et insularum illis adiacentium ac Sardiniae, (et de tuo iurepatronatus sive ad nominationem tibi legitime competentem disponi solitorum tantum) existentium, de quibus, quovis modo etiam per translationem vacaturis, quascumque personas, quavis etiam cardinalatus dignitate fulgentes, ad praesentationem seu nominationem tuam praefici, vel provideri, sive illas in eis quomodolibet institui[1], seu quibus pensiones ipsas reservari contingeret ut praefertur, per personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas a tunc et pro tempore existente suo et Sedis Apostolicae in regnis praedictis nuncio ad hoc specialiter deputandas, a quibuscumque primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, praepositis, praeceptoribus, canonicis, praebendatis, rectoribus et personis secularibus et regularibus etiam militiarum huiusmodi, necnon pensionariis praedictis, cuiuscumque dignitatis etiam cardinalatus et conditionis forent, percipienda, exigenda et levanda, tibique integre persolvenda, ad quindecim annos tunc proximos concessit et assignavit; et subinde voluit, ac in virtute sanctae obedientiae praecepit et mandavit, ut personae, ad ecclesias seu alia beneficia supra expressa per te pro tempore praesentandae seu nominandae, in illarum praesentationis seu nominationis expeditione, de solvendo, infra quatuor menses a die adeptae per eos ecclesiarum seu aliorum beneficiorum huiusmodi possessionis computandos, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta unius integri mensis ecclesiarum seu aliorum beneficiorum huiusmodi (ad ratam illarum et illorum valoris ad quem fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi, quinque annis tunc proxime decursis annuatim ascendissent, computatis[2]) ad omne tuum seu ministrorum tuorum mandatum per cedulam ban-

1 Male edit. Main. legit *instituti* (R. T.).
2 Legerem *computata* (R. T.).

cariam, seu aliàs idonee, caverent et cavere tenerentur. Et postmodum, recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessori pariter nostro pro parte eiusdem maiestatis tuae exposito quod quindecim anni, ad quos concessio et assignatio huiusmodi sibi per dictum Urbanum praedecessorem facta fuerat, dudum expiraverant, tuque nihilominus post lapsum eorumdem annorum (cum causae ob quas concessio et assignatio huiusmodi tibi facta fuerat adhuc durarent) a personis ad ecclesias seu alia beneficia praefata per te interim praesentatis seu nominatis cedulas bancarias seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes et singulos fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta unius integri mensis ecclesiarum seu beneficiorum huiusmodi ad rationem praefatam, et aliàs iuxta formam litterarum memorati Urbani praedecessoris super praemissis emanatarum, exegeras seu exigi feceras; et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas et cautiones huiusmodi tibi per eumdem Innocentium praedecessorem tribui, necnon, ob praedictas et longe urgentiores causas ab inde citra ortas, concessionem et assignationem praefatam, ac reliqua omnia in praefatis litteris maiestati tuae concessa, ad aliud ipsi Innocentio praedecessori benevisum tempus extendi et prorogari summopere desiderabas: idem Innocentius praedecessor tibi, ut omnia et singula in cedulis seu cautionibus per personas ad ecclesias seu beneficia supra expressa per te praesentatas seu nominatas ut praefertur datis et factis ab eo tempore quo praefati quindecim anni expiraverant usque in illum diem ratione concessionis et assignationis huiusmodi promissa ab eisdem personis exigere seu exigi facere libere et licite posses et valeres, apostolicâ auctoritate licentiam concessit, ac ex tunc, prout postquam promissa huiusmodi exegisses, illa tibi totaliter condonavit. Ac insuper assignationem et concessionem praedictas iisdem modo et formâ, quibus praefatus Urbanus praedecessor illas maiestati tuae fecerat et concesserat, ac iuxta praedictarum eiusdem Urbani praedecessoris litterarum seriem, continentiam et tenorem, maiestati tuae ad decennium tunc proximum tantum prorogavit et extendit, seu de novo concessit; et aliàs prout in diversis eorumdem Urbani et Innocentii praedecessoris litteris in simili formâ Brevis, novissimis quidem ipsius Innocentii praedecessoris die XXII octobris MDCXLIV desuper expeditis[1], quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper pro parte eiusdem maiestatis tuae expositum fuit, decennium praedictum iamdudum expiraverit, tuque nihilominus post lapsum eiusdem decennii, causis ob quas concessio et assignatio ac prorogatio huiusmodi tibi factae fuerant adhuc durantibus, a personis ad ecclesias seu alia beneficia praescripta per te interim praesentatis seu nominatis cedulas bancarias seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes et singulos fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta unius integri mensis ecclesiarum seu beneficiorum huiusmodi ad rationem praefatam et aliàs[2] iuxta formam dictarum litterarum exegeris seu exigi feceris; et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas et cautiones huiusmodi a personis praefatis per nos tibi pariter tribui, necnon, ob praefatas et longe urgentiores causas ab inde citra ortas, concessionem et assignationem praedictas, ac reliqua omnia

Motiva sequuntur.

1 Huiusmodi litterae sub hac datâ in *Bullario* recensitae non sunt (R. T.).

2 Perperam edit. Main. legit *alios* pro *aliàs* (R. T.).

in praedictis litteris maiestati tuae concessa, ad aliud nobis benevisum tempus extendi et prorogari plurimum desideres: nos, praeclarorum meritorum tuorum praefatorum intuitu, maiestatem tuam specialis favore gratiae prosequi volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut[1] omnia et singula in cedulis seu cautionibus per personas ad ecclesias seu beneficia supra expressa per te praesentatas seu nominatas ut praefertur datis et factis ob eo tempore quo praefatum decennium expiravit in praesentem usque diem ratione concessionis et assignationis sicut praemittitur prorogatae promissa ab eisdem personis exigere seu exigi facere libere et licite possis et valeas, tenore praesentium licentiam concedimus, ac ex nunc, prout postquam promissa huiusmodi vigore praesentium exegeris, illa tibi totaliter condonamus.

Concessio et prorogatio.

§ 3. Praeterea assignationem et concessionem praedictas iisdem modo et formâ, quibus praedicti Urbanus et Innocentius praedecessores illas maiestati tuae respective fecerunt, concesserunt et prorogaverunt, ac iuxta praefatarum eorumdem praedecessorum litterarum seriem, continentiam et tenorem, eidem maiestati tuae ad quinquennium proximum tantum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prorogamus et extendimus, seu de novo concedimus.

§ 4. Decernentes, durante quinquennio per praesentes prorogato, primates, archiepiscopos, episcopos, abbates, et denique universum clerum secularem et regularem praedictum, et quoscumque quibus super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis praedictis pensiones annuas apostolicâ auctoritate versari[1] contigerit, in praefatâ solutione pro ratâ pensionum ac mensis huiusmodi parte concurrere debere et obligatos esse, eosque solutionem sive praestationem huiusmodi, etiam occasione praeteritarum contributionum, impositionum seu onerum, vel damnorum passorum, aut etiam enormis, enormissimae lesionis, vel quocumque alio praetextu, in toto vel in parte, minime effugere seu differre, dictosque primates, archiepiscopos, episcopos, abbates, universumque clerum secularem et regularem huiusmodi portionem et ratam partem pensionarios pro tempore tangentem ad effectum solutionis praedictae detrahere et retinere respective posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis praedictis nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus, per se, seu alium, vel alios, ut praefertur, deputandos, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tuâ fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, faciat auctoritate nostrâ tibi fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta praedicta a primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac denique universo clero seculari et regulari militiarum et locorum ecclesiasticorum

Confirmat decretum.

1 Particula ut nos addimus (R. T.).

1 De more solito legendum *reservari* (R. T.).

praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum inserta, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Usus pecuniarum praedictarum et transumptorum fides. § 6. Volumus autem, quod pecuniae, quas ex praesenti concessione percipies, in alios usus quam catholicae religionis defensionis et propagationis, necnon obedientiae erga Romanam Ecclesiam conservationis, pro quibus dumtaxat concessio ipsa fit, nullatenus convertantur, super quo maiestati tuae ac ministrorum tuorum conscientiam oneramus; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Praesentibus ad praedictum quinquennium tantum valituris. Per easdem autem praesentes iuribus camerae apostolicae quoad fructus vacantes nullatenus praeiudicare, sed ea illaesa et illibata praeservare intendimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno V[1].

Dat. die 12 aprilis 1660, pontif. anno V.

CCXCII.

Confirmatio decreti super oeconomico statu et rectâ bonorum temporalium administratione Congregationis Cassinensium Ordinis sancti Benedicti[2].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, super oeconomico statu et rectâ bonorum temporalium administratione Cassinensium Ordinis sancti Benedicti instaurandâ a nobis specialiter deputatâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Motiva. § 1. « Communis egestas monasterii privatam habendi cupiditatem non raro excitare solet in monachis, utpote qui, religiosis ac necessariis indigentiis ex publico penu consuli non posse intelligentes, licere sibi certo persuadent adversus huiusmodi necessitates subsidium atque levamen ex proprio privato peculio quaerere; cuius parandi atque augendi gratiâ non parva monasticae tranquillitatis iactura secularibus sollicitudinibus implicatur; et pauperes[3] monasterii tandem non pauperes monachi praepostero studio circa terrena satagentes aeterna despiciunt. Ideo spirituali monasteriorum bono expedire videtur, ut eorumdem temporalia bona rectâ administrandi ratione provide conserventur. Quod cum in monasteriis quoque Congregationis Cassinensis exoptandum sit, cuius egregia sanctimonia piorum christifidelium liberalitatem olim

1 Ab electione an. VI (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Forsan legendum *pauperis* (R. T.).

adegit, ut non exiguis bonis, in praesens tamen ob temporum angustias valde imminutis, eadem monasteria ad divini cultus dignitatem necnon ad monasticae disciplinae incrementum exornarent: propterea sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium, quos ad oeconomicum statum et rectam bonorum temporalium administrationem in antedictis monasteriis instaurandam sanctissimus dominus noster Alexander Papa VII specialiter deputavit, patre procuratore generali eiusdem Congregationis Cassinensis pluries audito, die XXI martii MDCLXI[1] infrascripta in praedictis monasteriis Cassinensibus observanda Suae[2] Sanctitatis iussu decrevit:

Observanda recensentur.

« Cum generalis capituli convocatio non absque notabili monasteriorum dispendio quotannis fiat, hanc quoque ob causam in posterum per decennium proximum nonnisi alternis annis capitulum ipsum celebretur, non obstantibus constitutionibus Congregationis Cassinensium apostolicâ etiam auctoritate confirmatis, vel privilegiis itidem apostolicis eidem concessis, quibus, quoad hoc, Sanctitatis Suae auctoritate derogat; et tunc[3] quidem sumptus ultra modum fieri soliti regulari frugalitate minuantur, cubicula confluentium abbatum hospitio designata nonnisi religiosâ supellectile instructa sint, adeo ut ab ipsis sumptuosi apparatus nuper inductus abusus omnino elimінetur; aliàs abbas et cellerarius monasterii, ubi capitulum celebratur, suspensioni ab exercitio suorum officiorum subiacere intelligantur, neque in posterum (prout hucusque factum est) monasterio, ubi capitulum generale celebratur, dona ulla fiant, sed, subductis rationibus expensarum in ipso capitulo, singulis abbatibus, qui interfuerunt, rata pars pecuniae solvendae, habitâ tamen ratione conditionis personarum, praescribatur.

In capitulo proxime celebrando nova taxa pro contributione a singulis monasteriis procuratoriae generalis solvenda fiat, servatâ proportione redditaum eorumdem monasteriorum, praeviâ exactâ status uniuscuiusque monasterii disquisitione firmandâ; ac, si quando monasterium aliquod verâ superveniente impotentiâ ratam partem suam dictae procuratoriae solvere nequeat, nullatenus super eius bona census imponantur, aut aliâ quacumque ratione ob hanc causam aes alienum ab eo contrahatur; aliàs contractus ipse adversus hanc prohibitionem initus nullus esse intelligatur et sit, et superior contrahens poenis in decreto *De rebus regularium non alienandis* per sacram congregationem concilii sub die VII septembris MDCXXIV edito, aliisque ad eiusdem arbitrium teneatur; sed in dictâ pater praesidens generalis, cognitâ verâ impossibilitate eius monasterii, onus ad ipsum spectans in unum vel plura alia monasteria iuxta eorum vires, cum voto patrum visitatorum, in parte vel in totum, et pro unâ vel pluribus vicibus, prout duxerit necessarium, transferat, ita tamen, ut monasterio vel monasteriis pro eo solventibus ius recuperandi solutam pecuniam adversus illud reservetur. Ceterum si abbatis aut cellerarii culpâ monasterium antedictum solutioni impotens factum fuisse comperiatur (cuius rei sedula per patres praesidentem ac visitatores fiat indagatio), in illos pro merito animadvertatur.

Si forte monasterium aliquod, inopinatâ urgente causâ, supra proprios redditus sumptus facere et consequenter aes alienum contrahere cogatur, in libris magistris eiusdem monasterii antedicta urgens causa dilucide annotetur et explicetur,

1 Vel *1659* legendum vel *1660* (R. T.).
2 Verbum *Suae* nos addimus (R. T.).
3 Forsan *ut* pro *tunc* legendum (R. T.).

deque eâ patres visitatores in actu visitationis et patres definitores in capitulo generali certiores reddantur, qui sedulo curabunt ut intra sequentem annum contractum debitum dissolvatur, eiusque solutionis rationem ac modum (si ab ipsis reperiri aut expediri non valeat) ad sacram congregationem deferant.

Abbatibus monasteriorum, quae aere alieno obligata sunt, et quibus proinde onus incumbit certas statutis temporibus ratas debiti partes successive persolvendi aut deponendi, nullatenus liceat redditus monasterii praeterquam in usus mere necessarios erogare, nisi solutâ prius[1] depositâ respective debitâ parte pecuniae, et praesertim prohibitum illis omnino sit quodcumque fabricae genus nisi praecisâ ac absolutâ urgente necessitate per regimen sedulo examinandâ et probandâ. Quod si adversus praedicta commiserint, et fabricae dispendium scuta quinquaginta excedat, antedictis abbatibus minime suffragetur indultum quod sacra congregatio rationabiles ob causas concedere aliquando solet petentibus dilationem ad solvendam seu deponendam ratam pro tempore debitam, et per consequens poenis obstricti censeantur, quae in licentiâ contrahendi dictum aes alienum praescriptae fuerunt in casu quo debita rata deposita aut soluta non fuerit, aliisque ad arbitrium, etc.

Sed et ceteris omnibus et singulis superioribus prohibitum sit pecunias etiam extraordinario titulo monasteriis acquisitas fabricando (praeterquam reparationis omnino necessariae causâ) expendere, sub poenâ suspensionis ab officio ipso facto incurrendae, aliâque maiori pro rei qualitate ac circumstantiis iuxta sacrae congregationis arbitrium.

A quindenniorum solutione nullum omnino monasterium eximatur, quamvis fortasse usque ad hanc diem aliquam ob causam ab iisdem solvendis fuerit exemptum; et ad huiusmodi solutiones faciendas minime census imponantur, aut alio modo aes alienum contrahatur, sed quotannis ex redditibus uniuscuiusque monasterii rata pars currentis quindennii in sacro Monte Pietatis de Urbe deponatur, cum expressâ mentione ut dicta pecunia in alios usus impendi nequaquam possit. Abbates vero et[1] cellerarii, in aliquo ex praedictis deficientes, privationis[2] vocis activae et passivae subiaceant.

Et, ne antedictae pecuniae depositae diu otiosae permaneant, ex ipsis loca montium cameralium nomine et ad favorem pro ratâ respective monasteriorum deponentium, consultâ sacrâ congregatione, emi poterunt, quae quidem loca maturis successive terminis solutionum vendantur ad effectum ipsa quindennia solvendi.

Atque, ut monasteria solutionibus huiusmodi prompte valeant respondere, quoties haereditario vel alio quocumque extraordinario titulo quicquam pecuniae ipsis obvenerit, id (nisi usque ad summam scutorum quinquagintâ dumtaxat) sine expressâ licentiâ regiminis nequeat expendi, praeterquam si in extinctionem alicuius debiti legitimi contracti convertatur. Prout etiam, si qui redditus fecundioribus forte annis uberius collecti ordinariis monasterii expensis superfuerint, absque praecisâ necessitate non expendantur, sed in subsidium aliorum subsequentium annorum, quibus fortasse minores proventus contingent, provide reserventur, cuius quidem reservationis disquisitio a patribus visitatoribus specialiter fiat; ita ut abbates et cellerarii, qui compendium huiusmodi neglexisse comperti fuerint, ab officiis suis ad beneplacitum sacrae congregationis suspendantur.

1 Videtur deesse particula *seu* (R. T.).

1 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

2 Vel leg. *privationi* vel addend. *poenae* (R. T.).

Quod intelligendum etiam est de iis abbatibus qui in suo ingressu ad alicuius monasterii regimen notabilem summam reliquorum, nempe pecuniae, aut aliarum rerum invenerint; quinimo horum reliquorum expressa mentio atque distincta descriptio fiat in principio libri, quo rationes dati et accepti describuntur.

In singulis monasteriis, ultra principales codices exitus et introitus, habeantur etiam particulares libri in quibus nedum descripti sint redditus et expensae uniuscuiusque granciae seu massariae, necnon index debitorum et creditorum ad easdem spectantium, sed insuper in primis dicti libri paginis accurata descriptio fiat uniuscuiusque granciae seu massariae, exprimendo fines, quantitatem et qualitatem terrarum, et quae sint sativae, sylvosae, vineatae, etc.; itidem aedificia quaecumque, addito etiam indice quorumcumque mobilium et instrumentorum rusticorum cuiusvis generis intra ipsa existentium, exprimendo numerum, qualitatem, ac pretium armentorum, pecudum el aliorum quorumcumque animalium, quae in ipsis granciis respective habentur: libri vero et descriptiones huiusmodi singulis annis a superioribus locorum ante visitationem, a patribus vero visitatoribus in ipso actu visitationis sedulo revideantur.

Qui patres visitatores, nedum abbates et superiores locorum, sed monachos quoque et commissarios in granciis pro animarum[1] culturâ degentes interrogando explorent, ac pro captu personarum disquirant, qui eius monasterii status oeconomicus, et quae administrandi ratio, fides, ac diligentia, et praesertim an procuratoriae generali satisfactum sit; ac, si quando comperiant eidem procuratoriae, cellerariorum praesertim culpâ aut inhabilitate, satis consultum non esse, debeant ipsi visitatores in actu visitationis, assignatâ prius congruâ portione pro victu et vestiario abbatis et[1] monachorum, commissarium specialiter designare, atque obligare fructus unius aut plurium granciarum ad effectum debitas ratas procuratoriae generali solvendi, ita ut loci cellerarius sub poenâ suspensionis ab officio ipso facto incurrendae super antedictos obligatos fructus manus apponere nequeat, sed iidem patres visitatores, conscio atque consulto abbate, eius monasterii particularem monachum probitate atque habilitate probatum deputent, qui praefatos fructus procuret ac vendat, et pretio eidem procuratoriae generali satisfaciat.

* Agrorum.

Decretum sanctae memoriae Innocentii X circa rationes administrationis per cellerarios reddendas, sub die XIII iulii MDCLIV editum, et a SS. D. N. per litteras in formâ Brevis sub die VII septembris MDCLV confirmatum, inviolate servetur.

In aedibus granciarum simplex ac praecise necessaria dumtaxat supellex detineatur, et in ipsis agris excolendis fructuosae tantum culturae ratio habeatur; nihil in viridariis, aliisque huiusmodi amoenitatibus atque deliciis pecuniae vel operis impendendo.

Sedulo etiam animadvertant superiores ne monachi vel alii grancias administrantes, hospitio aut recreationis titulo amicos aut propinquos seculares aut religiosos excipiendo, monasterii redditus insumant.

Contra praedicta vero committentes vel omittentes poenâ privationis vocis activae et passivae aliâque ad arbitrium sacrae congregationis pro modo ac qualitate culpae puniantur.

Is tantum numerus famulorum secularium in monasterio retineatur, qui prae-

1 Edit. Main. ad marg. habet *agrorum*; dubito an rite (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

cise necessarius sit, et, ubi per religiosos laicos commissos servitium praestari potest, famuli seculares nullatenus adhibeantur.

Unicus deputatus famulus singulis abbatibus sufficiat, et abbates ipsi unâ cum ceteris monachis in refectorio comedant, nec privatam mensam in cubiculo, nisi causâ infirmitatis vel alienius hospitis excipiendi gratiâ, habeant, idque raro et ob necessariam causam tantum; quod multo magis a titularibus abbatibus observandum erit, qui famulum etiam sibi assignatum ita necessario tantum detineant occupatum servitio, ut aliis quoque monasterii servitiis vacare possit.

Pro vestiario abbates duplum dumtaxat eius quod reliquis praestatur monachis obtineant.

Abbates vero titulares, qui aliâs monasterii regimen nunquam obtinuerunt, sed ex privilegio abbates dicuntur, idem penitus quod monachi ipsi, non obstante quocumque usu aut consuetudine sive indulto usque in praesentem die servato, habeant.

Itidem quicumque titulares abbates nullatenus a iurisdictione abbatis loci, sive, eo absente, eius superioris qui monasterio praeerit, exempti esse intelligantur, reservatis alioquin eorum honorariis, praeeminentiis, ac solitis praerogativis ceteroquin per haec decreta vel aliter [1] abrogatis.

In monasteriis aere alieno gravatis, excepto aliquo in dietâ ob aliquam necessariam causam declarando, rheda minime habeatur, sed is tantum numerus equorum, qui ad rem rusticam procurandam omnino necessarius sit.

Abbates et reliqui superiores quorumvis monasteriorum nonnisi necessariam ob causam officium suum concernentem itinerent. Et quatenus aliquo proprio respectu id agant, monasterii sumptibus non fiat, quod ab inferioribus quoque ministris ac ceteris omnibus monachis observetur, qui (et praesertim aetate iuniores) ad monasteria longe distantia, nonnisi praeviâ maturâ consideratione, transferantur.

Circa hospitalitatem erga personas extraneas exercendam, decretum per camdem sacram congregationem sub die XVIII ianuarii MDCLXI editum, et a SS. D. N. approbatum, omnino servetur.

Hospites vero monachi, etiam abbates, diu tamquam advenae magis delicato ac dispendioso victu non tractentur, sed, post diem unum ab eorum adventu, illis in refectorio communis mensa paretur; in qua tamen iisdem aliquod parvum edulium fraternâ charitate prae aliis exhiberi poterit; secularibus vero prandia, coenas et alias comessationes, recreationis titulo nuncupatas, dare omnino prohibitum sit.

Monachis, necnon abbatibus ipsis annuos redditus, aut alia quaecumque bona mobilia et immobilia, licet mediantibus eorum personis monasterio acquisita, nedum possidere, sed etiam administrare, vel titulo usufructus, depositi, custodiae, aut alio quolibet detinere sub poenâ privationis vocis activae et passivae omnino interdictum sit, sed ea omnia statim superiori cum ceteris monasterii bonis incorporanda et per officiales publicos administranda tradantur.

Neque circa hoc consuetudo ulla etiam immemorabilis, aut conniventia, vel expressa licentia superioris suffragetur, qui tamen religiosis necessitatibus eorum consulere non praetermittet, quorum respectu antedicta bona monasterio acquisita fuerunt.

Si quando contingat ut aliter per pios testatores vel alios circa praedicta disponantur [1], ad Sedem Apostolicam habeatur

[1] Forsan deest particula *non* (R. T.).

[1] Potius lege *disponatur* (R. T.).

recursus, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

FRANCISCUS cadinalis PAULUTIUS, praefectus ».

Oratorem a censuris absolvit.

§ 2. Cum autem firmiora sint illa, quae Sedis Apostolicae praesidio et munimine roborantur; hinc est quod nos, praemissorum omnium et singulorum firmitati et inviolabili observationi providere cupientes, ac dilectum filium procuratorem generalem dictae Congregationis Cassinensis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmatio decreti.

§ 3. Decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem praesentes litteras necnon decretum praeinsertum et in in illo contenta huiusmodi semper firma, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc, contigerit attentari.

Clausulas apponit.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis Cassinensis, eiusque monasteriorum quorumvis, etc., roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidemque[1] Congregationi Cassinensi, eiusque monasteriis, ac illorum superioribus et monachis, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, etc., irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, etc., non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, etc., illorum tenores, formas et occasiones praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu, etc., eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 aprilis 1660, pontif. anno VI.

CCXCIII.

Dat modum faciendi provisiones et electiones in capitulis generalibus et dietis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad apostolicae dignitatis apicem, meritis licet imparibus, divinâ dispositione evecti, in eam praecipue curam sollicitis studiis intendimus, ut religiosorum virorum sub suavi vitae monasticae iugo Altissimi obsequiis addictorum congregationes salubriter dirigantur, laudabilibusque institutis suis inhaerentes, feliciter in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis.

Statuit ut in rubricâ.

§ 1. Itaque, ut provisiones et electiones in capitulis generalibus et dietis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Be-

1 Potius lege *eidem* (R. T.).

nedicti de cetero faciendae ad omnipotentis Dei gloriam dictaeque Congregationis utilitatem fiant, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut in omnibus illis, quae tam in proximò, quod mense maio proxime venturo celebrabitur, et ceteris capitulis generalibus, per dilectos filios praesidentem et definitores, quam in subseqnentibus dietis dictae Congregationis Cassinensis quandocumque celebrandis per eumdem praesidentem et visitatores eiusdem Congregationis pro tempore existentes, respective fieri debebunt constitutiones ipsius Congregationis Cassinensis, necnon apostolicae in simili formâ Brevis litterae ac decreta eamdem Congregationem concernentia per Sedem Apostolicam approbata, exacte observentur, nec ullae dispensationes per capitula seu dietas huiusmodi vel praedictum praesidentem et definitores ac visitatores de cetero concedi ullatenus possint, sed illae dumtaxat dispensationes, quae a nobis seu auctoritate nostrâ concessae sunt hactenus, et in futurum tam a nobis quam a successoribus nostris Romanis Pontificibus seu nostrâ vel illorum auctoritate concedentur, robur et effectum obtineant.

Constitutiones Congregationis Cassinensis, et decreta Sedis Apostolicae servari mandat.

§ 2. Praetera, ut numerus decanorum praedictae Congregationis a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro per suas die XXI martii MDCVIII in formâ Brevis expeditas litteras praescriptus, ut scilicet unns tantum sit decanus pro monachis expresse professis eiusdem Congregationis, exacte pariter observetur. Promovendi antem ad decanatum omnia per praefatas constitutiones ac decretum a recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessore pariter nostro die VII novembris MDCXLV confirmatum requisita habere debeant, nec ulla decanorum huiusmodi electio cum clausulâ *si Romano Pontifici placuerit* fieri de cetero possit, tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus; firmo remanente decreto particularis congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium per nos deputatae super administratione monasteriorum Cassinensium restaurandâ per nostras in simili formâ Brevis litteras confirmato.

Decreta Pauli V et Innocentii X confirmat.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque indices, etc., iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoqusm, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus piae memoriae Clementis Papae VIII etiam praedecessoris nostri in formâ Brevis litteris die VI martii MDXCIII emanatis, per quas definitorio dictae Congregationis Cassinensis super defectu temporis ad abbatis dignitatem ac ad prioratum respective requisiti, omnibus votis suffragantibus, dispensandi facultas concessa fuit, aliisque constitutionibus et ordinationibns, congregationibus, etc., statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictae Congregationi, eiusque capitulo generali, dietae, definitorio, ac superioribus et monachis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, etc., quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu, etc., eadem prorsus fides in indicio et extra adhibeatur, quae prae-

Transumptis credi mandat.

sentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 aprilis 1660, pontif. anno VI.

CCXCIV.

Confirmatio facultatis Congregationi Doctrinae Christianae in Galliâ, dum unita erat Congregationi de Somaschâ, a Gregorio XV concessae docendi in scholis publicis, cum indulto ut ipsa Congregatio Doctrinae Christianae, licet a dictâ Congregatione de Somaschâ separata sit, nihilominus, unâ cum exercitiis sui principalis instituti, sacras scientias, humanioresque litteras in accademiis et collegiis publicis, in quibus ad praesens stabilita est, et in futurum stabilietur, sicut prius docere possit.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ad pastoralis dignitatis fastigium divinâ dispositione evecti, congregationes virorum in Ecclesiâ Dei pie salubriterque institutas, quo christifidelium utilitati fructuosius operam dare valeant, favoribus et gratiis libenter prosequimur opportunis.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias, presbyter et procurator Congregationis secularis clericorum Doctrinae Christianae in Galliâ, quod aliàs eadem Congregatio, quo exercitia sua et institutum docendi doctrinam christianam, cui plurimo cum animarum fructu indesinenter incumbit, fusius dilatare, diversisque provinciis, civitatibus et urbibus, ac vicinis earum locis campestribus communicare facilius posset, curam collegiorum, in quibus tam sacras scientias, quam humaniores litteras in scholis publicis doceret[1], suscipere cogitavit, huiusque rei nempe in scholis publicis docendi facultatem eo tempore quo Congregationi clericorum regularium de Somascâ nuncupatorum unita erat, a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro concedi sibi obtinuit. Unde vocati fuerunt dictae Congregationis Doctrinae Christianae operarii in multa diversarum provinciarum loca, in quibus eadem Congregatio, servando semper primarium institutum docendi doctrinam christianam, etiam iuvenes docet sacras scientias et humaniores litteras; sicque perseveravit ipsa Congregatio toto illo tempore, quo unita fuit cum praedictâ Congregatione de Somaschâ, et nunc quoque ab eâdem separata in eisdem exercitiis perseverat, ac curam collegiorum, ad quorum administrationem saepe a magistratibus locorum vocatur, de novo suscipit, attento quod, quamvis recolendae memoriae Innocentius Papa X etiam praedecessor noster per suas in simili formâ Brevis litteras die XXX iulii MDCXLVII super separatione congregationum praefatarum emanatas reposuerat Congregationem Doctrinae Christianae in suum pristinum statum, non tamen revocavit facultatem eidem Congregationi a praefato Gregorio praedecessore concessam tempore unionis.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli scrupuli et dubia oriri possint, an eiusdem Innocentii praedicti mens fuerit, reponendo Congregationem Doctrinae Christianae in pristinum statum, ut facultas docendi in scholis publicis eidem Congregationi a memorato Gregorio praedecessore sicut praemittitur concessa ipsi Congregationi post dissolutam unionem huiusmodi suffragari debe-

[1] Male edit. Main. legit *docere* (a. t.).

ret: nobis propterea dictus Franciscus bumiliter supplicari fecit ut in praemissis opportuoe providere et ut iofra iodulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Oratoris supplicationibus adhaeret.

§ 2. Nos igitur, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis ecommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore ceosentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, facoltatem docendi sacras scientias bumanioresque litteras, praefatae Congregationi Doctrinae Christianae a Gregorio praedicto sicut praemittitur concessam, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus; utque ipsa Congregatio Doctrinae Christianae, licet a memoratâ Coogregatiooe de Somascha separata, ut praefertur, nihilominos, unâ cum exercitiis sui principalis instituti, sacras scieotias bumanioresque litteras huiusmodi in academiis et collegiis publicis, in quibus od praesens stabilita est et in futorum stabilietur, sicut prius docere libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis coocedimus et iodolgemus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque io praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inaoe, si secus, etc., contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Noo obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordioatiooibus apostolicis, necnon quibosvis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet coocessis, coofirmatis et inoovatis; quibus omnibus et singulis, illorum teoores praesentibus, etc., specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX aprilis MDCLX, pontificatus nostri aono VI.

Dat. die 19 aprilis 1660, pontif. anno VI.

CCXCV.

Pro bono regimine Congregationis Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Cum, sicut accepimus, in Congregatione regulari clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum plures exortae siot controversiae, nos illas dirimere et bonum ipsius Congregatioois quantum in Domino possumus promovere cupientes,

Generalem et assistentes ad sexennium durare mandat.

§ 1. Moto proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatiooe oostris, deque apostolicae potestatis plenitudioe, statuimus et decernimus teoore praesentium ut praepositus geoeralis memoratae Congregationis et quatuor assisteotes, tam in ultimo capitulo geoerali electi, quam deiaceps io perpetuum eligeodi, durare debeant ad sexenoium tantum; ipsique assistentes votum habeant decisivum cum eodem praeposito generali in electionibus, deputationibus ac mutationibus quorumcumque soperiorum; item in causis et seatentiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex constitutionibus eiusdem Congregationis vel decretis capituli generalis fieri seu expediri debent a praeposito generali et assistentibus:

Assistentibus in causis criminalibus definitivum, in reliquis vero consultivum votum concedit.

in reliquis vero iidem assistentes votum habeant consultivum, et praepositus generalis quoad eum[1] fieri poterit eorum consilium sequatur ad praescriptum constitutionum ipsius Coogregationis, et unâ

[1] Videtur legendum *quoad per eum* (R. T.).

omnes cum praeposito generali resideant in domo S. Pantaleonis de Urbe.

Institutum huius Congregationis servari vult.

§ 2. Praeterea inviolate servari praecipimus laudabile dictae Congregationis institutum, praecipue in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos, deferendi habitum qualitatis et formae a praedictis constitutionibus praescriptae, incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formam constitutionum, denominandi personas eiusdem Congregationis non ex cognomine gentilitio sed ex nomine alicuius Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii huius instituti profitentur.

§ 3. In ceteris vero servari iubemus antiquas constitutiones Congregationis huiusmodi cum omnibus gratiis, indultis et privilegiis a Sede Apostolicâ eidem concessis; in iis tamen quae aptantur et congruunt statui Congregationis secularis, et praesentibus litteris non adversantur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictae Congregationis et aliis quibusvis, etc., privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu, etc., eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. 28 aprilis 1660, pontif. anno VI.

CCXCVI.

Confirmat decreta sacrarum congregationum ad sepulturam pertinentia pro provinciâ S. Saturnini Ordinis Minorum de Observantiâ in Sardinia.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva

Aliàs, pro parte dilecti filii Antonii Francisci Tholo et Pirella procuratoris provinciae S. Saturnini Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum in Sardinia, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dilecti pariter filii canonici et beneficiati metropolitanae ecclesiae Calaritanae die XI augusti MDCLIX conventum S. Mauri violenter ingressi fuerunt ad officiandum in illâ ecclesiâ contra decreta diversarum congregationum eiusdem S. R. E. cardinalium tenoris qui sequitur, videlicet:

Recensentur decreta sacrarum congregationum.

§ 1. « Sacra rituum congregatio iuxta aliàs resoluta respondit officium super cadaveribus in ecclesiis regularium spectare et pertinere ad ipsos regulares, non autem ad curatos defunctorum, et ita in posterum servari mandavit, non obstante contrariâ consuetudine. Die XXVII novembris MDCXXXVIII.

C. episcopus Portuensis cardinalis
Pius Iulius Cincius ».

Loco † Sigilli.

Necnon sacra congregatio cardinalium negotiis episcoporum et regularium praeposita censuit defunctorum cadavera in ecclesiis dictorum fratrum sepelienda ab aedibus defunctorum ad eorumdem fratrum ecclesias recto tramite deferri licite

posse, monito tamen prius et requisito ac expectato proprio defunctorum parocho, a quo benedictionem et ultimum vale recipere possent[1]; quo venire expresse recusante, possint iidem fratres etiam ipso invito dicta cadavera ad suas ecclesias transportare; consanguinei vero talium defunctorum illis parentare in parochialibus et aliis presbyterorum, etiam in cathedralibus, ecclesiis nullo modo possint. Si quae[2] vero immemorabilis consuetudo in contrarium super praemissis existere praetendatur, legitime probetur, et interim praesens decretum ad unguem servetur, prout eadem sacra congregatio servari mandavit.

Romae, die XIV iulii MDCXXXIX.

Cardinalis ANTONIUS BARBERINUS
Cardinalis C. FACCHENETTUS.

Loco † Sigilli.

Necnon sacra congregatio eminentissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit quoties cadavera defunctorum ad ecclesias fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum et reliqua, quae in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non a canonicis, neque a clero, sed a fratribus obiri et peragi debere.

H. B. cardinalis FRANCISCUS PAULUTIUS,
S. congr. secretarius.

Loco † Sigilli.

Necnon sacra rituum congregatio iuxta aliàs resolnta respondit electionem et numerum religiosorum pro associandis cadaveribus ad libitum haeredum defunctorum spectare et pertinere, et ita ubique servari debere declaravit die XIV ianuarii MDCXLIX.

P. cardinalis CRESCENTIUS,
IULIUS CINCIUS, secretarius.

Loco † Sigilli »:

1 Aptius lege *possint* (R. T.).
2 Potius lege *qua* (R. T.).

Factum enarratur.

§ 2. Quodque, in observantiam decretorum praeinsertorum et litterarum apostolicarum die XXIX augusti eiusdem anni MDCLIX emanatarum, fratres ecclesiae S. Mariae Iesu noluerunt permittere ut capitulum praedictae ecclesiae Calaritanae dictam ecclesiam S. Mariae Iesu ingrederetur, ipsum vero capitulum et beneficiati cadaver quoddam inde abripuerant et ad ecclesiam S. Eulaliae tulerant; et in eàdem expositione subiuncto, quod praefata decreta praeinsertis adversarentur; ideoque primodictae cardinalium congregationi supplicato ut decerneret cadaver huiusmodi restitui, et dicta decreta observari; et, si forte canonici quoad secundum decretum immemorabilem consuetudinem praetenderent, hoc nihil obstare, nisi legitime probetur: emanavit ab eàdem congregatione cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

« Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, reque, partibus tam verbo quam scripto informantibus auditâ[1], eminentissimo Santacrucio referente, diligenter ac mature examinatâ et discussâ, censuit cadaver, de quo agitur, restituendum esse, prout unà cum funerali pompâ restitui mandat et praecipit, ecclesiae S. Mariae Iesu fratrum Minorum Observantiae sancti Francisci, necnon[2] capitulo et clero metropolitanae ecclesiae Calaritanae funeralia in dictâ ecclesiâ sanctae Mariae neque in S. Mauri eorumdem fratrum exercere et celebrare super defunctorum ibidem sepelienda cadavera licere, reservato tamen iure eidem capitulo et clero probandi praetensam immemorabilem; et ita declaravit et decrevit,

1 Videtur legendum *auditis* (R. T.).
2 Legendum simpliciter *nec* (R. T.).

prout praesentium tenore declarat et decernit, in contrarium allatis minime obstantibus. Romae XII martii MDCLX.

M. cardinalis GINETTUS ».

Petitur confirmari.

§ 3. Cum autem, sicut dilectus Antonius Franciscus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum proxime insertum, pro firmiore illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Antonium Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, etc., harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, die XII martii proxime praeteriti emanatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae.

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, etc., sicque in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXX aprilis MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 aprilis 1660, pontif. anno VI.

CCXCVII.

Applicatio dimidiarum annatarum canonicatuum, beneficiatuum, ac clericatuum ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe fabricae et sacristiae, quamvis fructus et emolumenta huiusmodi aliis oneribus sive pensionibus gravata existant, etc.[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Clementis VIII.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, ut fabrica ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe incumbentia sibi onera supportare posset, in visitatione eiusdem ecclesiae statuit et ordinavit, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus omnes et singuli, quibus de ipsius ecclesiae canonicatibus et praebendis quovis modo pro tempore vacantibus per ipsum Clementem praedecessorem aut eius successores vel quoscumque alios quavis auctoritate provisum foret, medietatem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, necnon distributionum quotidianarum ac emolumentorum quorumcumque, universorum et singulorum primi anni suorum canonicatuum et praebendarum eidem fabricae dare et persolvere omnino et absque ullâ diminutione, omni et quacumque exceptione, appellatione et recursu semotis, deberent et tenerentur, statutumque[2] huiusmodi inter alia ecclesiae praedictae statuta per quoslibet ex illius canonicis in assecutione possessionis suorum canonicatuum et praebendarum observari et iurari solita adscribendum et annotandum esse mandavit; et nihilominus medietatem[3] omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum, ac distributionum quotidianarum primi anni omnium et singulorum canonicatuum et praebendarum ec-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Male edit. Main. legit *statumque* pro *statutumque* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *medietate* (R. T.).

clesiae praedictae, post promissionem de illis faciendam decurrendorum, eidem fabricae (ita quod liceret capitulo et canonicis dictae ecclesiae, ipsiusque fabricae camerario, et aliis ab eisdem capitulo et canonicis deputatis seu deputandis, dictae fabricae nomine, propriâ auctoritate medietatem huiusmodi debitis temporibus percipere et in ipsius fabricae usus convertere cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) perpetuo applicavit et appropriavit, et aliàs prout in decreto eiusdem Clementis praedecessoris desuper sub datâ die XIV iulii MDXCII, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, continetur.

Motiva.

§ 2. Nunc autem nos, pro commissâ nobis caelitus omnium ecclesiarum sollicitudine, fabricae praedictae, necnon sacristiae eiusdem ecclesiae S. Ioannis Lateranensis, quae (ut accepimus) sacrâ suppellectili, quantum ipsius ecclesiae dignitas requirit et necessitas exigit, instructa minime reperitur, consulere cupientes, de congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium necnon dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicâ ecclesiarum et locorum piorum Urbis praedictae a nobis institutae deputatorum consilio, statutum et ordinationem, aliaque praemissa, ac decretum desuper a Clemente praedecessore emanatum huiusmodi (quamvis fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianae, iura, obventiones et emolumenta praedicta aliis oneribus seu pensionibus gravata existant), ita ut medietas huiusmodi in dictae ecclesiae fabricam, eamque restaurandam, vel in sacram suppellectilem parandam, uti res ipsa postulaverit, converti, applicari et erogari libere et licite possit et debeat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo innovamus, ac de cetero perpetuis futuris temporibus servari debere decernimus.

Decretum praeinsertum confirmat.

Praeterea idem statutum et ordinationem ad omnes et singulos, quibus de beneficiis, beneficiatibus, vel clericatibus nuncupatis in eâdem ecclesiâ S. Ioannis Lateranensis quovis modo nunc forsan vacantibus et in posterum quandocumque vacaturis per nos vel Romanos Pontifices successores nostros et Sedem Apostolicam aut alios quoscumque etiam speciali notâ et expressione dignos etiam cardinalatus honore fulgentes quavis auctoritate provisum pro tempore fuerit (ita quod eorum singuli medietatem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum necnon distributionum quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque primi anni suorum beneficiatuum et clericatuum, quamvis aliis oneribus seu pensionibus gravata existant, fabricae vel sacristiae praedictae dare et persolvere omnino et absque ullâ diminutione, omni et quacumque exceptione, appellatione et recursu penitus semotis, similiter debeant et teneantur) auctoritate et tenore praedictis extendimus; et nihilominus medietatem omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, ac distributionum quotidianarum primi anni omnium et singulorum beneficiatuum et clericatuum huiusmodi, post provisionem de illis faciendam decurrendorum, eidem fabricae vel sacristiae (ita quod pariter liceat capitulo et canonicis praedictis, ipsiusque fabricae camerario, et aliis ab eisdem capitulo et canonicis deputatis seu deputandis, dictae fabricae vel sacristiae nomine, propriâ auctoritate eamdem medietatem debitis temporibus percipere, ac in ipsius fabricae usus, vel in sacram suppellectilem parandam, uti res ipsa postulaverit, convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) auctoritate et tenore paribus itidem perpetuo

applicamus et appropriamus. Volentes et districte praecipientes ut dimidiae annatae huiusmodi, ab illis, qui canonicatus et praebendas vel beneficiatus aut clericatus praedictos respective pro tempore quandocumque obtinebunt, persolvendae, et fabricae vel sacristiae praedictae, sicut praemittitur, applicatae, unâ cum annuâ perpetuâ pensione ducentorum scutorum a memorato Clemente praedecessore super canonicatus et praebendas[1] eiusdem ecclesiae, quos dilectus filius Virgilius Panzirolus ad praesens obtinet, fructibus, redditibus, proventibus, distributionibus et emolumentis universis impositâ, penes depositarium pro tempore existentem capituli et canonicorum praedictorum deponantur, nonnisi pro ipsius ecclesiae manutentione et restauratione, ne[2] vel in parandam, sicut praemittitur, sacram suppellectilem impendendae: de quibus fabricerii singulis annis exactam rationem reddere, et, si quid supererit, illud in emptionem tot locorum montium camerae non vacabilium ad eumdem effectum investire teneantur; sublatâ omni facultate capitulo et canonicis praedictis, eorumque depositario et exactoribus, de illis aliter disponendi, sub poenâ capitulo contrafacienti solvendi duplum de proprio, quod fabricae vel sacristiae praedictae applicatum censeatur ipso facto; fabriceriis vero, ultra poenam praedictam, etiam excommunicationis eo ipso incurrendae si secus disponere aut aliter solvere praesumpserint.

Contravenientium poenae.

Clausulas apponit.

§ 3. Ac decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod capitulum et canonici, ac ceteri praedicti, aliive quicumque, etiam speciali et individuâ mentione digni, etiam cardinalatus aut aliâ quacumque dignitate, praerogativâ vel honore praediti seu fulgentes, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati, etc., seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut iustificatae nullatenus aut non sufficienter fuerint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iustâ et privilegiatâ causâ, etc., etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, etc., vel aliorum quorumcumque, aliâve[1] quolibet quantumvis magno, substantiali et individuam expressionem requirente defectu, notari, impugnari, etc., ad viam seu terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, etc., quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium invocationum[2], etc., aliisque contrariis dispositionibus, si quas etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros Sedemque praedictam, etiam per viam constitutionis aut ordinationis generalis vel specialis aut regulae cancellariae apostolicae, et aliàs quomodolibet fieri contigerit, unquam comprehendi, etc., sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum et robur restitutas, etc., editas esse censeri, firmasque, etc., inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices, etc., definiri debere, ac irritum et inane, si secus, etc., contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus nostris in simili formâ Brevis die XVIII decembris MDCLVII

1 Forsan legendum *praebendae* pro *praebendas* (R. T.).

2 Vocula *ne* prorsus redundat et sensum confundit (R. T.).

1 Lege potius *aliove* (R. T.).

2 Legend. *revocatione* vel *revocationibus* (R. T.).

emanatis litteris, necnon, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in unionibus ac dismembrationibus et applicationibus fructuum et bonorum ecclesiasticorum, et aliis quibusvis cancellariae praedictae regulis a nobis hactenus editis et in futurum quandocumque per nos vel successores nostros Romanos Pontifices edendis, et aliis apostolicis et in Lateranensi novissime celebrato uniones perpetuas, nisi in casibus a iure expressis, fieri prohibente, aliisque, [1] universalibus et provincialibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae et fabricae praedictarum, et aliis quibuslibet, etc., ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque quibusvis efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, etc., in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, etc., mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones, ac singulorum canonicatuum et praebendarum, beneficiatuum et clericatuum praefatorum fructuum, etc., veros annuos secundum communem aestimationem valores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die X maii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 maii 1660, pontif. anno VI.

1 Videtur deesse praeposit. *in* (R. T.).

CCXCVIII.

Proibisce le lire e bolognini nelle provincie di Bologna, Ferrara, Romagna e Ravenna, volendo che vi si introducano i giuli e baiocchi.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Meditatio cordis nostri ad ea praecipue convertitur, per quae nostrorum et S. R. E. in temporalibus subditorum utilitatibus opportunâ ratione consulitur. Cum itaque aliàs, videlicet die I iulii proxime praeteriti, dilectus filius noster Gibertus eiusdem S. R. E. presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, noster et Sedis Apostolicae in provinciâ nostrâ Romandiolae et exarchatu Ravennae de latere legatus, edictum iussu nostro ediderit et subinde die XIV eiusdem mensis iulii publicari fecerit tenoris qui sequitur, videlicet: Prooemium.

§ 1. Giberto della S. R. C. prete cardinale Borromeo, della provincia di Romagna ed esarcato di Ravenna *de latere* legato. Avendo la Santità di nostro signore Papa Alessandro VII, con la sua infinita prudenza ed applicazione al pubblico beneficio di questa provincia, oltre a tante grazie compartitegli, considerato di quanto pregiudizio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete col qualo vengono i suoi popoli a ricevere per le lor biade e frutti della solita bontà il prezzo in moneta [1] calcolate a più di quello che intrinsecamente vagliono, ed avendo considerato che le provisioni, prese sopra ciò da molti de' suoi antecessori, non solo non hanno portato quel buon effetto che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alterazione che sempre più si possono temere maggiori disordini; e dipendendo questi in Edictum Legati.

1 Legendum *monete* (R. T.).

gran parte dall'essere le monete calcolate in lire, che non sono effettive, ma una moneta immaginaria, che con troppa facilità viene dall'avarizia e dall' industria ed artifici di alcuni mercanti alterata; essendosi esaminata con una lunga ed esatta discussione la materia, e sentiti i suoi ufficiali, e pratici mercanti, e altri che vi possono aver interesse, ha risoluto porvi rimedio con gl'infrascritti ordini e provisioni, che di comandamento della Santità Sua al presente si pubblicano, e si avranno inviolabimente da osservare sotto le pene in essi contenute:

Prima si ordina e comanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di lira e bolognini, e che tutti i debiti e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutto, eziandio livelli, canoni, censi; legati pii, gabelle, *etiam* camerali, mercedi, porti di lettere, e di qualsivoglia contratto che ricerchi speciale et individuale menzione, fatto in qualsivoglia tempo, tra qualsivoglia persona, tanto laicale d'ogni maggior dignità, *etiam* regale, ducale, et imperiale, quanto ecclesiastica, secolare e regolare di qualsivoglia preeminenza, *etiam* dei cardinali e della camera apostolica, che cantano o sono dovuti in moneta di lira, s'intendano convertiti in giuli e baiocchi a ragione d'ogni cinque lire e mezza cento baiocchi papali che constituiscono dieci giuli, e di undici bolognini dieci baiocchi che fanno un giulio; e per ogni baiocco quattrini sei, del peso e bontà di quelli di Bologna, ed un quattrino due danari, facendosi conto che[1], secondo il presente valore di scudi di paoli col medesimo numero di giuli, che si pagherebbe adesso il debito costituito in lire, viene a costituirsi il nuovo debito in moneta di giuli; ed in questa forma dovrà dai debitori pagarsi e dai creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie *etiam* corporali, ad arbitrio di Sua Eminenza. E perchè in Rimini e S. Arcangelo il giulio è valutato ora meno che altrove, si dichiara, che nella città di Rimini e terra di S. Arcangelo e nei loro governi, la detta riduzione si faccia a ragione di ogni cinque lire, bolognini sei, quattrini quattro in uno scudo di giuli dieci, e per ogni bolognino dieci quattrini, quattro in un giulio[1].

§ 3. Che da ora avanti nessuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorta in moneta di lira e bolognini; ma, o nelle monete d'oro ed argento effettive, o in scudi e baiocchi papali, sotto pena a ciascuno dei contraenti della perdita della somma e robba contratta, oltre la nullità del contratto.

§ 4. Che tutte le monete correnti non si possano calcolare se non a moneta di giuli e baiocchi papali, secondo la loro bontà intrinseca e valore di ciascuna, che sarà dichiarata nel presente editto, e non si possano alterare nè spendere di vantaggio, dandole e ricevendole alla medesima valuta e con gli stessi pesi, proibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente editto, o che essendo nominata nel presente editto, non sarà della bontà e lega giusta, in maniera che non si possa introdurre, nè contrattare, nè ritenere, sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo, e dei corporali, *etiam* di galera perpetua ad arbitrio, secondo le qualità e circostanze dei casi; dichiarando però, che le proibite che si trovassero qui nel tempo del presente editto si possano solo ritenere per due mesi, che se gli dà tempo di farne esito fuori della Legazione.

§ 5. Che tutti i banchieri, bancherotti,

1 Syntaxim emendet lector scius (R. T.).

1 Ex § 6 sequenti legendum *e per ogni bolognini dieci, quattrini quattro, in un giulio* (R. T.).

mercanti, gabellieri stiano avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega ed altre tollerate, che non siano alterate, e ritrovandosi tali, ne diano subito notizia al governatore del luogo, perchè possa fare le diligenze necessarie, sotto pena della perdita della moneta, scudi ducento, ed altre corporali arbitrarie, *etiam* della galera. Che ogni banchiero, mercante, speziale, beccaro, fornaro, lardarolo ed oste tenga questo bando affisso nei loro banchi e botteghe, sotto pena di scudi cinquanta.

Che, sotto pene ad arbitrio di Sua Eminenza anco corporali, tutti i prezzi di robbe, così commestibili, come pane, carne, olio ed altro, come non commestibili, che sono adesso tariffate in moneta di lira e bolognini, si convertano in moneta di giuli e baiocchi e quattrini, con la sudetta proporzione, che quello che si pagava undici bolognini, che facevano un giulio, si paghi dieci baiocchi papali, che è la valuta del medesimo giulio; onde, dove prima si davano trenta oncie di pane per quattro bolognini, adesso per quattro baiocchi se ne daranno trentatre, e nella medesima conformità si farà nelle altre robbe secondo la nuova tariffa, che di giuli e baiocchi si daranno da per tutto dai governatori ed ufficiali nel medesimo tempo della pubblicazione del presente editto.

§ 6. Dichiarandosi, che nei Governi di Rimini e S. Arcangelo le tariffe si aggiustino con la proporzione posta nel capitulo primo, cioè a ragione d'un giulio per ogni bolognini dieci e quattrini quattro. E quanto ai prezzi delle robe e mercanzie, che non hanno tariffa, dovranno i mercanti usare la medesima proporzione e non pigliar occasione di alterarli, sotto pene *etiam* corporali, ad arbitrio di Sua Eminenza.

§ 7. Si notifica ad ognuno, che alle dette pene saranno tenute tutte le persone, così secolari come ecclesiastiche e regolari di qualsivoglia privilegio, dignità e preeminenza, che ricerchi speciale ed individua menzione, e si procederà per inquisizione ed in ogni altro miglior modo. E questo editto pubblicato in Ravenna nel luogo solito, legherà ognuno in questa provincia dopo cinque giorni, come se fosse personalmente intimato.

Subiunctâ praeinserto edicto peculiari aestimatione seu tariffâ monetarum argentearum et aurearum, per quam eaedem monetae ad rationem tot iuliorum, baioccorum et quatrenorum respective aestimantur et reducuntur, cum nonnullis ordinationibus prout in eâdem tariffâ, quam praesentibus pro plene et sufficienter expressâ ac de verbo ad verbum insertâ haberi volumus, uberius continetur.

Decreta praeinserta confirmat.

§ 8. Hinc est quod nos, praemissorum omnium et singulorum firmiori robori et inviolabili observantiae consulere cupientes, edictum praeinsertum, subiunctamque eidem tariffam et ordinationes huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et inde sequutis, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illaque rata et grata habemus, ac iussu nostro emanasse declaramus et attestamur, necnon illis omnibus et singulis inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum praescripto, quam aliàs quomodocumque et qualitercumque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet, quantumvis magnos ac formales et substantiales, individuâque mentione dignos defectus, si qui in praemissis vel eorum

aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, praetendi, vel intelligi possint, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta et inserta quaecumque, necnon tariffam et ordinationes huiusmodi ab omnibus et singulis, ad quos nunc quoquo modo spectat et spectabit in futurum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, et legati de latere potestate et auctoritate fungantur, semper et perpetuo inviolabiliter et inconcusse observari debere, neque ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae aut verificatae et iustificate non fuerint, seu ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantiali ac inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari et restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris et restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris et facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae thesaurarium generalem, praesidentes, clericos, aliosve officiales et ministros et ceteros quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae addit.

Derogat contraria.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari numquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon civitatum, oppidorum, terrarum, locorum et ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum, conventuum, ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritanti-

busque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 10. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii[1] MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 maii 1660, pontif. anno VI.

CCXCIX.

Ordini per la città e ducato di Ferrara, cioè che vi resti totalmente abolito il nome di lira e bolognini, e che tutti i debiti che cantano in moneta di lira, s'intendano convertiti in giuli e baiocchi[2].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Meditatio cordis nostri ad ea praecipue convertitur, per quae nostrorum et S. R. E. in temporibus subditorum utilitatibus opportunâ ratione consulitur. Cum itaque aliàs dilectus filius noster Laurentius tituli S. Chrysogoni eiusdem S. R. E. cardinalis Imperialis nuncupatus, noster et Sedis Apostolicae in civitate et ducatu Ferrariensi nostris de latere legatus, edictum iussu nostro ediderit et publicari fecerit tenoris qui sequitur, videlicet:

Edictum Legati. § 1. Lorenzo cardinal Imperiale nella città e ducato di Ferrara *a latere* legato, ecc. Avendo la Santità di nostro signore Papa Alessandro VII, con la sua infinita prudenza ed applicazione al publico benefizio di questa provincia, oltre a tante grazie compartitegli, considerato di quanto pregiudizio gli sia l'ingiusto accrescimento del valore estrinseco delle monete, col quale vengono i suoi popoli a ricevere per le lor biade e frutti della solita bontà il prezzo in monete calcolate a più di quello che intrinsecamente vagliono, e che le provvisioni prese sopra ciò da molti de' suoi antecessori non solo non hanno portato quel buon effetto che si desiderava, ma fatto vedere con la successiva alterazione che sempre più si possono temere maggiori disordini, e dipendono questi in gran parte dall' esser le monete calcolate in lire che non sono effettive, ma una moneta imaginaria che con troppa facilità viene dall'avarizia e dall'industria e artifici di alcuni mercanti alterata, e essendosi esaminata con una lunga e esatta discussione la materia, e sentiti non solo i suoi uffiziali, e pratici mercanti, e altri che ci possono aver interesse, ha risoluto porvi rimedio con gli

[1] Incohaerenter tam edit. Main. tam Cherub. habet 1657, an VI; edit. Main. ad marg. habet an. V, et tunc legendum foret MDCLIX; at standum est datae suprascriptae (n. V.).

[2] Consimilem monetarum reductionem habes in praec. Constitutione, *Meditatio*, et iterum infra in Constitutione eodem modo incipiente ab hoc Sanctissimo Pontifice emanatis.

infrascritti ordini e provisioni, che di comandamento della Santità Sua si publicano e si averanno inviolabilmente da osservare sotto le pene in essi contenute:

§ 2. Prima si ordina e comanda espressamente, che resti totalmente abolito il nome di lira e bolognini, e che tutti i debiti e pagamenti, tanto in capitale, quanto in frutti, eziandio livelli, canoni, censi, legati pii, gabelle anche camerali, mercedi, porti di lettere, e di qualsivoglia contratto che ricerchi speciale e individuale menzione, fatto in qualsivoglia tempo, tra qualsivoglia persona, tanto laicale di ogni maggior dignità, anche regale, ducale e imperiale, quanto ecclesiastica, secolare e regolare di qualsivoglia preeminenza, anche de' cardinali e della camera apostolica, che cantano e sono dovuti in moneta di lira, s'intendano convertiti in giuli e baiocchi a ragione d'ogni cinque lire e mezzo centinaro[1] baiocchi papali, che costituiscono dieci giuli, e di ogni undici bolognini dieci baiocchi, che fanno un giulio, e per ogni baiocco quattrini sei del peso e bontà di quelli di Bologna, e un quatrino due danari, facendosi conto, che secondo il presente valore di scudi di paoli col medemo numero di giuli, che si pagarebbe adesso il debito costituito in lire, viene a costituirsi il nuovo debito in moneta di giuli, e in questa forma dovrà da debitori pagarsi e da creditori riscuotersi sotto pene arbitrarie, anche corporali, ad arbitrio di Sua Eminenza.

§ 3. Che da ora avanti nessuno ardisca di far contratto di qualsivoglia sorte in moneta di lira e bolognini, ma o nelle monete d'oro ed argento effettive, o in scudi e baiocchi papali, sotto pena a ciascuno de' contraenti della perdita della somma e robba contrattata, oltre la nullità del contratto.

1 Confer et corrige ut supra pag. 574 a (R.T.).

§ 4. Che tutte le monete correnti non si possano calcolare se non a moneta di giuli e baiocchi papali, secondo la loro bontà intrinseca e valore di ciascuna che sarà dichiarata col presente editto, e non si possano alterare nè spendere di vantaggio, dandole e ricevendole alla medesima valuta e con gl'istessi pesi, proibendo qualsivoglia altra moneta, che non sarà nominata nel presente editto, e che essendo nominata nel presente editto, non sarà della bontà e lega giusta, in maniera che non possa introdurre, nè contrattare, nè ritenere sotto pena della perdita del danaro, del quadruplo e dei corporali, *etiam* di galera perpetua, ad arbitrio, secondo la qualità e circostanze de'casi, dichiarando però che le proibite, che si trovassero qui nel tempo del presente editto, si possano solo ritenere per due mesi, che se gli dà tempo di farne esito fuori della Legazione.

§ 5. Che tutti li banchieri, bancherotti, mercanti, gabellieri stiano avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega e altre tollerate, che non siano alterate, e ritrovandosi tali, ne diano subito notizia al signor giudice de'savì in Ferrara e nel distretto, e alli governatori de' luoghi fuori del distretto, perchè possa fare le diligenze necessarie, sotto pena della perdita della moneta, scudi ducento e altre corporali arbitrarie, *etiam* della galera. Che ogni banchiero, mercante, speziale, bottegaro, beccaro, fornaro, lardarolo ed altri artefici tenga questo bando affisso nei loro banchi, botteghe, sotto pena di scudi cinquanta. Che sotto pena ad arbitrio di Sua Eminenza anco corporali, tutti i prezzi di robbe, così comestibili, come pane, carne, olio ed altri comestibili, che sono adesso tariffate in moneta di lira e bolognini, si convertano in moneta di giuli e baiocchi e quatrini con la suddetta proporzione, che quello che si pa-

gava undici bolognini, che facevano un giulio, si paghi dieci baiocchi papali, che è la valuta del medesimo giulio; onde siccome prima si davano trenta oncie di pane per quattro bolognini, adesso per quattro baiocchi se ne daranno trentatre oncie, e nella medesima conformità si farà nelle altre robe secondo la nuova tariffa, che in giuli e baiocchi si daranno dappertutto dai governatori e ufficiali nel medesimo tempo della pubblicazione del presente editto. E quanto ai prezzi delle robe e mercanzie che non hanno tariffa, dovranno i mercanti usare la medesima proporzione e non pigliar occasione di alterarli, sotto pena *etiam* corporale ad arbitrio di Sua Eminenza.

§ 6. Si notifica ad ognuno che alle dette pene saranno tenute tutte le persone così secolari come ecclesiastiche e regolari di qualsivoglia privilegio, dignità e preeminenza, che ricerchi speciale e individua menzione, e si procederà per inquisizione e in ogni altro miglior modo. E questo editto, affisso, publicato nei luoghi soliti, legherà ognuno dopo cinque giorni, come se fosse personalmente intimato.

Dato nel castello di Ferrara questo di XII luglio MDCLIX, pubblicato il XIV detto mese.

LORENZO card. Imperiale, legato, ecc.

Subiunctâ praeinserto edicto peculiari aestimatione seu tariffâ monetarum argentearum et aurearum, per quantum eaedem monetas ad rationem tot iuliorum, baiocchorum et quatrenorum respective aestimantur et reducuntur, cum nonnullis ordinationibus, prout in eâdem tariffâ, quam praesentibus pro plene et sufficienter expressâ ac de verbo ad verbum insertâ haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat decretum.

§ 7. Hinc est quod nos, praemissorum omnium et singulorum firmiori robori et inviolabili observantiae consulere cupientes, edictum praeinsertum, subiunctamque eidem tariffam et ordinationes huiusmodi, cum omnibus at singulis in eis respective contentis et inde sequutis, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illaque rata et grata habemus, ac iussu nostro emanasso declaramus et attestamur, necnon illis omnibus et singulis inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus, omnesque et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum praescripto, quam aliàs quomodocumque et qualitercumque etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet quantumvis magnos ac formales et substantiales individuâque mentione dignos defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, praetendi et intelligi possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Clausulae.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta et inserta quaecumque, necnon tariffam et ordinationem huiusmodi ab omnibus et singulis ad quos nunc quoquo modo spectat et spectabit in futurum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, et legati de latere potestate et auctoritate fungantur, semper et perpetuo inviolabiliter et inconcusse observari debere neque ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae aut verificatae et iustificatae non fuerint, seu ex aliâ qualibet quantumvis iustâ, legi-

timâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis substantiali aut inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae thesaurarium generalem, praesidentes, clericos, aliosve officiales et ministros et ceteros, quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, definiri debere, âc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita ut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon civitatum, oppidorum, terrarum, locorum, ac ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum, conventuum, ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumlibet, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 10. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae

praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 maii 1660, pontif. anno VI.

CCC.

Deputatio iudicis causarum et exequutoris decretorum visitationis ecclesiarum Urbis a Sanctitate Suâ indictae [1].

Venerabili fratri Octavio, Patracensi, archiepiscopo

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Supradictum Octavium archiepiscopum iudicem causarum et decretorum exequutorem constituit.

§ 1. Ut ea, quae in visitatione ecclesiarum almae Urbis a nobis seu S. R. E. cardinalibus in auditores visitationis huiusmodi per nos specialiter assumptis salubriter decreta sunt et decernentur, debitae exequutioni quamprimum demandentur, et controversiae illius occasione, praesertim inter personas ecclesiasticas, quas litium dispendiis a Dei servitio avocari minime decet, ad nostram audientiam deductae et deducendae, quantocitius terminentur, te, de cuius probitate et doctrinâ plurimum in Domino confidimus, iudicem causarum et exequutorem decretorum huiusmodi visitationis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus, dantes tibi plenam et liberam facultatem, quae a nobis et cardinalibus praedictis in eâdem visitatione decreta, statuta et ordinata sunt et erunt, exequi et observari faciendi, contra inobedientes et negligentes, necnon cuiuscumque criminis, occasione dictae visitationis detecti, reos et delinquentes, eorumque complices et fautores, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, per viam accusationis, querelae vel denunciationis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, inquirendi et procedendi, reosque, prout canonicae requirunt sanctiones, et aliàs nostro seu eorumdem cardinalium arbitrio, puniendi, ac tam super praemissis, quam etiam alias quascumque in eâdem visitatione, aut etiam antea, per nos tamen tibi etiam absque speciali commissione committendas causas ecclesiasticas vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas, inter capitula, conventus, collegia, universitates, confraternitates, archiconfraternitates, eorumque superiores, ac singulares personas ecclesiasticas, seculares, vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares, etiam exemptas, et quovis privilegio et immunitate suffultas, etiam nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectas, seu etiam inter laicos motas et movendas, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie, simpliciter et de plano, et aliàs, ut praefertur, terminis substantialibus unico contextu vel etiam non servatis, sed illorum loco praefixo termino arbitrio tuo et de eiusdem visitationis mandato procedendi, audiendi et fine debito terminandi, et ad hunc celerorumque contingentium effectum quoscumque etiam per edictum publicum constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi et monendi, eisque ac quibusvis iudicibus, et ceteris personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis tuo arbitrio moderandis et applicandis, inhibendi, contra inobedientes quoscumque censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones et monitoria, etiam sub censuris

Supradicto Octavio facultatem puniendi reos concedit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et aliis poenis praedictis, ceterisque tibi benevisis remediis, omni et quacumque appellatione postpositâ, decernendi, omniaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, mandandi et exequendi, etiam quae expressionem requirerent magis specialem, et sub generali concessione non venirent, dummodo inconsultis nobis aut cardinalibus praedictis, et nisi de eorum voto, in aliquo praemissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas.

Contraria tollit. § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque etiam patriarchalium ecclesiarum, monasteriorum, domorum et ordinum, confraternitatum, archiconfraternitatum, congregationum et hospitalium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI maii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 31 maii 1660, pontif. anno VI.

CCCI.

Declarat alumnos collegiorum apostolicorum non ad triennium tantum, sed perpetuo quoad vixerint Sedis Apostolicae servitio adstrictos esse, et dat formam iuramenti.

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. Cum circa iuramenti vinculum, quo pontificiorum collegiorum alumni Sedis Apostolicae (a qua maximis sumptibus educantur) servitio recipiuntur[1] adstricti, variae fuerint hucusque a nonnullis excogitatae interpretationes, quibus eiusdem Sedis in hoc eludatur intentio, et Dei gloriae ac servitio, cui huiusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur:

§ 1. Nos, etc.[2].

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii[3] MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 iunii 1660, pontif. anno VI.

CCCII.

De obligatione denunciandi haereticos, vel de haeresi leviter suspectos, et quod in materiâ haeresis non admittitur correctio fraterna.

Feriâ V, die VIII iulii MDCLX, in congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico apud S. Mariam Maiorem coram SS. D. N. Alexandro divinâ providentiâ Papa VII, ac EE. et RR. DD. S. R. E. cardinalibus in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a S. Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Constitutio Pauli V. Licet aliàs per constitutionem felicis recordationis Pauli V emanatam sub die I septembris MDCVI, quae incipit *Romanus Pontifex*, fuerit districte prohibitum

1 Potius legendum *reperiuntur*, ut infra, pagina 587 (R. T.).

2 Reliquum omittimus, quia eadem Constitutio habetur infra loco debito sub data XX iulii (R. T.).

3 Istud datum erroneum evincitur ex eo quod in Constitutionea citantur declarationes sub datâ XX iulii. Haec eadem Constitutio legitur infra, numero CCCV, sub vero dato, ideoque priorem hanc illius recensionem eliminandam esse censuimus (R. T.).

superioribus regularium, ne quovis titulo vel praetextu praeventionis, aut consuetudinis et praescriptionis, etiam immemorabilis, aut alio, in causis ad S. Officium spectantibus se quoquo modo intromittere aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant; imo ex eiusdem constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter iniunctum, ut suos subditos ac religiosos, quos haeresis labe infectos vel de haeresi suspectos noverint, absque aliâ consultatione cum propriis suae religionis superioribus vel aliâ quavis personâ faciendâ, sine morâ inquisitoribus vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient:

Motiva renovationis.

§ 1. Nihilominus, animadvertens SS. D. N. Alexander VII ab aliquibus regularibus in dubium revocari praedictam denunciandi obligationem, adeo ut nedum suos subditos non denuncient, verum etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes an debeant S. Officio denunciare quae audierunt aut viderunt ad ipsum S. Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imo aliquando eosdem perperam instruant non teneri, nec sub obligatione constitutionum apostolicarum comprehendi, et hanc opinionem erroneis aliquot doctorum sententiis confirmare tentantes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur:

Constitutionem Pauli V Alexander VII innovat.

§ 2. Volens proinde Sanctitas Sua abusum huiusmodi ex sui pastoralis officii debito coërcere, post maturam facti discussionem, auditis votis eminentissimorum et reverendissimorum dictorum cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, innovat constitutionem praedictam a felicis recordationis Paulo V emanatam, et, quatenus opus sit, eam declarans, hoc praesenti decreto districte praecipit et mandat omnibus et singulis regularium generalibus, provincialibus, abbatibus, prioribus, guardianis, rectoribus, praepositis, aliisque eiusmodi quocumque nomine nuncupatis superioribus cuiuscumque Ordinis et instituti, sive Mendicantium sive non Mendicantium, necnon congregationis et societatis clericorum regularium quorumcumque, etiam Societatis Iesu, aliorumque quomodocumque exemptorum vel non exemptorum, etiamsi essent specialiter et nominatim exprimendi, ut omnino dictae constitutioni in omnibus pareant, et omnes et quoscumque religiosos, tam sibi ipsis subditos quam non subditos, cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant, haereticos vel de haeresi quomodocumque etiam leviter suspectos deferant et iudicialiter denuncient inquisitoribus vel locorum Ordinariis, et nullatenus in causis ad S. Officium spectantibus audeant se intromittere, neque suos subditos ad S. Officium recurrentes, vel recurrere aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo sive directe sive indirecte avertere, retrahere, dissuadere; imo praedictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omnino pareant, et alios christifideles etiam confratres suos ad parendum pariter hortentur et suadeant, reiectis penitus huiusmodi opinionibus atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictorum eminentissimorum dominorum cardinalium, tamquam perniciosas, temerarias et non consistentes, et a mente Sanctitatis Suae prorsus alienas, reprobavit et reprobat.

§ 3. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo quod ipsis implendum incumbit cum religiosis eiusdem alteriusve Ordinis, aliisve quibuscumque personis de fide suspectis, ceterisque petentibus consilium in materiis ad S. Officium spectantibus, itaut nedum ipsi-

met denunciationes differant vel ab illis prorsus abstineant, verum etiam multoties ab eisdem alios a se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis doctorum opinionibus, vel sub fraternae correctionis factae vel faciendae, aliorumve[1] praetextu:

Haereticos denunciari mandat.

§ 4. Propterea idem Sanctissimus declaravit praefatos subditos absque ullâ participatione, etiamsi nulla sit petita venia a superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio praemissa fuerit, omnino teneri et obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis vel inquisitoribus locorum quoscumque etiam confratres ac superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis et religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos; ac propterea eosdem debere omnes et quoscumque etiam alios a se consilium ut supra petentes monere et obligare ad denunciandum, nec posse illos a denunciando sub dictae fraternae correctionis vel alio quovis praetextu retrahere aut retardare, et praefatos omnes tam superiores quam subditos contrafacientes Sanctitas Sua voluit et declaravit subiacere omnibus censuris in dictâ constitutione Pauli V expressis, necnon privationis quarumcumque dignitatum seu praelaturarum seu officiorum suorum Ordinum, ac vocis activae et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad easdem, ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suae ac successorum arbitrio infligendis, poenis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi et successoribus suis Romanis Pontificibus tantum expresse reservavit.

Contravenientium poenae.

Decretum hoc in publicâ mensâ legi vult.

§ 5. Et, ne praemissorum praetendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem poenis, ipso pariter facto incurrendis, ut supra reservatis, ut superiores omnes praefati in quocumque loco, conventu, vel collegio sui Ordinis decretum hoc semel saltem singulis annis kalendis martii in publicâ mensâ, vel aliâs in capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent unâ cum aliis decretis et constitutionibus apostolicis, ad S. Officium Inquisitionis adversus haereticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis iuxta decretum felicis recordationis Urbani VIII. Et insuper iidem superiores teneantur curare et efficere ut huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur et affixa conserventur, itaut ab eisdem subditis religiosis omnibus videri ac legi commode queant. Deque huiusmodi lectione et commonitione publico documento ab iisdem superioribus conventus vel domus subscripto, unâque ab aliis duobus religiosis eiusdem domus vel conventus, statim certiorem facere congregationem sanctissimae Inquisitionis in Urbe, vel locorum inquisitores ubi sunt. Statuitque praeterea decretum hoc, seu illius exemplum, ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae affixum, omnes ubique existentes arctare et afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Huiusmodi decretum publice in loco affigi praecipit.

Dat. 8 iulii 1660, pontif. an. VI[1].

CCCIII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quod in posterum nullus, qui in provinciâ Granatensi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ minister provincialis extiterit, et completo officii triennio pater modernior remanserit, posteaque custos seu definitor provinciae fuerit electus, possit denuo immediate in ministrum provincialem

1 Forsan legendum *aliove* (R. T.).

1 Huiusmodi datum sumimus a titulo (R. T.).

eligi, nisi prius saltem integrum triennium ab ingressu definitorii vacaverit, sub poenâ nullitatis aliter gerendorum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Aliâs pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae Granatensis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod statuta generalia dicti Ordinis praecipue anno MDCLI edita et per dictam congregationem confirmata sub titulo de tempore quo durare debent officiorum vacantiae, nec [2] fratres in definitoriis provinciarum perpetuentur, disponebant definitores non posse eligi in custodes, nec custodes in definitores, nisi triennio vacaverint; et nihilominus in praefatâ provinciâ Granatensi invalescebat abusus se perpetuandi in definitoriis, cum provincialatus officio functi ingrederentur definitorium uti patres provinciae moderniores, alio autem triennio se in custodes vel definitores eligi curarent, deinde in subsequenti capitulo, iam finito sexennio, se in ministros provinciales reeligi facerent; atque ita perpetuarentur in definitoriis contra bonum regimen dictae provinciae et in fomentum ambitionis, ac in detrimentum religiosorum benemeritorum, qui, licet benemeriti, si ministrum provincialem semel infensum habeant, nihil unquam consequi possint a definitorio, quod minister provincialis semper ingreditur, sed ab illo continuo vexantur; et propterea eidem congregationi supplicato ut ordinaret nullum, qui, finito triennio patris modernioris, sit electus in custodem vel definitorem, reeligi posse in ministrum provincialem, nisi ad minus per triennium vacaverit ab ingressu definitorii: emanavit a praefatâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac auditâ relatione commissarii generalis curiae Ordinis huiusmodi, eminentissimo Astallio referente (ad tollenda absurda, quae in memoratâ provinciâ, quae [1], causâ praemissorum et contra mentem statutorum generalium dicti Ordinis, in ambitionis fomentum et dominandi libidinem evenire dicuntur, ut pauci solummodo patres in guberniis et officiis perpetuari conentur), censuit et decrevit, prout praesentium tenore decernit, ut imposterum nullus, qui in praedictâ provinciâ minister provincialis extitit, et completo eius officii triennio pater modernior remanserit, posteaque custos seu definitor provinciae fuerit electus, possit de novo immediate in ministrum provincialem eligi, nisi prius saltem per integrum triennium ab ingressu definitorii vacaverit; ac ita in praemissis de cetero fieri, exequi et observari, sub poenâ nullitatis aliter gerendorum, mandat et praecipit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae die XXV iunii MDCLX.

MARCUS cardinalis GINETTUS ».

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex. § 2. Cum autem, sicut praedicti fratres provinciae Granatensis nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem eisdem fratribus gratiam facere volentes, et eorum singulares

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videtur legendum *ne* pro *nec* (R. T.).

1 Vox *quae* redundat (R. T.).

personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradictae provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 iulii 1660, pontif. anno VI.

CCIV.

Commissio nuncio Sabaudiae ut audiat recursus subditorum principatus Masserani et marchionatus Crevacorii[1].

Venerabili fratri Carolo archiepiscopo Tarsensi, nostro et Apostolicae Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva.

§ 1. Cum dilecti filii consules, consiliarii et homines principatus Masserani et marchionatus Crevacorii, aliorumque locorum annexorum, ob magnam eorum ab Urbe distantiam, non facile, nec sine notabili incommodo et impensâ, valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eidemque suos recursus et querelarum causas proponere, si quando a dominis, quibus ab eâdem Sede commissi sunt, vel eorum iudicibus sentiant se in aliquo praegravari, indeque saepius contigerit illos, praesto neminem habentes qui eos audiat et praesidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus, maximo etiam cum detrimento praedictorum dominorum loca ipsa obtinentium in feudum: nos, ex munere nobis iniuncto volentes omnium tranquillitati ac etiam commoditati et indemnitati prospicere, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, te (de cuius probitate, prudentiâ et in rebus agendis dexteritate et experientiâ plurimum in Domino confidimus) constituimus et deputamus, ut recursus (si quos, a quibusvis gravaminibus, per dilectum filium nobilem virum principem Masserani et mar- Nuncio Sabaudiae committit, quod continetur in rubrica.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

chionem Crevacorii sive eius iudices, praefatis consulibus, consiliariis et hominibus, tam uti universis quam uti singulis, illatis seu inferendis, per eosdem consules, consiliarios et homines ad nos et Sedem praedictam haberi contigerit) auctoritate nostrâ ac uti a nobis delegatus audias, et quid circa illos et illa sit agendum eidem principi eiusque iudicibus rescribendo praescribas, et quomodo ab illis procedendum sit dirigas; in arduis vero, et iis quae bonum regimen ac statum dictorum locorum concernunt, informationes suscipias et ad nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus decernere et mandare valeamus; plenamque tibi in praemissis et ceteris, quae circa illa et eorum occasione duxeris necessaria et opportuna, providendi atque statuendi et ordinandi auctoritatem concedimus et delegamus.

Mandantes propterea moderno et pro tempore existenti principi Masserani et marchioni Crevacorii, necnon universis et singulis aliis, sub nostrae indignationis aliisque nostro arbitrio poenis, ut tibi in praemissis pareant, et quidquid mandaveris exequantur, nec, sub quovis praetextu, aut quaesito colore vel causâ, te in praedictis audeant vel praesumant directe vel indirecte impedire seu molestare; sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adiuvent auxilio.

Clausulas appouit. § 2. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, principatus, marchionatus, et locorum praedictorum et aliis quibuslibet, etc., sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, etc., in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, etc., et alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, etc., hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 iulii 1660, pontif. an. VI.

CCCV.

Diversae declarationes et ordinationes circa iuramentum per alumnos collegiorum pontificiorum praestari solitum, quo Sedis Apostolicae servitio reperiuntur adstricti iuxta decretum particularis congregationis cardinalium de Propagandâ Fide[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum circa iuramenti vinculum, quo pontificiorum collegiorum alumni Sedis Apostolicae (a quâ maximis sumptibus educantur) servitio reperiuntur adstricti, variae fuerint hucusque a nonnullis excogitatae interpretationes, quibus eiusdem Sedis in hoc eludatur intentio, et Dei gloriae et servitio, cui huiusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur; Motiva.

§ 1. Nos[2], opportune hac in re provi- Innocentii X

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Lectionem et distinctionem huius bullae sumimus ex recensione quae in edit. Main. sub num. CCCI extra locum reperiebatur, et alteram eiusdem recensionem hic duplicatam omittimus (R. T.).

Decretum continuatur.

dere cupientes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum super hoc a nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter et mature discusserunt, consilio, ac inhaerendo decretis aliàs circa praedicti iuramenti formulam emanatis, eaque, quatenus opus sit, innovando, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, praedictos alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo, quoad vixerint, in quocumque statu permanserint, Sedis praedictae servitio fuisse hactenus et futuros in posterum adstrictos, ut aliàs et signanter die VII augusti MDCXLV a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro fuit declaratum, huiusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad praescriptum Sedis Apostolicae expleverint.

A collegio electos a iuramento praestito non absolvit.

§ 2. Praeterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malae valetudinis, aut aliâ qualibet ex causâ a collegiis eiici, aut sponte suâ quandocumque discedere, etiamsi nondum completis studiis aut sacris ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a iuramento ullà ex parte solutum, tam circa servitium praestandum in missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi religionem, imo, ne hoc vel alio quovis praetextu dictae Sedis mens forsan eludatur, prohibemus ne, etiam elapso triennio, quovis tempore possit quilibet alumnus ad religionem admitti, nisi de expressâ nostrâ seu Romani Pontificis pro tempore existentis vel congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum in scriptis habendâ licentiâ, sub poenâ nullitatis professionis ipso iure, si aliter fuerint ingressi, et quod ab eâdem cardinalium congregatione, non obstante professione, ad primaevum statum revocari possint.

Etiamsi religionem ingrediantur a iuramento non absolvuntur.

§ 3. Insuper declaramus, quod, concessâ alumnis, ut supra, licentiâ ingrediendi religionem, non idcirco censendi sunt a iuramento absoluti ex praesumpto tacito consensu, eo quod praedicta congregatio illorum operâ forsan non uteretur; ad haec, nullo pacto licere alumnis, contra formam iuramenti, vel religionem ingredi, vel alteri statui perpetuo se addicere, eo sub praetextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliquâ stabili consulere, eo quod haec sancta Sedes alumnis, postquam fuerint dimissi, non provideat; cum memorata congregatio neminem ex iis, qui ad missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere; quod si secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpae adscribendum est, qui, postquam fuerunt dimissi, eiusdem sanctae Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac eius quod professi sunt instituti prorsus obliti, de se suoque statu eamdem monere negligunt omnino.

Debeant de suo statu et loco informare congregationem.

§ 4. Quia vero, ut praefertur, non desunt aliqui, qui, non intelligentes gravitatem muneris sacerdotum secularium ad missiones apostolicas admissorum, quidve sanctae fidei propagationi et universalis Ecclesiae bono, attentâ praesertim temporum ac rerum circumstantiâ, magis conducat, audeant adhuc asserere huiusmodi iuramentum, in eâ parte qua cuinslibet religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse tamquam impeditivum maioris boni, eoque praetextu, excusationem suae contumaciae obtendentes, iuramentum quoad hanc partem negligere praesumant: nos, volentes deinceps huiusmodi abusui opportune occurrere, eosque, qui contrarie praesumpserint, ad statum, cui ex praedicto iuramento repe-

riuntur obstricti, revocare, praecipimus omnibus alumnis, ut, postquam e suis collegiis vel sponte egressi vel dimissi fuerint, sive in statu et habitu seculari permanserint, etiamsi in sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui religioni fuerint adscripti, donec vixerint, quolibet anno, si intra fines Europae fuerint, vel, si extra, quolibet biennio, de se suoque statu et loco ubi maneant, et quibus studiis et exercitiis operam navent, per litteras praedictam congregationem certiorent; litteras autem huiusmodi viciniori Sedis Apostolicae nuncio transmittere, atque etiam eousque iterare teneantur, donec per eiusdem epistolam certi fiant quod ad ipsum pervenerint.

Iuramento addita clausula.

§ 5. Utque id omnino observetur, praecipimus ut iuramento ab eisdem alumnis praestando addatur infrascripta clausula: *Item voveo et iuro, quod sive religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status et exercitii et loci ubi moram traxero, sacram congregationem de Propagandâ Fide certiorabo.* Praecipimus itidem quod idipsum praestent eorum superiores regulares quoad eos qui religionem fuerint ingressi. Praefectis vero missionum sacerdotum secularium iniungimus, sub poenâ suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, ut quolibet anno diligenter perquirant de statu singulorum qui fuerunt alumni et ad eam missionem vel ratione originis vel nationis aut alio quovis modo pertinent, sive religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis eorumque statu, exercitiis ac locis eamdem congregationem omnino moneant. Praeterea praecipimus praesentes litteras ad singula collegia transmitti, eorum superioribus iniungentes ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti, singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam praetendi possit; et ut quovis anno in publico refectorio bis legantur, nimirum primâ dominicâ ianuarii et primâ iunii; necnon etiam immediate ante praestationem iuramenti, clarâ voce alumnis mox iuraturis legantur; ac, ne quis ab earum exequutione excusari valeat, ipsius iuramenti formulae eam, quae sequitur, clausulam superaddi mandamus: *Denique voveo et iuro, me praedictum iuramentum eiusque obligationem intelligere et observaturum iuxta declarationes factas a sacrâ congregatione de Propagandâ Fide et Brevi apostolico roboratas sub die* XX *iulii* MDCLX.

Clausula iuramento superaddita.

Alumnorum nomina in actis eiusdem congregationis inserbantur.

§ 6. Quia vero in tanto alumnorum numero, quos haec sancta Sedes ad fidei ministerium maximis sumptibus enutrit ac instruit, quotidianâ experientiâ comperitur ex defectu huiusmodi ministrorum opus Dei multoties praetermitti, et, quod maxime dolendum est, plurimas regiones, quae albae sunt ad messem, eâ de causâ misere deperire; districte praecipimus superioribus collegiorum, sub poenâ suspensionis ipso facto incurrendae, ut qualibet vice nomina singulorum qui ad collegium admittuntur, necnon eorum qui dimittuntur vel suâ sponte recedunt, statim ipsimet congregationi praedictae vel ipsius secretario transmittant, expressis singulorum aetate, patriâ, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis ad quae diriguntur, quove die iuramentum praestiterint, ut in actis eiusdem congregationis redigi possit. Iniungentes alumnis, sub poenâ eiectionis a collegio, ne iuramenti praestationem ultra aetatem in decreto recolendae memoriae Urbani VIII praedecessoris nostri die XXIV novembris MDCXXV praescriptam differant; superioribus vero, sub eâdem poenâ suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex

gravi causâ per ipsammet congregationem supradictam Romae, extra vero per nuncios apostolicos in scriptis approbandâ.

§ 7. Demum districte prohibemus, ut nullos omnino, cuiusvis dignitatis et conditionis extiterit, audeat praedictum iuramentum, ac praesentes litteras, seu declarationes, tam in totum quam secundum singulas sui partes declarare aut interpretare; sed, si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eamdem Sanctam Sedem consulere, ab eâque responsum in scriptis expectare, sub poenâ violationis iuramenti, si secus facere praesumpserit.

Decretum irritans.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, etiam speciali mentione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati et auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praedictae nuncios, aliosve quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi, facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon memoratorum collegiorum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem[1] sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius secretarii praedictae congregationis vel notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iulii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 iulii 1660, pontif. anno VI.

1 Videtur legend. *eisdem* nempe *collegiis* (R.T.)

Formula[1] iuramenti ad praescriptum superioris Brevis praestandi a quolibet alumno collegiorum pontificiorum.

Ego N. filius N. dioecesis N., plenam habens instituti huius collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas iuxta superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observare promitto.

Insuper spondeo et iuro quod, dum in hoc collegio permanebo, et postquam ab eo quocumque modo, sive completis, sive non completis studiis, exiero, nullam religionem, societatem, aut congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentiâ vel sacrae congregationis de Propagandâ Fide, ingrediar, neque in earum aliquam[2] professionem emittam.

Spondeo pariter et iuro quod, volente sacrâ congregatione de Propagandâ Fide, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines, cum superioribus visum fuerit, promovebor.

Item voveo et iuro quod, sive religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, exercitii et loci, ubi moram traxero, sacram congregationem de Propagandâ Fide certiorabo.

Voveo praeterea et iuro, quod, iussu praedictae congregationis de Propagandâ Fide, sine morâ in provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis licentiâ religionem, societatem, aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliquâ professionem emisero.

Denique voveo et iuro me praedictum iuramentum eiusque obligationem intelligere et observaturum iuxta declarationes factas a sacrâ congregatione de Propagandâ Fide et Brevi apostolico roboratas sub die xx iulii MDCLX. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

1 Hanc formulam iuramenti sumimus ex priore praedictae Constit. recensione apud Main. sub num. CCCI, quam supra omisimus (R. T.).

2 Forsan *aliquâ* legendum ut infra (R. T.).

CCCVI.

Confirmatio quorumdam privilegiorum a diversis Romanis Pontificibus consulibus et communitati civitatis Carpentoratensis super nundinis, mercatibus, cognitione quarumdam causarum, faciendisque proclamotibus seu bannimentis poenalibus, necnon infeudatione cuiusdam castri respective concessorum[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii consules et communitas civitatis nostrae Carpentoratensis erga nos et Sedem Apostolicam gerere comprobantur, nos inducit, ut illa, quae ipsis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro eorum commodo dictaeque communitatis ornamento et decore concessa fuerunt, apostolicae confirmationis nostrae praesidio roboremus.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt iidem consules et communitas, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VII ipsis consulibus et communitati, ut nundinas ab omni gabellâ, datio, exactione, pedagio et onere liberas et exemptas, prout in aliis civitatibus et locis illarum partium celebrabantur, celebrari facere, ac duos mercatores probos ac in arte peri-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tos[1], qui in domo publicâ dictae civitatis, aut alio loco deputando, de differentiis et discordiis, quae inter mercatores occasione mercantiarum orirentur, cognoscere, et eos[2] componere valerent, et a quorum ordinatione appellari non posset, et deinde piae memoriae Paulus Papa III quod ultra mercatum, quod ab immemorabili tempore citra in eâdem civitate qualibet die veneris ex concessione dictae Sedis fieri consueverit, in qualibet die martis in eâdem civitate aliud forum seu mercatum cum eisdem exemptionibus, cum quibus aliud die veneris huiusmodi celebrabatur, celebrare libere et licite valerent, indulserunt; ipseque Paulus III statuit et ordinavit, quod de cetero perpetuis futuris temporibus omnes et singuli aere alieno gravati, seu aliàs submissi vel obligati, ad mercatum dictis diebus venientes, tam eundo quam redeundo, pro debito civili ad alicuius instantiam capi aut aliàs quomodolibet vexari non possent. Postremo recolendae memoriae Pius Papa IV praedecessor noster, per eum accepto, quod Alexander episcopus Ostiensis cardinalis Farnesius nuncupatus S. R. E. vicecancellarius, tunc in illis partibus de latere legatus, praedictis consulibus causas minimas, quatuor ducatorum auri de camerâ non excedentes, cognoscendi et omni appellatione remotâ decidendi facultatem concesserat, quodque ab eisdem consulibus, vel certis aliis magistris nuncupatis, ad id ab ipsis[3] communitate deputatis, pretia annonae constituendi et taxandi[4] consueverant, ipse Pius praedecessor consulibus praedictis non solum causas quatuor ducatos non excedentes cognoscendi et decidendi, ac pretia annonae constituendi et taxandi, verum etiam quascumque alias ordinationes et decreta ad id necessaria faciendi et promulgandi, et ea, quoties expedire videretur, mitigandi, corrigendi et alterandi, taxas et ordinationes, ac quicquid in praemissis pro bono publico pro tempore facerent et decernerent, per mercatores, artifices, laniones, pistores, salsamentarios, caupones, cetarios, piscium venditores, et alios quoscumque, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existentes, sub mulctis pecuniariis usque ad summam quatuor ducatorum similium per quemlibet transgressorem qualibet vice persolvendorum inviolabiliter observari mandandi, inobedientes et transgressores quoscumque illas incurrisse declarandi, et illas ab eisdem transgressoribus, quibuscumque appellationibus et diffugiis reiectis, irremissibiliter exigendi, fiscoque ac pauperibus et aerario eiusdem civitatis aequis portionibus applicandi facultatem in perpetuum, etiam privative quoad omnes alios magistratus (ita quod ea insolidum et solis ipsis consulibus, vel ut praefertur, pro tempore deputatis concessa et demandata esse censerentur); praeterea (cum de usu laudabili illarum partium singulis annis bandimente et proclamata sub pecuniariis et aliis poenis adversus inferentes damna et iniurias culpâ vel negligentiâ cum animalibus vel aliàs in praediis territorii et districtus dictae civitatis consistentibus fieri consueverant, emolumentaque ex poenis a contrafacientibus pro tempore exactis provenientia ad cameram apostolicam illarum partium spectarent, et[1] quorum locatione dicta camera annis singulis summam duodecim ducatorum similium, vel circa, percipere consueverat) eisdem consulibus ius[2] et facultatem proclamata et bandimenta huiusmodi suis loco et tempore, quoties opus fuerit, in eâdem civitate ac illius ter-

1 Deest *deputare* vel *constituere* (R. T.).
2 Forsan legendum *eas* (R. T.).
3 Vel potius legendum *ipsâ* (R. T.).
4 Lege potius *constitui et taxari* (R. T.).

1 Legendum *ex* pro *et* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *us*; itaque vel delendum etiam *et*, vel legendum *ius* (R. T.).

ritorio et districtu universo emittendi et fieri mandandi, bandimentis contravenientes ad solutionem mulctarum et poenarum propterea incursarum omnibus iuris et facti remediis cogendi et compellendi, concessit, et emolumenta quaecumque poenarum huiusmodi aerario dictae civitatis in perpetuum (ita quod nullo unquam tempore da bandimentis et poenis praefatis, earumque exactione, perceptione et aliis inde emergentibus, legatus ipse aut vicelegatus, seu dicti comitatus rector, vel camerae agentes pro tempore existentes, aut quivis alii quovis praetextu se intromittere possent) donavit, et in perpetuum applicavit; et insuper locum, seu castrum dirutum De terris, Carpentoratensis dioecesis, ad dictam Sedem pleno iure spectans, et contiguum territorio dictae civitatis, tunc omni habitatore fere destitutum (in quo communitas et habitatores dictae civitatis ius pascendi cum eorum animalibus ex quibusdam conventione seu ordinatione necnon consuetudine antiquis habebant, omnia fere illius praedia et habitationes praefatas[1] pertinebant, ipsiusque civitatis statuta et consuetudines in dicto loco veluti unico incorporato territorio dictae civitatis servabantur, ipseque locus tunc eidem legato suberat, et ex illo idem legatus seu agentes pro dictâ camerâ annuatim non ultra duodecim ducatos similes, vel circa, cum certis aliis emolumentis, laudemiis nuncupatis, percipere consueverant) cum universis eiusdem loci territorio et districtu, eorumque hominibus, vassallis, habitatoribus, incolis, domibus, aedificiis, praediis, aliisque iuribus et pertinentiis suis quibuscumque, eisdem consulibus et communitati in feudum nobile perpetuumque, sub annuo canone seu censu sex ducatorum auri similium camerae apostolicae illarum partium persolvendi[1], assignavit, ipsosque consules et communitatem feudatarios et dominos in temporalibus perpetuos dicti loci seu castri fecit, constituit et deputavit; et postremo idem Pius IV praedecessor noster motu proprio infeudationem et concessionem dicti loci seu castri De terris, et alia praemissa, sub litteris rescissionis alienationum rerum Ecclesiae Romanae per eumdem Pium praedecessorem sub datum XV kalendas iunii, pontificatus sui anno VI, editis, et quibusvis aliis similibus vel dissimilibus revocationibus, cassationibus et aliis contrariis dispensationibus[2] similium gratiarum, etiam ab ipso Pio praedecessore et Sede praefatâ editis, nullatenus comprehensa fuisse, esse vel fore, sed illa valida et efficacia perpetuo permanere declaravit, et, si opus esset, illa adversus easdem rescissiones et litteras revalidavit, ac in pristinum statum restituit; consulibus et communitati praefatis quod in dictis poenis incorporandis vel exigendis procuratorem fiscalem seu quemvis alium minime vocare tenerentur, et dictas poenas a quibusvis omni et quacumque appellatione remotâ exigere, et opportuna mandata exequi facere possent, concessit, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praemissa omnia pro eorum firmiori subsistentiâ a nobis approbari desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesen- *Privilegia nonnulla conceduntur.*

1 Legendum puto *ad habitatores praefatos*, pro *et habitationes praefatas* (R. T.).

1 Potius lege *persolvendo* vel *persolvendorum* (R. T.).

2 Forsan legendum *dispositionibus* (R. T.).

tium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon dictarum litterarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessiones, indulta, statuta, ordinationes, donationes, infeudationes, applicationes, deputationes, declarationes, revalidationes, restitutiones, aliaque omnia et singula praemissa, ac in dictis litteris contenta, et inde secuta quaecumque, dummodo tamen sint in observantiâ, nec revocata existant, et sine praeiudicio iurium camerae apostolicae, applican.[1] auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus.

Unusquisque ad mercatum absque ullâ molestiâ venire possit.

§ 3. Decernentes omnes et singulas personas ad dictum mercatum, ut praefertur, venientes, seu ab illo recedentes, occasione seu praetextu quarumcumque declarationum poenarum incursarum etiam dicto fisco ob non paritionem mandatorum pro debitis civilibus tam publicis quam privatis factorum applicandarum, molestari, carcerari, vexari, seu perturbari nullo unquam tempore posse aut debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contravenientium poenae.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Carpectoratensi et Cavallicensi episcopis, seu dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praefatas et praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte consulum et communitatis praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 5. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres dietas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris expressa sunt non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iulii MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 28 iulii 1660, pontif. anno VI.

1 Perperam ut puto ed. Main. habet *applican.* pro *apostolicâ* (R. T.).

CCCVII.

Confirmatio decreti congregationis de Propagandâ Fide circa fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, qui ex Europâ ad insulas Philippinas transmittuntur, ne quovis praetextu in civitate Mexici aliisque in locis per quae eos transire contigerit moram, ultra quam necessitas itineris aut commeatus tulerit, ullo pacto trahere audeant, etc.[1]

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Sacrae congregationis decretum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cardinalium propagandae fidei negotiis praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis generalis de Propagandâ Fide habitae die XXVIII *iunii* MDCLX.

« Ne fratres Ordinis Eremitarum Excalceatorum sancti Augustini, qui ex Europa ad insulas Philippinas ad christianam fidem inibi iuvandam aut promovendam transmittuntur, a tam sancto opere distrahantur, subsidiaque spiritualia iis populis retardentur, sacra congregatio de Propagandâ Fide, facto verbo cum Sanctissimo, ac eminentissimo Duratio referente, prohibuit et prohibet singulis eorum, ne quovis praetextu in civitate Mexici aliisque in locis, per quae eos transigere contigerit, moram, ultra quam necessitas itineris aut commeatus tulerit, ullo pacto trahere audeant, sed recto tramite ad obedientiam sui commissarii in praefatis insulis residentis se conferant, sub poenâ privationis utriusque vocis, perpetuaeque inhabilitatis ad quaslibet dignitates seu munera suae religionis. Datum aedibus eiusdem sacrae congregationis hac die XXVIII iunii MDCLX.

Cardinalis ANTONIUS, praefectus.

M. ALBERICIUS, secretarius ».

Oratorem a censuris absolvit et decretum praeinsertum confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dicti Ordinis seu congregationis fratrum Eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V augusti MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 augusti 1660, pontif. anno VI.

CCCVIII.

Confirmatio primi Brevis erectionis provinciae B. Petri de Alcantarâ Ordinis sancti Francisci patrum Discalceatorum in Hispaniâ, cum electione mini-

stri provincialis et definitorum ipsius provinciae a SS. factâ[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliâs nos, carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, provinciam S. Ioannis Baptistae fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ in regnis Valentiae, Murciae et Granatae consistentem, in duas, unam scilicet, quae nomen provinciae S. Ioannis Baptistae retinere deberet, et alteram de novo erectam et B. Petri de Alcantarâ nuncupandam, provincias, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ divisimus, ac inter alia voluimus ut in capitulo provinciali, in quo praeses ipsiusmet capituli ad novam electionem praesideret, vel etiam in congregatione more capituli provincialis ad hunc effectum habendâ et celebrandâ, tempore et loco ab ipso ministro provinciali provinciae S. Ioannis Baptistae praescriptis, convocatisque per ipsum definitoribus et fratribus, cunctisque omnium locorum seu conventuum ipsius provinciae guardianis, ex omnibus eius fratribus, hoc est de toto corpore provinciae, unus illorum in ministrum provincialem, definitores et guardianos per vota secreta ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, et deinde ex corpore congregationis solummodo quatuor definitores et custos, servatis servandis, et prout in huiusmodi capitulis provincialibus moris est, eligerentur, quos omnes, ministrum provincialem, definitores et custodem, postquam electi fuissent, idem minister provincialis S. Ioannis Baptistae, seu praeses capituli, apostolicâ auctoritate confirmaret, et aliâs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris die IV augusti MDCLIX desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 1. Cum autem, sicut nobis nuper relatum fuit, praedicti minister provincialis et vocales voluntatem nostram huiusmodi exequutioni demandare non curaverint, nec curent; hinc est quod nos, prospero felicique regimini et gubernio praedictae noviter erectae provinciae B. Petri de Alcantara, ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito, providere volentes, ac de infra nominatorum dicti Ordinis fratrum expresse professorum charitate, prudentiâ, industriâ, idoneitate, religionis zelo, aliisque meritis plurimum in Domino confisi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, Motiva.

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectos filios Franciscum Morales in ministrum provincialem, ac Christophorum Laurentium in custodem, necnon Didacum Fernandes in primum, Bernardum Morales in secundum, Franciscum de Estevan in tertium, et Alphonsum de Segura fratres Ordinis praedicti in quartum definitores dictae novae provinciae B. Petri de Alcantara respective, ad tempus quo aliarum provinciarum dicti Ordinis ministri provinciales, custodes et definitores iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta apostolicâ auctoritate confirmata in suis officiis durare consueverunt, tenore praesentium constituimus et deputamus. Electio a Pontifice facta.

§ 3. Mandantes propterea in virtute Mandatum de parendo.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis memoratae provinciae B. Petri de Alcantara superioribus, fratribus et personis, ceterisque ad quos quomodolibet spectat et spectabit in futurum, ut supra nominatos fratres ad officia eis respective per praesentes demandata recipiant et admittant, illosque recognoscant, ac eis in omnibus officia huiusmodi concernentibus pareant et obediant, ac faveant et assistant respective.

Decretum irritans. § 4. Ac decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac supranominatis fratribus plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et spectabit, in futurum inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedicti Ordinis, eiusque provinciarum et conventuum quorumcumque, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 augusti 1660, pontif. anno VI.

CCCIX.

Subsidium contra Turcas centum millium scutorum auri super fructibus ecclesiasticis reipublicae Venetorum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Etsi nobis, pro curâ pastoralis officii, divinâ disponente providentiâ, nobis licet meritis imparibus commissi, nihil magis cordi sit, quam personas ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque, nisi summa necessitas cogat, re ipsâ animo statuerimus; nihilominus, sicut iam omnibus notum esse debet, cum Turcarum tyrannus nefarium bellum, quod a quindecim vel circiter annis dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetorum intulit, etiam nunc ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, et propterea ipsi dux et dominium maiores, quam nunquam antea, tam maritimas, quam terrestres copias, ut se suaque tueantur, parare et instruere, ac proinde ingentes impensas facere modo compellantur: nos, considerantes non minus clericorum quam laicorum interesse, ut ea, quae ad defensionem huiusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo christiani nominis hostes infensissimi a christifidelium cervicibus, adiuvante Domino, repellantur, cogimur de universi cleri dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes quod ipsi hoc onus urgentissimâ necessitate et iustissimâ de causâ a nobis sibi impositum aequo animo ferre non

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Subsidium centum mille scutorum auri assignat.

recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus secundum verum annuum valorem praesentis anni quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, atque aliarum ecclesiarum, ac monasteriorum, prioratuum et beneficiorum ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac hospitalium, et quorumvis ordinum et militiarum (non tamen hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, cuius fratres pro muniendâ et defendendâ adversus improbos eorumdem Turcarum conatus insulâ Melitanâ gravissimos sumptus subire et magnum aes alienum contrahere oportuit) regularium, cum curâ et sine curâ, in dicto dominio existentium, a venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscumque, tam non exemptis quam quomodolibet exemptis et quantumvis privilegiatis, etiam S. R. E. cardinalibus, necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Vallisumbrosae, monachorum Eremitarum S. Hieronymi, et quorumvis aliorum Ordinum, necnon Cassinensis aliâs S. Iustinae, S. Salvatoris et Lateranensis aliarumque congregationum, tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium ex privilegio et aliàs bona immobilia seu certos redditus quoquo modo ecclesiasticos habentium in dominio praedicto, ecclesias, monasteria et alia beneficia ecclesiastica obtinentibus, et fructus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas et sub quibusvis obligationibus etiam in formâ camerae apostolicae et iuramento, etiam cum susceptione censurarum et de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos et concessis non utendo vallatis, et forsan aliis etiam efficacioribus cautelis et decretis ac clausulis, super iisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in formâ depositi, habentibus et intra praesentem annum habituris, cuiuscumque praeeminentiae, status, gradus, ordinis et conditionis, etiam religionis vel militiae existant, quibus aut quorum aliquibus ulla privilegia et exemptiones aut indulta sub quacumque verborum formâ et expressione concessa quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus (fratribus et personis dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in totum et omnino, ceteris vero hospitalibus hospitalitatem actu servantibus pro eâ quantitate tantum, quam in servandâ ipsâ hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, et dummodo a personis Ordinum Mendicantium nonnisi medietas eius partis, quae ratione subsidii huiusmodi ab eis solvenda esset, solum exigatur), proportionabiliter et aequaliter iuxta verum valorem praedictum inter praedictas personas ecclesiasticas, secundum aequalem et discretam partitionem, quam ad nos quamprimum mitti mandamus, per venerabiles fratres Iacobum archiepiscopum Athenarum, nuncium nostrum, et patriarcham Venetiarum distribuendam, ac in locis et terminis, modisque et formis per ipsos Iacobum archiepiscopum nuncium et patriarcham, quos collectores generales subsidii huiusmodi harum serie constituimus et deputamus, statuendam, ordinandam et declarandam, omnino de praesenti anno persolvendum, ac per eos et eorum subcol-

Collectores huius subsidii deputat.

lectores, qui sint personae ecclesiasticae, ad hoc ab ipsis deputandos percipiendum, exigendum et levandum, ac duci et dominio praedictis cum effectu consignandum, ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas et non in alios usus convertere valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus, impositumque fore et esse decernimus et declaramus; necnon eisdem collectoribus generalibus, et ab eis deputandis subcollectoribus huiusmodi, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis, administratoribus, electis, abbatibus, commendatariis, prioribus, praeceptoribus, praepositis, praelatis, capitulis, conventibus et aliis personis ecclesiasticis praedictis, praeterquam ut supra exceptis, ratam dicti subsidii, eos et eorum quemlibet ut praemittitur tangentem, petendi, exigendi et colligendi, eisque et eorum singulis, ut illam modo praemisso solvant, per poenas, quoad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, interdicti et suspensionis ingressus ecclesiae, quoad alios vero, privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et alias de quibus illis videbitur, etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasque censuras ecclesiasticas, ceteraque opportuna iuris et facti remedia, mandandi et praecipiendi, contradictores quoslibet, rebelles et suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, et ne illa solvatur persuadentes directe vel indirecte, per poenas, censuras et remedia huiusmodi, appellatione postpositâ, compescendi, brachii quoque secularis auxilium, si opus fuerit, ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi et liberandi, a censuris et poenis, quas praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus sit expressum, faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate[1] et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Contravenientium poenae.

Decretum Innocentii X confirmat.

§ 2. Volentes tamen quod personae ecclesiasticae ratione subsidii huiusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam ratione similium subsidiorum a felicis recordationis Innocentio Papa X praedecessore nostro et a nobis respective concessorum solverunt, et nihil amplius, quodque expensae, quae circa exactionem subsidii huiusmodi forsan faciendae fuerint, in centum mille scutis praedictis minime computari debeant, sed dictae personae ecclesiasticae expensas ipsas, ultra ratam partem quam ratione eiusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis universalibus editis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, ordinum, congregationum et militiarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitatis aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, praeceptoriis, praelatis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus et militiis, aliisque praedictis, in genere vel in specie, sub quacumque formâ et verborum expressione a nobis et Sede Apostolicâ, etiam consistorialiter, et motu simili, ac aliàs quovis modo emanatis, concessis, et etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis,

1 Perperam ed. Main. legit *auctoritatem* (R. T.)

etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod per huiusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur, nisi sub[1] certis modo et formâ in eis expressis, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis, ac modum et formam ad id servandos pro individue servatis habentes, ad praemissorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 4. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, abbatibus, commendatariis, ceterisque praedictis et quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum et piorum locorum sub praesentibus comprehensorum, divino cultui dedicata, causâ pignoris vel aliàs occasione solutionis subsidii huiusmodi nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur, quodque earumdem praesentium litterarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius ex dictis collectoribus vel alterius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII augusti MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 augusti 1660, pontif. anno VI.

1 Perperam ed. Main. legit *sua* pro *sub* (R. T.).

CCCX.

Impositio decimarum pro Republicâ Veneta[1].

Venerabili fratri Iacopo archiepiscopo Athenarum, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae regimini[2] per abundantiam divinae gratiae nullo licet meritorum suffragio praepositi, inter graves sollicitudines, quibus pro credito nobis apostolicae servitutis officio assidue premimur, ea est praecipua, quam continua pericula atque discrimina, quae a nefario Christi nominis hoste Turcarum tyranno principibus et populis christianis nunquam non impendent, nobis conficiunt. Quapropter, etsi Domini Dei exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam protegit, praesidio potissimum confidamus, cogimur tamen pro debito pastoralis muneris in id omni cogitatione, omnique curâ incumbere, ut provisionis nostrae ministerio, adhibitis catholicorum principum viribus, mala huiusmodi prorsus a populo christiano arceantur.

Motiva.

§ 1. Cum vero plus satis constet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similis formae Constitutionem Innocentii X vide in tom. XV pag. 722 (R. T.).

avidius quaerere quam christianos populos invadere, et christianam religionem exterminando, abominationem suam plantare et propagare, eiusque vires, nostris facientibus peccatis, malo nostro admoniti cogamur timere, omnique curâ et sollicitudine praecavere, multo magis castra Domini custodire et praemunire nos oportet hoc praesertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus mari terrâque copiis ditiones nobilissimae Reipublicae Venetorum invaserit, quae, ut improbis eius conatibus resistere possit, cum magnos sumptus iugiter facere debeat, idcirco felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V, necnon Gregorii XV ac Urbani VIII et Innocentii X aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, Rempublicam id enixe flagitantem ecclesiasticis auxiliis prompto libentique animo adiuvandam decrevimus, attendentes non solum nos eius unius saluti, verum etiam multorum ac omnium Italiae populorum incolumitati consulere, cum ipsa sit magnum totius Italiae munimentum, ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem aequum et rationi consentaneum esse duximus eidem Reipublicae, eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii et Urbani, ac Innocentii praedecessorum exemplo, subsidio decimarum ex fructibus et redditibus totius cleri eiusdem Status Venetorum pro eisdem usibus ad certum tempus attribuendo subvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore ut ea Respublica testificatione paternae voluntatis erga se nostrae non solum sese munitam et ad resistendum communi hosti paratam in dies magis conservet, sed etiam illum a suis finibus animose detrudat.

Subsidium imponit.

§ 2. Nos igitur, istis aliisque gravissimis et iustissimis de causis moti, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium indicimus et imponimus sexdecim integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum maiorum et principalium, personatuum, administrationum et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico vel aliàs possident, Mendicantium, et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus et congregationum (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militiarum in universo dominio dictae Reipublicae Venetorum existentium: ac insuper alias sexdecim decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ceterisque, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon dilectis filiis fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, et insuper beneficiis ecclesiasticis officio sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales, ac fratres hospitalis praedicti, ac beneficia praedicto inquisitoris[1] officio unita in totum, fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos

1 Videtur legendum *inquisitionis* (R. T.).

esse volumus et decernimus) ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones, seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure ac titulo obtinentibus et obtenturis, necnon ab universis etiam oeconomis, commendatariis, atque administratoribus perpetuis et temporalibus, usufructuariis similiter fructus omnes vel illorum partes loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque auctoritate apostolicâ in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive secularibus, sive quorumcumque ordinum, congregationum et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis quacumque amplissimâ et firmissimâ exemptione, et immunitate reali, personali vel mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ, etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis, integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas; ulterius, supradictis ex causis, ac exemplo Clementis et Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani, ac Innocentii praedecessorum praedictorum adducti, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus imponimus et indicimus novem decimas omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum ad Cassinensem aliàs S. Iustinae de Padua, Lateranensem, Carthusiensem, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensem, S. Mariae Vallisumbrosae, S. Giorgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium provinciae Lombardiae, Cruciferorum, ac S. Hieronymi congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales, aut alias mensas, prioratus, praeceptorias, praepositura, beneficia et officia, cum curâ et sine curâ, membra, grangias, et alia beneficia illis annexa in dicto dominio consistentia, quovis modo pertinentia, solvendas etiam per ipsas congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas (ultra subsidia montis Religionis, seu quadringentorum millium scutorum et quartae partis eorumdem fructuum, reddituum et proventuum et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita, aut aliàs persolvunt, seu persolvere promiserunt) similiter numerandas, persolvendas et consignandas secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum et proventuum praedictorum. Et ad effectum, licet felicis recordationis Pius V nonnullis tunc causis adductus, et Clemens, necnon Paulus et Gregorius praedecessores praedicti, etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem congregationes a decimis super fructibus et redditibus ecclesiasticis deinceps ubivis etiam in dominio Venetorum et ex quacumque causâ imponendis liberas et immunes fecerint, pari motu, scientiâ, auctoritate, et de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, redditus et proventus ad ipsas congregationes et quamlibet earum in dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones, ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in formâ camerae apostolicae, et iuramento vel aliâ quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium et Clementem ac Paulum necnon Gregorium praedecessores nostros, et cameram apostolicam, et pro eâ S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes et eiusdem camerae ministros quantumvis amplâ et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos ex unâ, et congregationes ultimodictas illarumque procuratores ex alterâ partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, hac de causâ in hunc usque diem eisdem

congregationibus etiam ex causâ et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, et ex causis supradictis, suspendimus, ac ipsis congregationibus, quoad novem decimas praedictas, hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus; illa vero alio[1] in suo robore permanere decernimus, ipsasque congregationes ex gravissimis causis praedictis novem decimis huiusmodi oneramus, et, quum ceteris secularibus et regularibus clericis personis eiusdem dominii Venetorum sexdecim, ut praefertur, indixerimus, tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus. Universas vero et singulas personas quavis dignitate vel auctoritate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones seu fructus, aut eorum partem sibi, ut praefertur, reservatos percipientes, quam ultimodictas congregationes, et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et quoad ultimodictas congregationes singulas tantum decimas cum unâ octavâ parte alterius decimae, quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante octennio, a die, quo ultima similis concessio a praedicto Innocentio praedecessore facta expiraverit, inchoando, et ut sequitur finiendo[2] in certis terminis per te praefigendis integre persolvendas efficaciter teneri, et vere obligatos esse, iisdemque pensionariis, aut eorum alicui, pensiones annuas praedictas (quantumlibet exemptas, et sub quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo et forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de non utendis concessis, firmatas aut aliàs vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas) causam donationis super iisdem fructibus et pensionibus etiam medio cedularum banchi seu in formâ depositi habentibus, et intra octo annos praedictos habituris (etiamsi ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis aut ratae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint) ulla privilegia aut indulgentias sub quacumque verborum formâ aut expressione concepta quoad hoc nullatenus suffragari volumus; sicque et non aliter in praedictis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, et causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabilem fratrem patriarcham Venetiarum, necnon venerabilem etiam fratrem Danielem episcopum Tagastensem ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praedicto, sive eius ministris ad id specialiter deputatis, statim, nullâ interpositâ morâ et sine aliquâ prorsus diminutione, retentione aut detractione, etiam non detractis quinque pro centenario camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earumdem decimarum collectores et exactores constituimus et deputamus. Ac tibi, et patriarchae Venetiarum, ac Danieli episcopo praedictis, pro onere quod in exactione decimarum huiusmodi sustinebitis, quatuor millia scuta auri in auro ex eisdem decimis detrahenda, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione

1 Videtur legendum *aliàs* pro *alio* (R. T.).

2 Perperam ed. Main. legit *finem* pro *finiendo* (R. T.).

et quolibet anno eiusdem octennii pro ratâ distribuenda et dividenda, reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus ac procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro ratâ, habitâ ratione laboris et amplitudinis cuiuscumque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis assignandam et distribuendam (ita tamen, ut non quotannis huiusmodi quatuor millia scuta, sed in toto octennio integra summa eorumdem quatuor millium scutorum pro ratâ quolibet anno detrahatur, ac tam vos et quilibet vestrum, quam ipsi subcollectores et alii praedicti, ratione fructuum ecclesiarum quibus nunc praesse dignoscimini, aut in posterum praefici, vel beneficiorum obtentorum, aut quae obtinere, nec[1] non fructuum et pensionum reservatorum et assignatarum, ac quos et quas vobis assignari posthac contigerit, decimas ipsas pro vestrâ et illorum ratâ, et illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dictâ assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possitis) assignamus; ac[2] tibi et aliis praedictis a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis (supra expressis exceptis) easdem decimas, ut praefertur per nos impositas, petendi, exigendi et colligendi, eisque tam in genere quam nominatim et in specie ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque prout nobis videbitur poenis etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi et praecipiendi, ac pro earumdem decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores (qui, si in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, pari ac tu[1], vigore praesentium, facultate fungantur) per locorum Ordinarios in quacumque civitate et dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos, approbandi, et, si quis ex ipsis Ordinariis intra aliquem breve terminum vestro arbitrio praefigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi, etiam sine illorum consensu, tuo arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi, et solvere recusantes et differentes, et generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persuadentes directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi, solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censurisque et poenis, quas dictâ occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstante regulâ nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congrega-

1 Male edit. Main. legit *et* pro *nec* (R. T.).

2 Haec verba *assignamus; ac* nos addimus (R. T.).

1 Perperam ed. Main., nullâ distinctione adhibitâ interpunctionis, legit *pari actu vigore* (R. T.).

tionibus et aliis personis praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, *ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem*[1], et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus et in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum formâ expressis[2], etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, quae eis, quoad praemissa, nolumus in aliquo suffragari.

Exemptiones. § 4. Volumus autem quod, iuxta ordinationem a concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et omnia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dedicata ex causâ pignoris vel aliâ, occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur, quodque praesentium litterarum transumptis tuo, vel alterius praelati ecclesiastici sigillo ac publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in iudicio vel extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV septembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 septembris 1660, pontif. anno VI.

1 Pericopes inter duos *, positum non habetur in loc. parallelo tom. XV, pag. 727 *a* (R. T.).

2 Legendum vel addendum *concessis* (R. T.).

CCCXI.

Statuit ne de cetero in provinciis Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Galliae oblati seu servientes ullatenus recipiantur et ad professionem admittantur, nisi cum biennali novitiatu et quarto voto de non procurandâ aliâ ab huiusmodi oblatorum et servientium conditione ad praescriptum constitutionum, sub poenis privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum et nullitatis gestorum, neque quicquam circa statum dictorum oblatorum seu laicorum in capitulis provincialibus seu extra earumdem constitutionum dicti Ordinis et praesentium litterarum formam innovetur[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Renatus Parisiensis et Simon Lugdunensis, procuratores fratrum laicorum tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, quod aliàs, per felicis recordationis Urbanum VIII praedecessorem nostrum accepto, quod fratres oblati seu servientes Ordinis et congregationis huiusmodi praeter tria vota solemnia ab illis eiusdem Ordinis fratribus emitti solita, alio quarto voto de non procurandâ aliâ fratrum oblatorum conditione sese obstrinxerant, idem Urbanus praedecessor noster, ad supplicationem dilecti filii Antonii Sa- Expositio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

giensis tunc eiusdem congregationis procuratoris generalis, praeviâ dispensatione seu relaxatione praedicti quarti voti, benigne indulsit et concessit eisdem fratribus oblatis seu servientibus tunc in praedicto Ordine existentibus, ut ad caputium et statum fratrum laicorum eiusdem tertii Ordinis sub certis modo et formâ admitti possent, et insuper eisdem fratribus laicis dictae congregationis tunc praesentibus et futuris etiam a statu oblatorum assumptis vel assumendis ius suffragiorum restituit ac de novo concessit, prout in binis eiusdem Urbani praedecessoris in simili formâ Brevis litteris, unis die XXVI augusti MDCXLI et alteris die XXV maii MDCXLIV desuper expeditis uberius continetur. Novissime vero, nomine provinciae S. Francisci seu Franciae eiusdem tertii Ordinis, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae supplicato, ut facultatem admittendi in futurum praedictos fratres oblatos seu servientes ad caputium et statum laicorum concedere, et biennium novitiatus eorumdem fratrum ad unicum dumtaxat annum, iuxta dispensationem seu decretum tunc existentis ministri generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci die XX aprilis MDCXLVI emanatum, reducere vellet, iidem cardinales responderunt dispensationem seu decretum huiusmodi praedictae provinciae suffragari, ipsamque praedictis Urbani praedecessoris litteris, servatis illarum formâ et tenore, uti posse; quo vero ad dispensationem ministri generalis praedicti quod sufficiat unus annus novitiatus, servandas omnino esse constitutiones generales eiusdem tertii ordinis Congregationis Galliae, ex quibus requiritur biennium, prout in decreto congregationis eorumdem cardinalium die III octobris proxime praeteriti, ac litteris nostris apostolicis desuper in eâdem formâ Brevis die XXI ianuarii proxime elapsi expeditis, uberius continetur[1].

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, moderni provinciales et definitores provinciarum S. Francisci seu Franciae et Ss. Ludovici et Elzearii eiusdem congregationis Galliae, praemissis non obstantibus, fratres oblatos seu servientes praedictos cum unico anno novitiatus et tribus dumtaxat votis solemnibus admittere, illosque post aliquot annos ad caputium et fratrum laicorum statum assumere posse ad hinc[2] praetendant, id vero directe adversetur constitutionibus generalibus praedicti tertii Ordinis expresse requirentibus in huiusmodi fratribus oblatis seu servientibus praeter duos annos novitiatus tria vota solemnia et quartum de non procurandâ aliâ a fratrum oblatorum seu servientium conditione, in qua permanere debeant: *Motiva.*

§ 3. Nobis propterea iidem humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, ad quos negotium huiusmodi denuo examinandum et determinandum *Supplicatio.*

1 De hisce vide supra pag. 526 seqq. (R. T.).
2 Forsan *ab hinc* vel *adhuc* (R. T.).

novissime remisimus, quique partes saepius audiverunt, et rem attente et mature discusserunt, consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, statuimus et decernimus, ut in futurum oblati seu servientes in memoratis provinciis tertii Ordinis sancti Francisci in regno Galliae consistentes nullatenus recipiantur et ad professionem admittantur, nisi cum biennali novitiatu et quarto voto de non quaerendâ seu procurandâ aliâ ab huiusmodi oblatorum et servientium conditione, ad praescriptum eiusdem Ordinis constitutionum; ac proinde sub poenis privationis vocis activae et passivae necnon officiorum, et perpetuae inhabilitatis ad ea et alia quaecumque obtinenda, praedicti Ordinis superioribus, officialibus et aliis quibuscumque, ad quos spectat seu spectare quandocumque poterit in futurum, atque etiam nullitatis et invaliditatis secus gestorum et gerendorum, auctoritate et tenore praedictis praecipimus et prohibemus, ne aliter quam modo et formâ praemissis huiusmodi oblatos seu servientes in posterum recipiant, nec quicquam erga vel circa statum et conditionem tam eorumdem oblatorum seu servientium, quam etiam fratrum laicorum, sive in capitulis provincialibus, sive extra, contra praedictarum constitutionum et praesentium litterarum formam et tenorem, sub iam dictis poenis, attentare seu innovare audeant aut praesumant.

Confirmat decretum.

Contravenientium poenae.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praedictae congregationis cardinalium decretis, litterisque apostolicis hucusque desuper emanatis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 septembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXII.

Decretum die XIV *novembris anni* MDCLIX *ac Breve Sanctitatis Suae die* X *septembris*[1] *dicti anni expeditum circa statum oblatorum et servientium provinciarum S. Francisci et Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae servanda esse; cum iis tamen, qui, post Breve felicis recordationis Urbani Papae VIII* XXVI *augusti* MDCXLI *emanatum in dicto Ordine recepti, ex oblatorum ad laicorum statum hactenus de facto transierunt, ex benignitate apostolicâ dispensat*[2].

1 Potius lege *decembris* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Renatus Parisiensis et Simon Lugdensis, procuratores fratrum laicorum provinciarum S. Francisci et Ss. Ludovici et Elzearii congregationis Gallicanae tertii Ordinis sancti Francisci, quod aliâs, postquam felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster cum fratribus oblatis seu servientibus, qui tunc in Ordine praedicto existebant, super quarto voto, quod vigore statutorum generalium eiusdem congregationis Gallicanae emiserant, dispensaverat, eisque transitum ad statum laicorum concesserat, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die XXVI augusti MDCXLI emanatis uberius continetur, dictae congregationis superiores, vigore litterarum huiusmodi, nedum fratres servientes, qui tunc temporis in Ordine erant, sed etiam postea receptos, seu recipiendos, ad statum laicorum admittere posse praetenderunt, praetextu etiam cuiusdam decreti congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum III octobris anni praeteriti emanati, et a nobis per litteras in eâdem formâ Brevis die XXI ianuarii proxime praeteriti expeditas confirmati, quo declaratur praedictas Urbani praedecessoris provinciae S. Francisci, seu Franciae, dictae congregationi[1] suffragari.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, eaedem Urbani praedecessoris litterae ad fratres oblatos seu servientes, qui tunc temporis in Ordine existebant restringantur, nec fratribus servientibus postmodum admissis ullatenus suffragari valeant, prout decreto venerabilium fratrum Emilii Camerinensis et Caroli Clusinensis episcoporum, quibus negotium huiusmodi examinandum demandaveramus, die XIV novembris anni praeteriti emanato, et a nobis die X decembris eiusdem anni per alias nostras pariter in formâ Brevis litteras confirmato expresse declaratum fuit: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum praeinsertum confirmat. § 2. Nos igitur, ipsos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem, partibus auditis, attente et mature discusserunt, consilio, attentis narratis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, circa praemissa servandum esse decretum sub die XIV novembris anni proxime elapsi MDCLIX, ac litteras apostolicas in formâ Brevis die X decembris eiusdem anni desuper expeditas, prout ea, eorumque tenorem et formam servari omnino mandamus et praecipimus, in contrarium allatis minime obstantibus: cum iis tamen, qui, post praedictas Urbani praedecessoris litteras die XXVI augusti MDCXLI emanatas in dicto Ordine recepti, ex oblatorum ad laicorum statum hactenus de facto transierunt, ex benignitate apostolicâ dispensamus.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere

[1] Aptius lege *congregationis* (R. T.).

et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 septembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXIII.

Revocat et destituit rectores monialium Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae, ac facultatem concedit singulis monasteriis eligendi sibi suum rectorem seu superiorem ordinarium immediatum, cum diversis ordinationibus[1].

1 Ex Regest. in Secr. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosancti apostolatus officii cura inscrutabili divinae providentiae arcano humilitati nostrae imposita, qua Catholicae Ecclesiae per universum orbem diffusae adstringimur, nos admonet ut circa statum monasteriorum et locorum regularium quorumvis, et praesertim illorum in quibus prudentes virgines et devotae mulieres, spretis fallacibus mundi huius illecebris, in occursum caelestis eorum Sponsi per viam mandatorum eius felici cursu properare student, prospere dirigendum operose iugique vigilantiâ intendamus, et ad illa per quae salubriori earum directioni, personarumque ibidem Altissimi obsequiis et beneplacitis dicatarum[1] saluti et religiosae tranquillitati consulitur, pastoralis sollicitudinis nostrae partes propensius impartiamur, prout, rerum, locorum, personarum et temporum qualitatibus debite perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, religionis incrementum et felicem progressum salubriter expedire in Domino arbitramur.

Decretum Clementis VIII.

§ 1. Sane dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII, praedecessor noster, per quasdam suas sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae MDCIII, idibus novembris, expeditas litteras, monasterium nunc Incarnationis nuncupatum Parisiense monialium Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Excalceatarum nuncupatarum sub reformatione S. Theresiae primum instituti[2] huiusmodi in regno Franciae sub certis modo et formâ tunc expressis erexit et instituit; ac idem monasterium sic erectum, eiusque abbatissam, conventum, moniales, rectores et officiales, ministros, servientes et personas, necnon bona universa, ab omni iurisdictione, correctione

1 Male edit. Main. legit *dictarum* pro *dicatarum* (R. T.).
2 Forsan *primi instituti* (R. T.).

et visitatione, dominio, superioritate, subiectione et potestate pro tempore existentia episcopi Parisiensis, seu illius officialis aut vicarii in spiritualibus generalis, necnon protectorum ac generalium et provincialium ministrorum aliorumque praelatorum et superiorum Ordinis fratrum mitigatorum eiusdem beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in spiritualibus et temporalibus, penitus et omnino itidem perpetuo exemit et liberavit, ac sub B. Petri et Sedis Apostolicae atque suâ et pro tempore existentis Romani Pontificis protectione et inviolabili conservatione suscepit, ipsumque monasterium sic erectum visitationi, correctioni, obedientiae, superioritati et omnimodae iurisdictioni in eisdem spiritualibus pro tempore existentis commissarii generalis Ordinis fratrum Discalceatorum seu Reformatorum nuncupatorum beatae Mariae de Monte Carmelo, et, donec illius regula reformata huiusmodi in memorato regno Franciae, ubi nullum adhuc eatenus virorum monasterium sub eâ militare reperiebatur, recepta et introducta foret, pro tempore existentis prioris generalis Ordinis Carthusiensis, cum diversis facultatibus, necnon curae, gubernio, regimini et administrationi trium presbyterorum in eisdem litteris nominatorum, cum diversis itidem facultatibus, respective subiecit, et aliàs prout in dictis litteris uberius continetur.

Decretum Pauli V.

Postmododum vero recolendae memoriae Paulus Papa V, itidem praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras die IX septembris MDCIV expeditas, cum accepisset praedictum priorem generalem Ordinis Carthusiensis, vigore decreti in capitulo generali eiusdem Ordinis editi, onus[1] huiusmodi recusasse, tunc existenti in praedicto regno Sedis Apostolicae nuncio, ut singulis bienniis, donec aliud ab ipso Paulo praedecessore et Sede praefatâ mandatum foret, etiamsi dicti fratres Carmelitae Discalceati tunc forsan Parisiis vel in aliis civitatibus seu locis regni praefati conventus obtinerent vel in posterum assequerentur, unum sacerdotem, ex duobus sibi nominandis ac praesentandis per praedictos administratores, in visitatorem dicti et aliorum monasteriorum Carmelitanarum Discalceatarum in dicto regno Franciae erectorum vel in posterum erigendorum deputare, ac illum sic deputatum suo arbitrio et infra triennium revocare, et finito triennio ad aliud triennium, non tamen ultra, confirmare posset, facultatem concessit, visitatorique huiusmodi super visitatione monasteriorum praedictorum certas facultates attribuit.

Petrus de Berulle Congregationis Oratorii praepositus generalis a Paulo V deputatus.

Et successive idem Paulus praedecessor (cum paulo ante Congregationem clericorum Oratorii nuncupatam, deputato in illius praepositum generalem bonae memoriae Petro dum vixit S. R. E. cardinali de Berulle nuncupato[1] tunc in minoribus agente, erexisset, dictamque Congregationem ex presbyteris pietate et doctrinâ conspicuis, aetate gravibus, zeloque erga religionem catholicam et Sedem Apostolicam praestantibus compositam esse, et uberes fructus in vineâ Domini producere accepisset[2]), revocatâ, quam prius nuncio praedicto tribuerat, deputandi visitatorem monasteriorum praedictorum facultate, praedictum, ceteraque Ordinis Carmelitanarum Excalceatarum monasteria in regno Franciae constituta huiusmodi, tam eatenus erecta, quam ex tunc perpetuis futuris temporibus erigenda, curae, visitationi, correctioni et superioritati dicti Petri et pro tempore existentis praepositi generalis, qui huiusmodi mo-

1 Edit. Main. legit *editionus* pro *editi*, *onus* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *nuncupati* (R. T.).
2 Perperam eadem ed. babet *accepissent* (R. T.)

nasteria, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas ac moniales, et alias personas in eis degentes visitare posset et valeret, ad Sedis Apostolicae beneplacitum subiecit et supposuit per alias suas pariter in formâ Brevis die XVII aprilis MDCXIV emanatas litteras, quas, necnon omnia et singula in eis contenta, subinde (cum clarae memoriae Ludovicus XIII[1] tunc temporis Francorum rex christianissimus ei exponi fecisset dictum Petrum regimini et gubernio monialium praedictarum cum multo illarum spirituali fructu ac christifidelium aedificatione vacavisse) approbavit et confirmavit, et aliàs prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desupêr etiam in formâ Brevis die XIV martii MDCXX expeditis plenius continetur.

Decretum Pauli V a Gregorio XV confirmatum.

Et subinde, accepto per eumdem Paulum praedecessorem, quod eius litterae praedictae non solum non observatae, sed nonnulla potius contra earum tenorem attentata fuerant, cum ipse Paulus praedecessor, de iis, quae a dictorum monasteriorum monialibus ad suum favorem allegabantur, necnon de praetensis fratrum eiusdem Ordinis Discalceatorum nuncupatorum iuribus informatus, easdem litteras certis modo et formâ observandas decrevisset, superveniente vero illius obitu, litterae desuper expeditae non fuissent, recolendae memoriae Gregorius Papa XV etiam praedecessor noster per quasdam suas in die XX martii MDCXXI expeditas, praedictas Pauli praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam approbavit et confirmavit.

Suspensio decretis praefati.

Deinde vero S. Iosephi, necnon Assumptionis B. Margitae[2] virginis Burdegalensis, ac Matris Dei Santonensis, et S. Matris Dei Bituricensis, ac eiusdem Matris Dei Lemovicensis monasteriorum monialium Excalceatarum nomine sibi exposito, quod ipsae super iis, quae ad earum favorem circa praemissa adduci posse praetendebant sufficienter auditae non fuerant, et propterea litteras praedictas subreptitias esse, et subreptionis vitio subiacere allegaverant, seque iterum audiri desiderabant, ipse Gregorius praedecessor, ne interim tam praedicta quam etiam loci de Mortaix Leonensis dioecesis monialium praedictarum monasteria, ob dissentiones, discordias et controversias inde exortas, aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta paterentur providere volens, per alias suas die XIV ianuarii MDCXXII[1] expeditas litteras, curam, regimen et administrationem ultimodictorum monasteriorum, illorumque monialium, ac rerum et bonorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tunc et pro tempore existenti dictae Congregationis praeposito generali et fratribus Discalceatis praedictis respective per praedictas et quasvis alias litteras apostolicas tam sub plumbo quam in formâ Brevis expeditas sub quibuscumque tenoribus et formis concessa et demandata, ad suum et Sedis Apostolicae praefatae beneplacitum suspendit, ipsaque ultimodicta monasteria, eorumque moniales, res et bona quaecumque, tam in spiritualibus quam in temporalibus, omnimodae archiepiscoporum Burdigalensis et Bituricensis et quorumdam aliorum episcoporum curae, regimini et administrationi, iurisdictioni et superioritati interim supposuit et subiecit. Et postmodum idem Gregorius praedecessor, sufficienter auditis monialium praedictarum procuratoribus, et examinatis iterum plene praetensis dictorum fratrum iuribus, acceptoque quod eius litterae praedictae die XIII[2] ianuarii confectae executioni in totum de mandato ipsius Gregorii praedecessoris demandatae iam fuerant, eas-

1 Male ed. Main. legit *VIII* (R. T.).
2 Sic ed. Main.; forsan *B. Mariae* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *1422* (R. T.).
2 Legendum videtur *14*, ut ante et post (R. T.).

dem suas die XIV ianuarii expeditas litteras, ac omnia et singula in eis contenta, cum omnibus inde sequutis, ex causis animum suum moventibus, revocavit, cassavit et annullavit, ac revocata, cassata et annullata, viribusque et effectu vacua esse et fore decrevit et declaravit; insuper tam praedictorum, quam Turonensis, Ambianensis, Rothomagensis, Cabilonensis, Lugdunensis, Aurelianensis, Nonvetensis, Tholosani, Parisiensis, Narbonensis, Nivernensis, Trecensis et Carnotensis civitatum, ac Pontisarae et de Dieppe Rothomagensis, Devioni et de Castilione Lingonensis, Cadomi Baiocensis, Riomi Claramontensis, et de Beaulne locorum Ecluensis respective dioecesum, necnon omnium et singulorum aliorum in dicto regno perpetuis tunc futuris temporibus erigendorum monasteriorum monialium Carmelitanarum Excalceatarum huiusmodi abbatissis seu priorissis, ac monialibus et personis quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae, ac sub arbitrii sui poenis, praecepit et mandavit, ut praedictis Clementis idibus novembris MDCIII, in iis in quibus ipsius Gregorii praedecessoris litteras non adversabantur, ac Pauli praedecessorum sub die XIII martii MDCXX expeditis litteris praedictis, omnibusque et singulis in eis contentis, prompte parerent et obedirent, ac sub gubernio, regimine et administratione dictorum presbyterorum in memoratis Clementis praedecessoris litteris nominatorum, quorum primus tamquam praefectus, seu caput, ceteri vero duo tamquam assistentes existerent, sicut in litteris dicti Clementis praedecessoris disponitur, quique idcirco in gravibus expediendis negotiis simul convenire deberent, necnon sub visitatione, correctione et superioritate, quoad visitationem videlicet huiusmodi, eiusdem Petri tunc et pro tempore existentis dictae Congregationis praepositi, iuxta Clementis et Pauli praedecessorum litterarum praefatarum tenorem, viverent, illorumque monitis et mandatis salubribus prompte parerent similiter et obedirent, illaque susciperent et efficaciter adimplere procurarent; praeterea dictorum monasteriorum erectiones et institutiones, quatenus opus foret, approbavit et confirmavit, cum diversis aliis ordinationibus, statutis, concessionibus et indultis, et aliàs prout plenius et uberius continetur in aliis ipsius Gregorii praedecessoris litteris dictâ die XII septembris MDCXXII emanatis, quas subinde similis recordationis Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster, sufficienter auditis earumdem monialium procuratoribus, illarumque praetensis iuribus mature perpensis, per suas die XX decembris MDCXXIII etiam in formâ Brevis expeditas litteras approbavit et confirmavit.

Decretis Clementis et Pauli obedire mandat.

Post haec autem dicto Urbano praedecessori pro parte abbatissarum seu priorissarum et monialium praedictarum inter aliàs exposito, quod quondam Carolus de Condren[1], memorati Petri in officio praepositi generalis Congregationis Oratorii successor, de consensu presbyterorum dictae Congregationis et in eorum comitiis generalibus se munus visitatoris praedictorum monasteriorum exercere nolle, seque eidem pro se omnibusque suis successoribus dictae Congregationis praepositis generalibus renunciare declaraverat, idem Urbanus praedecessor, supplicationibus dictarum abbatissarum seu priorissarum et monialium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc existenti suo et Sedis praefatae in memorato regno Franciae nuncio, ut singulis trienniis aliquem presbyterum secularem aetate gravem, ac vitae et probitatis spectatae, ex duobus sibi per praedictos administratores nominandis et praesentandis, in visitatorem quorumcumque monaste-

Carolus de Condren praepositus generalis Congregationis Oratorii.

[1] Edit. Main. legit *Condreu* (R. T.).

riorum monialium Carmelitanarum Discalceatarum huiusmodi in dicto regno eatenus erectorum et deinceps erigendorum deputare, ac deputatum arbitrio suo et infra triennium revocare, ac finito triennio ad aliud triennium et non ultra confirmare (prout ante praedictas Pauli V praedecessoris litteras die XVII aprilis MDCXIII emanatas fieri consueverat) valeret, ita quod in eiusdem nuncii absentiâ ille qui a nuncio deputatus foret usque ad successoris nuncii adventum supplere posset et deberet, facultatem concessit; visitatori autem, sicut praefertur deputato, quaecumque monialium praedictarum monasteria in toto regno supradicto erecta et in futurum erigenda, eorumque superiores, abbatissas seu priorissas et moniales, ceterasque personas in eis degentes visitandi facultatem sub certis modo et formâ tunc expressis impertitus est.

Moniales supplicant unum visitatorem pro omnibus monasteriis non sufficere.

Et subinde eidem Urbano praedecessori pro parte dictarum abbatissarum seu priorissarum et monialium monasteriorum praedictorum iterum exposito, quod, attentis ipsorum monasteriorum tam eatenus erectorum, quam in posterum, Deo dante, erigendorum numero, eorumque ab invicem distantiâ, unus dumtaxat visitator, sicut praemittitur deputatus, visitationi singulorum monasteriorum huiusmodi per se ipsum supplere nequibat, ipse Urbanus praedecessor, illarum supplicationibus sibi humiliter porrectis pariter inclinatus, memorato nuncio unum vel duos alios tantum eorumdem monasteriorum visitatores, prout necessarium fore iudicavisset, modo et formâ, ac cum facultatibus in prioribus suis litteris expressis ac contentis, arbitrio suo deputandi facultatem concessit; et aliàs prout in binis ipsius Urbani praedecessoris litteris, unis die II aprilis MDCXXXII, et alteris die XXIX ianuarii MDCXXXIII respective in simili formâ Brevis expeditis litteris plenius continetur.

Quid ipse Alexander VII statuerit.

Postmodum vero a venerabili fratre Caelio archiepiscopo Caesareae, nostro[1] et Apostolicae Sedis in praefato regno nuncio, nobis relato, quod, licet memorata monasteria monialium Carmelitanarum Excalceatarum secundum reformationem S. Theresiae in civitate Parisiensi et in universo Galliae regno huiusmodi eatenus erecta, et in posterum erigenda, visitationi, superioritati, ac omnimodae iurisdictioni visitatorum auctoritate huius S. Sedis Apostolicae ab eius nunciis pro tempore in eodem regno existentibus deputatorum et deputandorum, iuxta formam praefatarum litterarum Clementis et Pauli ac Urbani praedecessorum nostrorum occasione erectionis et propagationis, regiminis et directionis monasteriorum Ordinis huiusmodi in eodem regno respective emanatarum, subiacerent et subiacere deberent, nihilominus dilecti filii rectores, superiores et administratores dictorum monasteriorum ius ea visitandi, saltem cumulative cum visitatoribus deputatis, ad se spectare praetenderent, prout in quibusdam ex illis de facto visitare praesumpserant: nos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui easdem litteras apostolicas, ac memorati nuncii relationem huiusmodi, necnon litteras dilectae in Christo filiae priorissae monasterii oppidi de Pontoise in favorem dictorum rectorum ad nos datas viderant et diligenter examinaverant, ac totum negotium attente et mature discusserant, consilio, per nostras die XX[2] octobris MDCLIX in simili formâ Brevis expeditas litteras, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, nullum ius, nec etiam cumulative, praedictis rectoribus et admi-

Rectoribus et superioribus, monasteria visitandi nullum ius competere mandat.

1 Edit. Main. legit *Caesareae nostrae* (R. T.).
2 Legend. 2, quas vide sup. pag. 504 (R. T.).

nistratoribus seu superioribus competere visitandi huiusmodi monasteria decrevimus et declaravimus, atque ita deinceps omnino, etiam sub ecclesiasticis censuris, servari mandavimus; praeterea visitatorum memoratorum monasteriorum monialium nominationem deinceps ad eorumdem monasteriorum administratores non pertinere, visitatores autem monasteriorum huiusmodi, incipiendo a tunc existentibus, qui erant dilectus filius Petrus de Berulle, in sacrâ theologiâ magister, monasterii de Pontelenoii sive de Pontelenio abbas commendatarius die XXV iunii MDCLVII, ac quondam Ludovicus de la Rochechouart de Caudenier, dum vixit abbas de Tornée, die II augusti MDCLVIII a praefato Caelio archiepiscopo nuncio confirmati, perpetuos fore quemadmodum rectores et administratores; ad haec dictorum visitatorum numerum ultra duos augeri non posse, neque etiam minui, sed ipsos visitatores, ut possent supervenientibus occurrere necessitatibus, delegandi ad tempus biennii, vel triennii ad summum, eorum auctoritatem et potestatem pro quorumdam monasteriorum visitatione uni vel pluribus sacerdotibus vitae irreprehensibilis ab eodem nuncio similiter approbandis, facultatem habere; praeterea, quod, uno ex visitatoribus perpetuis huiusmodi recedente vel decedente, alter superstes alium vitae probatae virum in sacro presbyteratus ordine constitutum infra trimestre vel semestre in[1] die recessus vel decessus computandum nuncio praefato, ut ab eodem in visitatorem deputaretur et confirmaretur, nominare posset et deberet, ita tamen ut non possent visitatores huiusmodi successive et immediate ex eodem collegio, congregatione, ordine, communitate, societate, aut corpore particulari assumi, aut nominari et deputari; quodque, si nominatio huiusmodi per visitationem superstitem intra semestre, ut supra praefixum, facta non foret, aut si aliquando contingeret visitatores praefatos simul, vel alterum superstitem, non factâ alterius nominatione, recedere vel decedere, tunc illorum seu alterius respective deputatio ad dictum nuncium, et, casu quo nuncius non adesset, ad hanc S. Sedem devolveretur, statuimus et ordinavimus. Et subinde controversias super praefatorum monasteriorum visitatione exortas sopire cupiens[1], de pari memoratorum cardinalium, in quorum congregatione causa visitationis huiusmodi iterum examinata fuerat, quique quidquid a partibus earumque[2] procuratoribus et advocatis utrinque deductum fuerat, audiverant, consilio, inhaerentes priori memoratae congregationis decreto, nostrisque litteris praedictis desuper emanatis, ac decretum et litteras huiusmodi confirmantes et approbantes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus praefatis rectoribus et administratoribus supradictis monasteriorum monialium nullum ius, ne quidem cumulative, visitandi eadem monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem et temporalem ipsorum monasteriorum ad eos spectara decrevimus et declaravimus, decretumque et declarationem huiusmodi sub excommunicationis latae sententiae poenâ per omnes et singulas personas, quae illis quovis modo contravenerint ipso facto incurrendâ, inviolabiliter et inconcusse observari praecepimus[3] et mandavimus, et aliâs prout in nostris pariter in formâ Brevis die XIII ianuarii proxime praeteriti expeditis litteris continetur.

Visitatorum numerus ultra duos non augeatur.

Ac demum per nos accepto, quod, defuncto Iacobo Charton, dum vixit, uno ex tribus rectoribus et administratoribus mo-

Contravenientium poenae.

1 Videtur legendum *a* pro *in* (R. T.).

1 Potius lege *cupientes* (R. T.).

2 Male ut puto ed. Main. legit *patribus eorumque pro partibus earumque* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *praecipimus* (R. T.).

nasteriorum monialium praefatarum in regno Franciae consistentium, dilecti filii Carolus de Gamache et Martinus Grandiu, superstites eorumdem monasteriorum rectores et administratores, dilectum pariter filium Margarithum Ganguelin presbyterum in tertium rectorem et administratorem monasteriorum huiusmodi loco praedicti Iacobi defuncti elegerant, et occasione absentiae a civitate Parisiensi dicti Caelii archiepiscopi nuncii electionem huiusmodi a quodam vicario venerabilis fratris archiepiscopi Parisiensis in spiritualibus generali confirmari curaverant, seu idem Margarithus curaverat, ipseque Margarithus sine[1] eiusdem Caelii archiepiscopi nuncii consensu munus tertii rectoris et administratoris dictorum monasteriorum assumpserat: nos, iustis et rationabilibus ex causis nobis notis adducti, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, electionem dicti Margarithi in tertium rectorem et administratorem praefatorum monasteriorum, a memoratis Carolo de Gamache et Martino Grandiu, necnon eiusdem electionis confirmationem a praedicto vicario generali, sicut praemittitur, respective factas, cum inde sequutis quibuscumque, cassavimus et annullavimus, viribusque et effectu penitus et omnino evacuavimus, ac cassas, irritas et nullas, viribusque et effectu vacuas esse et perpetuo fore decrevimus pariter et declaravimus, districte inhibentes praefato Caelio archiepiscopo nuncio, ne dicti Margarithi electionem huiusmodi confirmaret ullumque desuper consensum praestaret, omnibus vero et singulis monialibus praedictis, earumque priorissis et superiorissis quibuslibet, ne ipsum Margarithum in earum rectorem et administratorem seu superiorem ullatenus admitterent, seu recognoscerent, ullamque ei tamquam tali obedientiam vel reverentiam exhiberent, ipsi autem Margaritho sub excommunicationis latae sententiae poenâ[1] per eum in casu contraventionis ipso facto incurrendâ, apostolicâ auctoritate praecipientes et prohibentes, ne in administratione, regimine et gubernio praefatorum monasteriorum aut alicuius illorum se so immiscere, seu in genere[2], aut uti rectorem et administratorem monasteriorum huiusmodi seu alicuius eorum, publice vel privatim, tam coniunctim quam divisim, se gerere ullo modo auderet vel praesumeret. Praeterea dilectum filium Renatum Almeras, praepositum generalem Congregationis presbyterorum secularium Missionis nuncupatae, in tertium rectorem et administratorem memoratorum monasteriorum monialium in locum praedicti Iacobi defuncti, cum omnibus et singulis facultatibus quao similibus rectoribus et administratoribus a memorato Clemente praedecessore per suas litteras supradictas concessae fuerunt, salvâ tamen dictarum binarum litterarum nostrarum in omnibus et per omnia dispositione, constituimus et deputavimus. Ad haec nullam monialem, quae praefatis nostris litteris inobediens esset vel foret, in priorissam sen alterius nominis superiorissam cuiuscumque ex praefatis monasteriis eligi vel assumi, aut prius electam seu assumptam in eiusmodi priorissae sen superiorissae munere confirmari posse decrevimus pariter ac statuimus et ordinamus. Ac praemissa omnia et singula praefatis visitatoribus, necnon rectoribus et administratoribus, ac priorissis, superiorissis et monialibus quibuscumque monasteriorum huiusmodi, sub inobedientiae ac privationis officiorum poenis eo ipso, si contravenerint, absque aliâ declaratione incurrendis, inviolabiliter et inconcusse

Margarithi Ganguelin electio in administratorem nulla declaratur.

Renatus Almeras praepositus generalis Congregationis Missionis.

1 Male edit. Main. legit *sive* pro *sine* (R. T.).

1 Vocem *poenâ* nos addimus (R. T.).
2 Forsan legend. *ingerere* pro *in genere* (R. T.)

observari mandavimus et praecepimus; et aliàs, prout in nostris desuper etiam in formâ Brevis die XI aprilis MDCLXI[1] emanatis litteris latius continetur.

Pro bono regimine sanctius.

§ 2. Cum autem (sicut nuper accepimus) memorati Carolus de Gamache et Martinus Grandiu, superstites, ut praefertur, monasteriorum supradictorum rectores, ternis nostris litteris praedictis morem gerere ita pertinaciter recusaverint et recusarent, ut prudenter timeatur ne gravissima exinde universo Ordini praefatarum monialium Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae in spiritualibus et temporalibus detrimenta consequantur, ac proinde expediat illos ab eorumdem monasteriorum regimine et administratione amoveri, et, quia tres soli rectores sedulo et diligenter, ut par est, regendis et gubernandis sexaginta et amplius earumdem monialium monasteriis per dictum regnum dispersis minime sufficiunt, aliam praesenti statu[2] congruentiorem regiminis institui rationem: idcirco nos, pro commissâ nobis caelitus pastorali sollicitudine detrimenta huiusmodi quantum nobis ex alto conceditur avertere, ac felici prosperoque eiusdem Ordinis, in quo moniales quamplurimae vitae munditiâ, morum honestate, religiosaeque conversationis et multiplicium virtutum decoribus ornatae in humilitatis spiritu vota sua Deo reddere student, regimini, progressui et incremento propensissimis paternae charitatis nostrae studiis consulere cupientes, necnon praedictarum Clementis, Pauli, Gregorii et Urbani praedecessorum, ternarumque nostrarum, et aliarum quarumvis litterarum apostolicarum, monasteria praedicta quovis modo concernentium, tenores et datas etiam veriores, aliaque etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum expressis et insertis habentes, de supradictorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, exemptionem dicto Ordini pridem concessam approbantes et confirmantes, omnia et singula monialium Carmelitanarum Excalceatarum monasteria tam hactenus erecta quam perpetuis futuris temporibus, benedicente Domino, erigenda, eorumque abbatissas, priorissas et cuiusvis nominis superiorissas, moniales, conventus, visitatores, rectores, officiales, ministros, servientes et alias personas quascumque, necnon proprietates et bona universa, mobilia et immobilia, praesentia et futura, euiuscumque qualitatis, quantitatis, generis, speciei et naturae existentia, ac ubicumque ad illa quovis modo spectantia, seu ab illis quomodocumque et qualitercumque dependentia, ab omni et quacumque venerabilium fratrum, primatum, archiepiscoporum et episcoporum dicti regni, et aliorum quorumvis Ordinariorum, seu eorum cuiuslibet officialium et vicariorum in spiritualibus generalium, necnon protectorum Ordinum, ac generalium et provincialium, priorum seu ministrorum, aliorumque praelatorum et superiorum et fratrum quorumcumque Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, tam mitigatorum seu antiquae observantiae, quam Discalceatorum nuncupatorum, iurisdictione, visitatione, correctione, reformatione, subiectione, obedientiâ, superioritate et auctoritate (salvâ tamen semper eorumdem Ordinariorum iurisdictione in casibus, in quibus iuxta sacri Tridentini decreta Concilii illam in monasteria quantumvis exempta, et praesertim circa clausuram regularem, exercere possunt), necnon a quocumque curâ, regimine, gubernio, administratione et po-

1 Potius lege *1660* (R. T.).

2 Forsan legendum *statui* pro *statu* (R. T.).

Rectores nonnullos et administratores destituit.

testate praefatorum Caroli de Gamache et Martini Grandiu, ac etiam Renati Almeras, a nobis, sicut praemittitur, deputati, modernorum rectorum et administratorum, seu immediatorum superiorum eorumdem monasteriorum monialium Carmelitanarum Excalceatarum (quos omnes et singulos harum serie revocamus et destituimus, ac omni superioritate et administratione eis respective in monasteria huiusmodi quovis modo nunc competente perpetuo privamus, et privatos esse et perpetuo fore volumus et declaramus) in spiritualibus et temporalibus denuo penitus et omnino itidem perpetuo, tenore praesentium, eximimus et plenarie liberamus, ac eumdem Ordinem monialium Excalceatarum regni Franciae, eiusque monasteria, conventus, superiorissas, moniales, visitatores, rectores seu superiores immediatos, ut infra dicetur, eligendos, officiales, ministros, servientes et personas et bona, aliaque praedicta sub B. Petri et dictae Sedis, ac nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis protectione et inviolabili conservatione retinemus et iterum suscipimus.

Moniales possint suum rectorem ordinarium eligere.

§ 3. Praeterea, prisco modernoque diversarum monialium etiam in regno Franciae praefato degentium usui et consuetudini inhaerentes, ac peculiarem singulis earumdem monialium Carmelitanarum monasteriis gratiam facere volentes, quo pax et concordia animorumque unio firmius et stabilius conserventur, unicuique ex monasteriis monialium Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae, tam hactenus erectis quam postbac erigendis, facultatem eligendi de triennio in triennium peculiarem suum rectorem seu superiorem ordinarium immediatum, qui tamen ad illa triennia successive toties confirmari possit, quoties bono monasterii gubernio ita expedire et necessarium esse videbitur, earumdem tenore praesentium, impartimur; electorem[1] autem huiusmodi per viam suffragiorum ab abbatissâ seu priorissâ, quae ad hunc effectum duplicis voti praerogativâ gaudet, necnon a superiorissâ et monialibus depositariis cuiuslibet monasterii respective in termino sex hebdomadum a significatione praesentis ordinationis seu stabilimenti, pro hac primâ vice, et deinceps a morte, renunciatione seu vacatione muneris rectoris pro tempore existentis computandarum, fieri volumus; si vero eiusmodi electio in dicto termino non fiat, deputatio rectoris ad praefatum Caelium archiepiscopum modernum et pro tempore existentem Sedis Apostolicae in eodem regno nuncium eo ipso spectabit, ad quem etiam, sive ad Ordinarium loci uti Sedis praefatae delegatum, semper pertinebit confirmatio rectoris, sicut praemittitur, pro tempore electi, qui, ante obtentam confirmationem huiusmodi, in munere rectoris seu superioris immediati sese ingerere nullo modo poterit; hac tamen lege, ut eiusmodi rectores successive et immediate ex eodem corpore, collegio, congregatione, societate, capitulo aut communitate eligi nunquam possint, sub poenâ nullitatis et inobedientiae. Similis autem rector seu superior ordinarius, sic electus et confirmatus, curam, regimen et gubernium monasterii, a quo electus fuerit, habebit, cum facultate recipiendi et admittendi moniales ad habitum et professionem regulares, assistendi et praesidendi electionibus priorissae, officiariarum ipsius monasterii, dandi monialibus facultates et obedientias seu litteras obedientiales convenientes et necessarias, ac invigilandi observantiae regularis disciplinae necnon constitutionum apostolicarum et statutorum eiusdem Ordinis approbatorum, ac etiam stabilimen-

Qui confirmabitur a nuncio.

1 Videtur legendum *electionem* pro *electorem* (R. T.).

torum, et ordinationum a visitatoribus apostolicis factarum, dummodo sacris canonibus et sacrorum conciliorum praesertim Tridentini decretis, apostolicisque et dicti Ordinis constitutionibus, non adversentur. Non poterit tamen eiusmodi rector seu superior ordinarius immediatus ullo unquam tempore, directe vel indirecte, privative vel cumulative, seu aliàs quomodolibet sese ingerere in visitatione aut aliâ quavis functione, quae ad peculiare officium visitatoris monasteriorum huiusmodi spectet. Ad haec[1], multis iustis et rationalibus ex causis nobis notis adducti, neminem ex rectoribus eorumdem monasteriorum, qui munus huiusmodi gesserunt, seu ad illos assumpti fuerunt antequam praefatae nostrae litterae die XI aprilis proxime praeteriti expeditae emanarent, in rectorem cuiusvis ex monasteriis erectis et erigendis huiusmodi ullo unquam tempore eligi seu deputari aut confirmari posse decernimus, sub poenâ, ipsis quidem rectoribus, si eiusmodi rectoris munus sibi procuraverint aut illud acceptaverint, nullitatis quorumvis actorum per eos gerendorum, ac excommunicationis latae sententiae per eos ipso facto absque aliâ declaratione incurrendae, monasterio vero, privationis iuris eligendi pro eâ vice, quod eo ipso ad memoratum nuncium devolvatur. Ut autem uniformitas gubernii tamquam unitas corporis in eodem Ordine Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae conservetur, omnia et singula monasteria erecta et erigenda eiusdem Ordinis tam in capite quam in membris, eorumque abbatissas, priorissas, moniales et alias personas, ac bona, aliave quaelibet ab illis dependentia, curae, visitationi, obedientiae, superioritati et omnimodae iurisdictioni visitatorum perpetuorum iam stabilitorum et deputatorum, eorumque successorum, iuxta tenorem ternarum nostrarum litterarum supradictarum, denuo supponimus et subiicimus, hac tamen lege, ut in casu mortis vel recessus unius ex eisdem visitatoribus, superstes duos viros conditione, doctrinâ, capacitate et probitate ad munus huiusmodi requisitis praeditos memorato nuncio nominet, qui unum ex illis in visitatorem deputet, salvâ et illaesâ ac inviolabili in ceteris omnibus remanente praedictarum litterarum nostrarum super deputandis eisdem visitatoribus eorumque subdelegatis die II octobris MDCLIX emanatarum dispositione. Ipsis autem visitatoribus perpetuis uti maioribus sub supremâ nostrâ et huius sanctae Sedis potestate superioribus omnium et singulorum monasteriorum huiusmodi per praesentes iniungimus, ut ipsa monasteria per se ipsos, vel, quando legitime impediti fuerint, per suos subdelegatos, temporibus solitis, iuxta usum dicti Ordinis, et extra ordinem in casibus a iure stabilitis urgentis aliarumque necessitatum pro tempore occurrentium visitent, nec in functionibus, quae memoratis rectoribus seu superioribus immediatis, ut supra, peculiariter attributae et affectae existunt, ullatenus se ingerant, nisi in casibus in quibus iidem rectores excederent, aut concessis sibi facultatibus abuterentur; et tunc priorissa et moniales poterunt, debebuntque ad eosdem visitatores recurrere, seu ipsimet visitatores, et[1] propriae vigilantiae debito, partes suas interponent ad corrigendum, reformandum et ordinandum iuxta dispositionem supradictarum Urbani praedecessoris litterarum die XI aprilis MDCXXII expeditarum, ad quas relationem haberi volumus.

Assignentur nonnulli qui eligi non possunt.

Moniales visitatorum obedientiae subiectas esse declarat.

Pro abusibus recurratur ad Pontificem.

§ 4. Porro si contingat (quod Deus avertat) progressu temporis visitatores auctoritate et iurisdictione, quas illis per praedictas nostras die II octobris MDCLIX emanatas litteras attribuimus, et per prae-

1 Edit. Main. legit *spectet, ad hoc* (R. T.).

1 Forsan *ex* pro *et* legendum (R. T.).

sentes subdelegamus, abuti, nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem super eâ audiri volumus, ut quod desuper statuendum fuerit maturâ deliberatione adhibitâ decèrnamus, et Romanus Pontifex pro tempore existens decernat.

Clausurae observatio.

Quia vero exacta observatio clausurae puritati monialium conservandae eximie et praecipue conducit, et moniales Carmelitanae ex praescripto earum reformationis solitudinem peculiari instituto profitentur; praefato nuncio, nunc et pro tempore existenti, necnon quibusvis primatibus, archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis, ac visitatoribus, rectoribus et aliis quibuscumque memoratorum monasteriorum superioribus, serie et districte prohibemus, ne mulieribus quibuslibet

Nulli mulieri ingredi monasteria liceat.

cuiuscumque status, gradus, dignitatis et qualitatis existant, etiamsi principatus honore fulgeant, ingressum in eadem monasteria, seu aliquod ex illis, ullo modo permittant. Volentes et decernentes ut visitatores praefati, dum visitabunt eorumdem monasteriorum clausuram, ad expediendos ullos actus qui ad crates fieri et expediri poterunt, exempli causâ scrutinium, capitulum, ac sermones et admonitiones spirituales, nullatenus ingrediantur; nec casus necessitatis ingrediendi eadem monasteria aliter quam iuxta interpretationem et intellectum iuris et conciliorum ac constitutionum dicti Ordinis a Sede Apostolicâ approbatorum ullo modo interpretentur; crates autem praefatas nisi in casibus per easdem constitutiones expressis aperiri prohibemus; in quibus constitutionibus neque visitatores, neque rectores seu superiores ullo unquam tempore ex quacumque causâ seu praetextu dispensare, aut monialibus egressum ex eorum monasteriis seu claustris, caeli mutandi vel aquas minerales ob infirmitatem adeundi, aliâve simili ex causâ, permittere poterunt.

Nec puellas educationis causâ in dictis monasteriis admitti.

§ 5. Praeterea, cum spiritus solitudinis et orationis, cui memoratae moniales Carmelitanae iuxta earum reformationem adhaerent, amitti vel distrahi possit peculiari curâ, quam puellarum, quae in monasteria huiusmodi per seculares favores contra usum dicti Ordinis educationis causâ introduci possent, institutio et instructio requireret; in praefato autem regno per Dei gratiam alia in sufficienti numero reperiantur monasteria monialium, quae puellarum educationi, ac in disciplinâ et moribus christianis instructioni seculari[1] instituto incumbunt; idcirco, earumdem monialium Carmelitanarum quieti prospicere cupientes, ne in illarum monasteria puellae, educationis vel instructionis causâ, sub quovis praetextu, fine, aut ratione, quacumque auctoritate recipiantur aut introducantur, districte prohibemus et interdicimus. Statuentes et ordinantes, ut puellae, quae habitum per praefatas moniales Carmelitanas gestari solitum suscipere desideraverint, postquam iuxta consuetudinem et constitutiones dicti Ordinis examinatae fuerint, in monasteria huiusmodi recipi nequeant, nisi aetatem per easdem constitutiones requisitam compleverint; si vero eveniat, ut ob aliquam causam seu rationem extraordinariam, et memoratorum visitatorum iudicio gravem, aliquas dictâ aetate minores admitti expedire comperiatur, nulla tamen recipi unquam possit, quae saltem quatuordecim annorum non impleverit aetatem. Postremo statuimus pariter et ordinamus ut, quando nova monasteria dicti Ordinis monialium Carmelitanarum in praefato regno Franciae erigendi seu fundandi occasiones se offerrent[2], memorati duo visitatores apostolici, unâ cum rectore seu superiore particulari monasterii ex quo moniales pro

1 Forsan *peculiari* pro *seculari* legend. (R. T.).
2 Melius *offerent* vel *offerant* (R. T.).

fundando seu erigendo eiusmodi novo monasterio necessariae et destinatae extrahi debebunt, insimul voce vel scriptis super eâ re communicent, matureque deliberent et statuant sicut secundum Deum expedire iudicabunt. Quod si ipsi tres coniunctim et concorditer de utilitate et bono novae erectionis seu fundationis huiusmodi convenire nequeant, illa fieri nullo modo possint[1], nullitatisque et subreptionis, aliisque iuridicis poenis subiaceant. Ceterum supradictas Clementis, ac Pauli, Gregorii et Urbani praedecessorum, ac ternas nostras, aliasque litteras apostolicas, in omnibus illis dumtaxat quae praesentibus ordinationibus quovis modo adversantur, ex nunc revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac cassas, irritas et nullas, viribusque et effectu vacuas esse et perpetuo et fore decernimus et declaramus.

Clausulae. § 6. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati Carolus, Martinus et Renatus, et alii quilibet, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et praeeminentiae, aut aliàs speciali et individuâ mentione et expressione digni existant, in praemissis interesse habentes, seu habere quovis modo praetendentes, illis non consenserint, nec ad illa vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter aut ullo modo verificatae, iustificatae et adductae fuerint, seu ex aliâ qualibet, quantumvis legitimâ, piâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, ingenio, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente, et undecumque resultante defectu notari, impugnari, limitari, infringi, modificari, retractari, ad viam seu terminos iuris reduci, in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris restitutionis in integrum, aliudve impetrari, seu intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestate[1] similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum, ordinationum et gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisve contrariis dispositionibus pro tempore factis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri, firmasque, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et sedis praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Laudensi et Mimatensi episcopis per prae- Decretum hoc inviolabiliter observetur.

[1] Videtur legendum *possit* et postea *subiaceat* (R. T.).

[1] Ed. Main. legit *potestates* pro *potestate* (R. T.).

sentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contravenientium poenae.

Contraria derogat.

§ 8. Non obstantibus praedictis Clementis, ac Pauli, Gregorii et Urbani praedecessorum, nostrisque litteris, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, necnon similis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus et singulis illis, quae memorati praedecessores voluerunt, nosque etiam voluimus respective in litteris praedictis non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et amplissime, ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praedictis et aliis quibusvis personis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ad de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 9. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 septembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXIV.

Confirmat decretum sacrae congregationis regularium, quod fratres Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum possint sibi eligere iudicem conservatorem[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

Aliàs pro parte dilecti filii Francisci de la Rosa, vicarii generalis Italiae et Siciliae et procuratoris generalis totius Ordinis fratrum beatae Mariae de Mercede

[1] Circa electionem conservatorum vide ad constitutionem XXXIII Gregorii XV *Sanctissimus*, tom. XII, pag. 596.

redemptionis captivorum, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, licet eidem Ordini amplissima communicatio privilegiorum, quibus alii Ordines mendicantes fruuntur, a felicis recordationis Leone X, ac Clemente VII, et Sixto V Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa reperiretur, et inter alia privilegia huiusmodi eisdem Ordinibus indulta esset facultas eligendi iudices conservatores, qui iura eorum tueantur, eosque ab iniuriis et violentiis defendant, conservatorumque huiusmodi electio veniret sub communicatione privilegiorum, sicut congregatio eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum die XII decembris MDCLV dicitur declarasse; nihilominus primodictus Ordo, quando se offerebat occasio aut necessitas praedictos iudices conservatores eligendi, varias patiebatur molestias, pluraque cogebatur sustinere gravamina pro stabiliendâ praedictâ facultate iudices conservatores eligendi, cum magno praeiudicio ipsius Ordinis, et gravissimo detrimento eius iurium, ac pii operis redemptionis captivorum, quod ex proprio ac speciali quarto solemnique voto administrat et profitetur;

Supplicatio.

§ 1. Et propterea supplicato primodictae cardinalium congregationi, ut declararet memorato Ordini B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, vigore communicationis privilegiorum supradictorum, competere facultatem eligendi iudices conservatores in casibus a iure per speciales constitutiones apostolicas permissis, tam pro personis, rebus et bonis ipsius Ordinis, quam pro praefato opere redemptionis captivorum, iuxta tenorem constitutionum recolendae memoriae Clementis Papae VIII et Gregorii Papae XV praedecessorum pariter nostrorum nec non declarationis dictae congregationis, emanavit ab eâdem congregatione cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

§ 2. «Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis et communicatione privilegiorum huiusmodi, censuit eius vigore praefatae religioni B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum competere ius eligendi, servatis servandis, sibi competere conservatorem, prout ei competere praesentis decreti tenore declarat et decernit, contrariis quibuscumque non obstantibus; ac super praemissis expediri Breve, si sanctissimo domino nostro placuerit.

Romae x septembris MDCLX.

M. card. GINETTUS.

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Franciscus nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate eiusdem congregationis cardinalium.

Clausulae appone.

§ 4. Decernentes easdem praesentes lit-

teras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad[1] quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus, super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 octobris 1660, pontif. an. VI.

CCCXV.

Constitutio super habitu praelatitio ab abbatibus generalibus Congregationis Olivetanae deferendo.

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem ad ea, per quae personarum ecclesiasticarum quarumlibet praesertim congregationum monasticarum regimini et administrationi ac ornamento divinique cultus celebritati et decori consulitur, libenter intendere, ac in illis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout, locorum et personarum huiusmodi circumstantiis debite pensatis, ad devotionis christifidelium augumentum et propagationem necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Angeli Mariae Forelli Romani, monachi Ordinis Congregationis Olivetanae expresse professi, monasterii S. Mariae Novae nuncupatae de Urbe, provinciae Neapolitanae, et moderni eiusdem congregationis abbatis generalis, petitio continebat, quod, cum inter congregationes monachorum Italiae Congregatio Olivetana Ordinis S. Benedicti celebris, ac a Sede Apostolica pluribus favoribus et gratiis decorata existat, illiusque abbas generalis mitra, baculo et annulo, pastoralibus insigniis, utatur, potiatur et gaudeat, plurimum tamen decori et dignitati abbatis generalis eiusdem Congregationis videretur convenire ipsum et successores suos pro tempore existentes abbates generales a nobis et Sede praefata aliqua digniori praerogativa decorari et illustrari;

Supplicanti concedit mozzettam et mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis cum pileo et bireto praelatitiis induere.

§ 2. Quare pro parte dicti Angeli Mariae moderni eiusdem Congregationis abbatis generalis fuit nobis humiliter supplicatum quatenus eiusdem Congregationis Olivetanae eiusquo abbatum generalium pro tempore existentium decori consulere, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum quarumlibet et congregationum decorem divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eumdem Angelum Mariam modernum abbatem generalem et successores suos pro tempore existentes abbates generales praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicatio-

1 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

nis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac honestis votis ipsius Angeli Mariae hac in parte favorabiliter annuentes, eidem Angelo Mariae moderno eiusdem Congregationis abbati generali, eiusque successoribus abbatibus generalibus pro tempore existentibus praedictis, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in Romanâ curiâ, quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Angelum Mariam et pro tempore existentes abbates generales praefatos pro tempore residere et morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis et sessionibus, necnon quibusvis actibus et processionibus, etiam coram nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in cappellis pontificiis, mozzettam et mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis Olivetanae unâ cum pileo et bireto praelatitiis induere, gestare et deferre, illisque uti, frui et gaudere libere et licite possit et valeat, ac possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, plenamque et liberam facultatem et auctoritatem desuper impertimur.

Clausulae. § 3. Decernentes ipsum Angelum Mariam et successores suos pro tempore existentes abbates generales praedictos super delatione, gestatione et usu mozzettae et mantellettae, pilei et bireti praefatorum a quoquam sub quovis praetextu vel causâ et occasione nullatenus impediri posse; praesentes quoque semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties praesentes in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori datâ per Angelum Mariam et successores praefatos abbates generales pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praefatae nuncios, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus quibusvis, etiam in synodalibus et provincialibus ac generalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis Olivetanae huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales. § 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi, dioecesis Albanensis, anno Incarnationis Dominicae MDCLX, idibus octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 octobris 1660, pontif. anno VI.

CCCXVI.

Concedit conventum B. Petri de Nolasco terrae Rocca di Papa, *dioecesis Tusculanae, fratribus B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum.*

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. Ad sacrosancti apostolatus apicem nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, muneris nostri esse arbitramur, ut congregationes virorum sub suavi arctioris religionis iugo Altissimi obsequiis mancipatorum, in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutas, paternâ benignitate prosequentes, felicibus earum incrementis quantum nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Conceditur gratia prout in rubricâ. § 1. Volentes itaque Congregationi fratrum Discalceatorum reformatorum nuncupatorum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum gratiam facere specialem, conventum B. Petri de Nolasco, olim fratrum dicti Ordinis, in terrâ *Rocca di Papa* nuncupatâ, Tusculanae dioecesis, positum, cum illius ecclesiâ, ac bonis et oneribus universis, praedictae Congregationi fratrum Discalceatorum (itaut conventus huiusmodi de cetero conventui S. Ioannis de Urbe eiusdem Congregationis, sub obedientiâ dilecti filii procuratoris generalis ipsius Congregationis, qui in dicto conventu S. Ioannis residere solet, subiaceat, et dictus procurator generalis superiorem et familiam sex saltem presbyterorum et duorum conversorum fratrum Discalceatorum reformatorum Congregationis[1] huiusmodi in primodicto conventu collocare debeat, ipsique procuratori generali liceat, per se, vel alium, seu alios, memoratae Congregationis nomine, corporalem, realem et actualem possessionem, seu quasi possessionem, primodicti conventus, eiusque ecclesiae, ac bonorum, redditum, proventuum, pertinentiarum et iurium universorum propriâ auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, dioecesani loci et cuiusvis alterius licentiâ super hoc minime requisitâ), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo applicamus et appropriamus.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his s quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de perpetuis applicationibus quorumcumque bonorum et fructuum ecclesiasticorum committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero annuo valore secundum communem aestimationem, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentibus[1], aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis, congregationis, conventuum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effe-

1 Edit. Main. legit *Congregationi* (R. T.).

1 Potius lege *prohibenti* (R. T.).

ctum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, dioecesis Albanensis, sub annulo Piscatoris, die xv octobris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 octobris 1660, pontif. anno VI.

CCCXVII.

Ordine e dichiarazione, che nella città di Bologna, contado, e sua legazione la lira si spenda a ragione di due giuli papali, la mezza lira un giulio, il quarto di lira un grosso.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Meditatio cordis nostri[1] ad ea praecipue convertitur, per quae nostrorum et S. R. E. in temporalibus subditorum utilitatibus opportuna ratione consulitur. Cum itaque aliàs dilectus filius noster Hieronymus tituli S. Agnetis prope et extra moenia Urbis eiusdem S. R. E. presbyter cardinalis Farnesius nuncupatus, noster et Sedis Apostolicae in civitate et comitatu Bononiensi nostris de latere legatus, edictum super monetis cum diversis ordinationibus iussu nostro ediderit et die XIV augusti MDCLIX publicari fecerit, tenoris qui sequitur, videlicet.

Edictum cardinalis Farnesii, quo iubetur ut in rubrica. § 1. Volendo la Santità di nostro Signore Alessandro VII che tutte le monete dello Stato Ecclesiastico habbiano corrispondenza con la romana, e che si ragguaglino con lo scudo, testone e giulio papale, nè possano per varietà dei tempi, o mutazione intrinseca, o per qualsivoglia accidente ricevere alterazione nel loro valore discrepante dalla valutazione di Roma, e essendosi sopra ciò publicato editto e bando nelle due legazioni Romagna e Ferrara, in conformità degli ordini della Santità Sua, quindi è, cho l'eminentissimo signor cardinale Farnese, legato di Bologna, con participazione e consenso degl'eccelsi signori anziani, consoli e degl'illustrissimi signori confaloniero di giustizia et assunti sopra la zecca, ordina e comanda che in questa città, contado e sua legazione debba esser realmente, e non imaginariamente, la lira effettiva del valore e bontà intrinseca di due giuli romani, e così debba conservarsi, mantenersi, spendersi e contrattarsi in avvenire senza mutazione o alterazione alcuna, e che debba essere la quinta parte dello scudo romano inalterabilmente, così la mezza lira dovrà sempre corrispondere al giulio papale, il quarto di lira al grosso, l'ottavo di lira al mezzo grosso, ed il decimo di lira a due baiocchi, il bolognino di valuta di sei quattrini dovrà essere la vigesima parte della lira, e decima parte del giulio, ed in questa conformità, e non mai in lire imaginarie; comanda Sua Eminenza ai mercanti, negozianti, contraenti, razionali, computisti, giudici, notari ed ogni altra persona di qualsivoglia grado, stato e condizione, laica o ecclesiastica, *etiam* regolare, di dover contrattare, spendere, ricevere, calcolare, giudicare, assegoare, disporre, legare, donare o palluire tanto nella sorte, quanto nelli frutti, sotto pena non solo della nullità del contratto, ma ancora della perdita del danaro, somma e robba contrattata, e di scudi cento d'oro, da applicarsi alla camera di Bologna; dichiarando che siano compresi nella medesima pena non solo i contraenti, ma anche tutti quelli, che avranno parte, concorreranno e consentiranno nella suddetta contravenzione; Contraventium poenae.

§ 2. Volendo di più Sua Eminenza che tutti li banchieri, bancarotti, mercanti,

[1] Aliae circa monetarum reformationem decreta require supra pag. 573, seq. (R. T.).

gabellieri siano avvertiti, e particolarmente nelle monete di lega ed altre tolerate, che non siano alterate, e ritrovandosi tali, ne diano subito notizia in Torrone perchè si possino fare le diligenze necessarie, sotto pena della perdita della moneta, di scudi duecento, ed altre *etiam* corporali arbitrarie, *etiam* della galera. E perchè siano meglio osservate ed avvertite le cose suddette, vuole l'Eminenza Sua, che ogni banchiero, mercante, speziale, beccaro, fornaro, lardaroto ed oste tenga questo bando affisso ne' loro banchi e bottega sotto pena di scudi cinquanta.

§ 3. In oltre proibisce Sua Eminenza al zecchiero presente, e che sarà *pro tempore* in questa città, il poter in avvenire battere altra moneta d'argento che la sopradetta, cioè scudo da cinque lire, testoni da una lira e mezza, lira da due giuli, mezza lira da un giulio, quarto di lira da un grosso, ottavo di lira da mezzo grosso, decimo di lira di due bolognini, di sei quattrini l'uno, e tutte le suddette monete dovranno essere effettive del valore, bontà e qualità sopra espresse; volendo che gli ordini e provisioni suddetti abbiano luogo e siano puntualmente osservati, anco ne' luoghi baronali e feudali, sotto le pene in essi espresse.

§ 4. E perchè le monete forestiere di argento potrebbero cagionare alterazione di prezzi differenti dalla valutazione romana, statuisce l'Eminenza Sua che le dette monete non possano spendersi nè valutarsi se non secondo la tariffa che si darà fuori col saggio e peso di ciascuna di esse, e secondo il loro vero valore. Avvertendo ogn'uno a non contravenire, perchè contro li transgressori si procederà per inquisizione *ex officio* a denunzia, ed in ogn'altro miglior modo alla corte favorevole. Volendo che il presente bando, affisso e publicato ne'luoghi soliti, si abbia per legitimamente a ciascheduno personalmente intimato. In quorum fidem, etc.

Datum Bononiae, die XIII augusti MDCLIX.

G. cardinale FARNESE, legato.

FRANCISCUS IOANNES de S. P. V., ex iust.

ANDREAS GHISLARDUS, assumptus.

FULVIUS BENTIVOLUS, assumptus.

IOANNES LUPARUS, assumptus.

CAESAR BLANCHINUS, assumptus.

MARIUS CASALIS, assumptus.

§ 5. Hinc est quod nos, praemissorum omnium et singulorum firmiori robori et inviolabili observantiae consulere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis et inde sequutis, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illaque rata et grata habemus, ac iussu nostro emanasse declaramus et attestamur, necnon illis omnibus et singulis inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiungimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum praescripto, quam aliàs quomodocumque et qualitercumque, etiam de necessitate in similibus observandarum, aliosve quoslibet, quamtumvis magnos, ac formales et substantiales, individuâque mentione dignos, defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, praetendi, vel intelligi possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex.

§ 6. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta et inserta quaecumque ab omnibus et singulis, ad quos nunc quoquo modo spectat et spectabit in futurum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, et

Clausulae addit.

legati de latere potestate et auctoritate fungantur, semper et perpetuo inviolabiliter et inconcusse observari debere, neque ipsas praesentes litteras, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae aut verificatae et iustificatae non fuerint, seu ex aliâ qualibet, quamtumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quamtumvis substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon camerae nostrae apostolicae thesaurarium generalem, praesidentes, clericos, aliosque officiales et ministros, et ceteros, quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 7. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, et felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictae camerae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon civitatum, oppidorum, terrarum, locorum, ac ecclesiarum, monasteriorum, collegiorum, conventuum, ordinum, congregationum, societatum et institutorum quorumlibet, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 8. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 3 novembris 1660, pontif. an. VI.

CCCXVIII.

Firmanorum magistratus aggregatio.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Cum (sicut accepimus) dilectus filius noster Flavius tituli S. Mariae de Populo S. R. E. presbyter cardinalis Chisius nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, ac civitatis nostrae Firmanae gubernator, aliàs, ut inconvenientibus, quae ex defectu competentiâ numeri priorum et regulatorum dictae civitatis circa administrationem rerum ad eamdem civitatem aere alieno sexaginta vel circiter millium scutorum gravatam pertinentium proveniebant, pro eâ qua ipsum insignivit Altissimus prudentiâ bonique publici studio opportune providerit[1], dilectos filios Franciscum Paccarone, Stephanum Monti, doctorem Ioannem Franciscum Guerriero, Marcum Antonium Savini, Ioannem Philippum Spinucci, Horatium Brancadori, Petrum Simonem Azzolini, Antonium Iacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Vincentium Porti et Dominicum Ruffi magistratui priorum, necnon Franciscum Paccarone, Petrum Simonem Azzolini, Stephanum Monti, Nicolaum Sabione, Philippum Montani, Simonem Paitini, Ioannem Evangelistam, Carolum Palmieri, Antonium Iacobum Matteucci, Antonium Rodulphum Morrone, Franciscum Mariam Ricciardi et Carolum Formichini magistratui regulatorum eiusdem civitatis Firmanae respective aggregaverit; praedictique eiusdem Flavii cardinalis gubernatoris mandato, unà cum ceteris prioribus et regulatoribus dictae civitatis, cum assignatione certarum regionum, eis ab ipso Flavio cardinale factâ, respective imbussolati reperiantur:

§ 1. Hinc est quod nos, providam eiusdem Flavii cardinalis in praemissis industriam plurimum in Domino commendantes, eorumdemque praemissorum firmitati, robori et efficaciae, pro paterno nostro erga civitatem praedictam eiusque cives supranominatos affectu, consulere volentes, ac eorumdem supranominatorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes:

Confirmat aggregationem ut in rubrica. § 2. Motu proprio, non ad praedictam aut cuiusvis alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, aggregationem supra expressorum et nominatorum respective ad magistratus priorum et regulatorum dictae civitatis Firmanae a memorato Flavio cardinale, sicut praemittitur, factam, cum

[1] Legendum *provideret* (R. T.)

eorumdem imbussolatione et regionum assignatione huiusmodi, aliisque inde quomodolibet sequutis et sequuturis, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communia et constitutionum apostolicarum, ac dictae civitatis aliorumque quorumvis statutorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratorum, stylorum, usuum et consuetudinum etiam immemorabilium praescripto, quam aliâs quomodocumque et qualitercumque in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet quantumvis magnos ac formales et substantiales defectus, si qui in praemissis, vel eorum aliquo, principaliter vel accessorie, aut aliàs quovis modo intervenerint seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi unquam possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

§ 3. Praeterea eosdem supranominatos, sicut praemittitur aggregatos; denuo, quatenus opus sit, memoratae civitatis Firmanae priores et regulatores cum assignatione praedictarum regionum respective, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, creamus, facimus, constituimus et deputamus, eosdemque ceterorum eiusdem civitatis priorum et regulatorum numero et consortio respective favorabiliter aggregamus et adscribimus; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis, ad quos quovis modo spectat et in futurum quandocumque spectabit, quatenus supranominatos priorum et regulatorum magistratibus huiusmodi, sicut praemittitur, aggregatos, eorumque successores, aggregationis, adscriptionis, imbussolationis et regionum assignationis huiusmodi effectu, praesentiumque litterarum commodo pacifice frui sinant et faciant, eosque respective recognoscant, ac illis faveant, pareant et assistant.

§ 4. Ac decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti et alii quicumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, seu aliâ speciali notâ et expressione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, sive ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus[1], aliove quomodolibet, quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato et inexcogitabili defectu, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari ac in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac supranominatis eorumque successoribus plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordi-

Clausulae apponit.

1 Male edit. Main. legit *consensu* (R. T.).

narios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae civitatis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem civitati, eiusque communitati et hominibus, ac prioribus, ac regulatoribus, aliisve quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili ac consistorialiter et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter insertis, servatis et expressis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 novembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXIX.

Confirmatio dispositionis testamenti Ioannis Pizzulli de Regina Bisinianensis, necnon motusproprii Urbani Papae VIII pro collegio fratrum studentium S. Francisci de Paula in Urbe[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii corrector et fratres collegii sancti Francisci de Paula de Urbe, Ordinis fratrum eiusdem sancti Francisci Minimorum nuncupatorum, quod dudum quondam Ioannes Pizzullus in suo ultimo, sub cuius dispositione ab humanis decessit, testamento mandavit ex suis bonis collegium fratrum studentium dicti Ordinis, qui in provinciâ Calabriae Citerioris orti essent, in Urbe praedictâ erigi, in quo consanguinei familiae maternae ipsius testatoris de Grillis nuncupatae, usque ad quartum gradum inclusive, et post hos orti in terrâ Reginae, Bisinianensis dioecesis, eiusdem testatoris patriâ, ceteris praeferri, ac successive nati in dictâ provinciâ Calabriae Citerioris admitti deberent, sub poenâ caducitatis, et aliàs prout in eodem testamento uberius dicitur contineri. Motiva.

§ 1. Et subinde erectum fuit praedictum collegium S. Francisci de Paula in executionem praenarratae dispositionis, quam (ut dicti exponentes asserunt) fe-

[1] De hac re vide tom. XIII, pag. 53; et tom. XV, pag. 91 (R. T.).

licis recordationis Urbanus VIII praedecessor noster per quasdam suas anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, pridie nonas decembris, sub plumbo expeditas et eius motu proprio emanatas litteras confirmavit, in quibus ordinatum fuit, ut quidam fratres dicti Ordinis, et signanter dilectus pariter filius Ioannes a Regina, ex[1] memoratâ familiâ de Grillis descendens, et in praedictâ terrâ Reginae natus, in eodem collegio locales perpetui essent.

Oratorem a censuris absolvit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, quo dispositio dicti testatoris, necnon praedictae Urbani praedecessoris litterae firmius et inviolabilius de cetero observentur, dicti exponentes opportune, ut infra, a nobis provideri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,

Confirmat pro ut in rubrica.

§ 3. Dispositionem dicti Ioannis testatoris, a memorato Urbano praedecessore, sicut praefertur, confirmatam, necnon praedictas eiusdem Urbani praedecessoris litteras, ab illis, ad quos spectat et in futurum quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sub excommunicationis maioris ac privationis vocis activae et passivae poenis per contraventores eo ipso absque ullâ aliâ declaratione incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et praecipimus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictorum collegii et Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 6 novembris 1660, pontif. anno VI.

1 Male edit. Main. habet *et* pro *ex* (R. T.).

CCCXX.

Restitutio iurisdictionis episcopo Comensi in capitulum, dignitates et canonicos Comenses, eorumque consanguineos et familiares[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus Comensis, quod aliàs felicis recordationis Innocentius Papa X praedecessor noster, per quasdam suas in formâ Brevis litteras die XVII iulii MDCXLV expeditas, dilectos filios capitulum et canonicos ecclesiae Comensis, eorumque consanguineos, famulos et familiares, tam in civilibus, quam in criminalibus et mixtis ac beneficialibus et aliis quibuscumque causis active et passive a iurisdictione dicti episcopi Comensis exemit, illosque venerabili fratri episcopo Papiensi subiecit.

Supplicatio.

§ 2. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, litterae praedictae in maximum non tantum praedicti episcopi Comensis, sed etiam civitatis et populi Comensis, necnon parochorum praeiudicium tendant, nobis propterea idem episcopus Comensis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum episcopum Comensem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon dictarum litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressum habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, bebitâ relatione a venerabili etiam fratre Camillo Camerinensi congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae secretario, qui partes tam verbo quam scripto informantes saepius audivit, de illis quae coram ipso circa praemissa hinc inde deducta fuerunt, memoratas Innocentii praedecessoris litteras, quibus capitulum, dignitates et canonici praedictae cathedralis ecclesiae Comensis, eorumque consanguinei, famuli et familiares a iurisdictione dicti episcopi Comensis in omnibus eorum causis tam criminalibus quam civilibus et mixtis ac beneficialibus, pluribus ab hinc annis, fuerunt exempti, et episcopo Papiensi subiecti, earumdemque litterarum circa praedicta dispositionem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, suspendimus, ac pro suspensis haberi volumus et mandamus, iurisdictionisque praefatae exercitium eidem episcopo Comensi restituimus.

Innocentii X decretum revocat.

§ 2. Non obstantibus praedictis Innocentii praedecessoris litteris, necnon in contrarium allatis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 novembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXXI.

Declaratio, quod in septimâ[1] constitutione non comprehendantur legata pro piis operibus incertis relictâ.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem in terris a Domino constitutum, illa, quae ex circumspectâ eius providentiâ pie sapienterque processerunt, cum aliorsum, quam aequitatis ratio postulet, detorqueri intelligit, opportunae declarationis ministerio ite dilucidare, ut sequioris et ab eius intentione deflectentis interpretationis occasio cuilibet praecidatur.

Decretum Alexandri VII refertur.

§ 1. Aliàs siquidem emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam. Superni dispositione consilii vices illius gerentes in terris, qui, pauperum curam fidelibus suis praecipiens, quod uni ex illis fieret, sibi factum asseruit, in iis pastoralis officii nostris partes affectu paterno libenter interponimus, per quae eorumdem pauperum et praesertim per vicos et plateas mendicantium necessitatibus opportune consuli arbitramur. Cum itaque, etc.[2]

Motiva.

§ 2. Cum autem (sicut accepimus) nonnulli exequutores testamentarii, ad exequenda diversa legata pro piis operibus incerta relicta deputati, praeinsertae con-

1 Olim erat septima; nunc autem tum in edit. Main. tum in hac nostrâ est trigesima prima quam habes supra pag. 57 (R. T.).

2 Reliqua omittimus, quia integra constitutio legitur supra loc. cit. (R. T.).

stitutionis nostrae praetextu, illa in commodum fabricae praedictae iusta illius privilegia minime converti debere, nec ad illam quovis modo spectare, neque sub eius facultatibus comprehendi praetendant, in maximum ipsius fabricae damnum et praeiudicium: hinc est quod nos, omnem, quae praemissorum occasione enata est et postbac nasci posset, controversiam et ambiguitatem tollere, eiusdemque fabricae indemnitati consulere cupientes,

Decretum praeinsertam explicat.

§ 3. Motu, scientià, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, constitutionem praeinsertam in illis dumtaxat legatis, quae pauperibus in genere expresse et explicite relicta sunt hactenus et in futurum relinquentur, sive per haeredes sive per exequutores vel alios quoscumque veniant distribuenda, locum obtinere, non autem ad alia quaecumque legata pro piis operibus incertis hactenus relicta et in posterum quandocumque relinquenda ullatenus porrigi seu estendi posse vel debere, tenore praesentium declaramus, ac perpetuo statuimus et decernimus.

Privilegia, indulta, gratias ab aliis Pontificibus concessa confirmat.

§ 4. Ac quaecumque privilegia, indulta, gratias et facultates praedictae fabricae, eiusque congregationi et officialibus quibusvis, circa applicationes legatorum pro piis operibus incertis (non tamen pauperibus in genere, sicut supra declaratum est) relictorum in commodum et utilitatem ipsius fabricae, a praedictis et aliis quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris quovis modo concessa et concessas, illorum tenores et datas praesentibus pro plene et sufficienter espressis et insertis habentes, adversus constitutionem praeinsertam, indeque sequuta quaecumque, in integrum, ac pristinum, eumque, in quo, antequam eadem constitutio emanaret, quomodolibet erant, statum, motu, scientià, deliberatione et potestatis plenitudine paribus restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, illaque, quatenus opus sit, revalidamus, ac itidem perpetuo confirmamus et approbamus.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet etiam speciali et individuà mentione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quovis modo praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, sufficienter aut ullatenus adductae et iustificatae fuerint, seu es alià quacumque quantumvis pià, iuridicà et privilegiatà causà, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, formali et substantiali, ac inexcogitabili defectu notari, infringi, impugnari, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodcumque iuris, facti, seu gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientià et potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces, esistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac supradictae fabricae plenissime suffragari, sicque in praemissis censeri, atque ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quandocumque functuros, sub-

latâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac praeinsertis nostris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae in eisdem voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat. § 7. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 novembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXXII.

Confirmatio decreti congregationis de Propagandâ Fide circa iurisdictionem archiepiscopi Sardicensis seu Sophiensis et episcopi Bosnensis in regulares in concernentibus curam animarum personarum secularium[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refertur decretum Congregationis S. R. E. cardinalium aliàs emanatum. § 1. Aliàs emanavit a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis de Propagandâ Fide habitae sub die XXIII *februarii* MDCLX *ad mentem SS. D. N. ex audientiâ secretarii* III *martii eiusdem anni:*

Licet in sacris canonibus, constitutionibus apostolicis et sacri Concilii Tridentini decretis expressa sint ea, in quibus regulares cuiusvis Ordinis, non obstantibus quibuscumque eorum privilegiis, potestati et auctoritati episcoporum subiecti sunt; quia tamen in[1] ecclesiis et dioecesibus sive in titulum sive in administrationem concessis archiepiscopo Sardicensi seu Sophiensi et archiepiscopo Bosnensi, in quibus, ob carentiam sacerdotum secularium, regulares ecclesiis cathedralibus et parochialibus inserviunt et cleri vices supplent, ac fortasse etiam in aliis similibus infidelium dominio subiectis, sive ex contumaciâ, sive etiam ex praedictarum constitutionum ignorantiâ, quae forsan in locis huiusmodi posset aliquando contingere, plurima ex praedictis non sine magno spiritualis regiminis detrimento negliguntur, ecclesiasticaeque disciplinae ordo perturbatur: idcirco ne de praedictis in posterum dubitari contingat, et ut eorum populorum regimen ad sacrorum canonum praescriptum dirigatur,

Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis fidei propagandae praepositorum operae pretium esse duxit, si sanctissimo domino nostro placuerit, canones, constitutiones et decreta huiusmodi innovare, ac in usum et observantiam inducere, praecipue vero haec quae sequuntur declarare, et, quatenus opus sit, de novo statuere et ordinare. Innovat, quae sequuntur.

I. In iis omnibus, quae ad curam seu regimen animarum personarum secularium pertinent, regulares cuiusvis Ordinis atque instituti praefatis archiepiscopo Regularibus officium parochi exercentes iurisdictioni Ordinarii parere praecipit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

et episcopo respective omnino pareant et subiecti sint, adeo ut absque eorum licentiâ, examine et approbatione in scriptis, vel ante eam obtentam, nullo pacto aut praetextu audeant se immiscere in administratione parochialium sacramentorum et in audiendis confessionibus, aut quaevis alia exercere quae ad praedictam animarum curam pertineant, neve possessionem aut titulum parochi sive curati, seu facto seu nomine, assumere et usurpare (quamvis a suis superioribus seu capitulo ad id munus destinati fuerint), sub poenâ suspensionis et privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrendâ.

II. Liceat supradicto archiepiscopo et episcopo quemlibet ipsorum, si ex aliquâ iustâ causâ magis in Domino expedire iudicaverint, a tali officio et exercitio parochiali quandocumque, etiam non elapso tempore pro quo fuit deputatus, removere, et alium in eius locum subrogare, donec et quousque fuerit a provinciali seu definitorio destinatus alius, per ipsummet episcopum, ut supra dictum est, approbandus; et, si quis supradictorum fratrum in huiusmodi administratione deliquerit, aut memoratorum archiepiscopi et episcopi respective ordinationes, circa praedicta factas tam in visitatione quam extra, non observaverit, eumdem corrigere et punire etiam per censuras ecclesiasticas ad sacrorum canonum praescripta.

III. Teneantur ii, qui parochias et curam animarum exercent, rudimenta fidei saltem inter missarum solemnia docere, debito tempore ad synodum, singulis diebus dominicis, ab ipso archiepiscopo seu episcopo praescribendis, ad congregationes casuum conscientiae accedere, publicisque processionibus unâ cum aliis fratribus interesse; renuentes vero debitis poenis a praenominatis praesulibus cogi compellique possint.

IV. Nulli prorsus ipsorum fratrum, sive parochus, sive superior sit, sub eisdem poenis liceat in dubitationibus, quae circa sponsalium et matrimoniorum validitatem et impedimenta emergunt, aliquid, inconsulto episcopo, eoque absente, ipsius vicario, statuere seu decernere, minusque populorum publica vota, processiones et similia approbare et confirmare, aut licentiam impartiri extra ecclesias ab ipso episcopo approbatas celebrandi.

V. Valeant praefati archiepiscopus et episcopus respective in praedictis omnibus, tam personas quam ecclesias, earumque sacraria et supellectilia sacra, libros parochiales, necnon bona tam mobilia quam immobilia quaecumque, etiam uti sacrae huius congregationis, quatenus opus sit, delegati, visitare, et opportunis iuris remediis providere ut ipsa cura laudabiliter exerceatur, eosdemque fratres et quemlibet alium ad onera missarum adimplenda, et testamenta, scripturas et quaecumque alia ad praedicta onera sive ad ecclesias et parochias spectantia proferendum et exhibendum compellere, detrectantes vero visitationem, aut praedictis obtemperare, canonicis poenis compescere.

VI. Teneantur fratres praedictis archiepiscopo et episcopo respective, necnon famulo, alterique sacerdoti eis beneviso, in eorum conventibus, ubi residere solent, sive in alio pro temporis opportunitate, congruam habitationem expensasque et victum subministrare.

VII. Liceat item praedicto archiepiscopo et episcopo in propriis dioecesibus unum ex supradictis fratribus eligere, quem magis idoneum in Domino iudicaverint, eidemque munus iniungere vicarii generalis.

VIII. Cum vero fratres ex proventibus, taxis et quaesitibus parochialibus maiori saltem ex parte vivant, et contingat aliquando archiepiscopos et episcopos pasto-

ralis muneris et tituli intuitu a Turcis vexari, eosdem fratres sacra congregatio paterne monet, et, quatenus opus sit, praecipit, ut praesules et pastorales[1] suos filiali amore et reverentiâ in casibus huiusmodi complectentes, omni prorsus studio et conatu eorum incolumitati et liberationi incumbant, et charitativum subsidium in eorum subventionem et redemptionem tribuant, ut unanimi animorum consensu, alter alterius portantes onera, dictae servitutis iugum facilius sustinere, nominisque christiani hostibus evangelicae charitati et patientiae exempla praebere queant.

Declarat demum sacra congregatio per praedicta nihil esse detractum aut remissum decretis aliàs in hac materiâ tam per ipsammet quam alias congregationes et Sedem Apostolicam latis, quorum observantiam districte praecipit, et praelibatis archiepiscopo et episcopo iniungit, ut, praeter poenas in praesenti decreto et in praedictis constitutionibus ac decretis adversus contravenientes latis[2], statim ipsam sacram congregationem edocere curent num fratres aut alios quicumque quicquam contra praefata moliri sive attentare praesumpserint, ut efficacioribus remediis renuentes compescere, necnon animarum curam aliorum administrationi demandare possint[3].

Cardinalis ANTONII, praefectus.

Confirmat decretum. § 2. Cum autem firmiora et stabiliora sint illa, quibus apostolicae confirmationis accedit praesidium: hinc est quod nos, praemissorum robori, efficaciae et inviolabili observantiae consulere cupientes, decretum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae appositae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictum decretum, omniaque et singula in eo contenta, ab illis, ad quos quoquo modo spectat et in futurum quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, indicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis ordinum, congregationum, societatum, institutorum, provinciarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, hospitiorum, ecclesiarum et locorum regularium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, men-

1 Videtur legendum *pastores* (R. T.).
2 Potius lege *latas* (R. T.).
3 Videtur legendum *possit* nempe *S. Congregatio* (R. T.).

tio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII novembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 novembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXXIII.

Praeceptum dominis cardinalibus protectoribus collegii Germanici et Hungarici de Urbe, ut congregentur in aulâ congregationis de Propagandâ Fide ad agendum de rebus ad idem collegium et ipsius alumnos spectantibus, cum interventu moderni et pro tempore existentis secretarii eiusdem congregationis de Propagandâ Fide, etc.[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§ 1. Ut collegii Germanici atque Hungarici de Urbe negocia maturiori consilio decernantur ac expediantur, et venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales dicti collegii apud nos et Sedem Apostolicam protectores, quibus eiusdem directioni praeesse incumbit, ea omnia, quae ad huiusmodi munus pertinent, coniunctim ac certo quodam ordine et methodo valeant expedire, indeque frequentius ad nostram et pro tempore existentium Romanorum Pontificum successorum nostrorum ea quae digniora emerserint notitiam deducantur, pro commissâ nobis divinitus pastoralis officii curâ providere volentes, necnon quarumvis litterarum apostolicarum, etiam in simili formâ Brevis, super memoratorum cardinalium protectorum deputatione, et facultatum illis seu uni eorum respective concessarum impartitione, cedularumque motus proprii super praemissis aut aliàs quomodolibet et quandocumque emanatarum tenores et datas etiam veriores, et alia quaecumque etiam specialem et individuam expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut in posterum praefati protectores pro prius, et magis praecise quam hactenus factum fuerit, utantur facultatibus ac iurisdictione ipsis concessis super regimine ac directione tam spirituali quam temporali eiusdem collegii, eâque de causâ statis diebus, ac quoties opus fuerit, simul congregentur in aulâ congregationis venerabilium pariter fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum ad agendum de rebus ad praefatum collegium et ipsius alumnos spectantibus, cum interventu dilecti filii moderni pro tempore existentis secretarii eiusdem congregationis de Propagandâ Fide, per quem ea omnia, quae decreta fuerint, de more expediantur; adeout decreta quaecumque, aut

Decernit prout in rubricâ.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

mandata, quae aliter quam ad praescriptam formam fient deinceps aut emanaverint, nullius prorsus roboris ac momenti existant.

Secretarii munus. § 2. Per eumdem vero secretarium inter acta praefatae congregationis de Propagandâ Fide inserantur atque asserventur, et, si quid dignum existimatum fuerit, ad nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem deferatur, sicuti de negotiis gravioribus memoratae congregationis fieri consuevit.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati, et alii quilibet, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, etiam specificâ et expressâ mentione dignae existant, in praemissis forsan interesse quoquo modo habentes aut habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi non fuerint, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae aut iustificatae et verificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam incogitato et incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et[1] functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et decretis quibuscumque tam circa facultatem uni dumtaxat ex praefatis protectoribus concessae[2] quam circa alia quaecumque, quae praesentibus litteris earumque observantiae quoquo modo adversentur, emanatis, necnon supradicti collegii erectione, ac etiam, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis ac pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clau-

1 Male edit. Main. legit *fungentes, eo* (R. T.).
2 Videtur legendum *concessam* (R. T.).

sulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, manu secretarii dictae congregationis seu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem congregationis seu alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII decembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 [1] decembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXIV.

Confirmatio concordiae super dissolutione unionis universitatum mercatorum fundacalium et de fundaco de Urbe [2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii homines universitatum mercatorum de fundaco et fundacalium seu merciariorum eisque respective annexorum de Urbe, quod universitas mercatorum de fundaco ex unâ et universitas fundacalium seu merciariorum eisque annexorum huiusmodi ex alterâ partibus, sive illarum respective deputati, unanimiter inter se convenerunt et concordarunt, ut unio inter easdem universitates aliàs stabilita, et per quasdam felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri litteras in simili formâ Brevis die XIV februarii MDCLI expeditas confirmata, per quam dictae universitates in unam redactae fuerunt, dissolvatur, revocatisque litteris praedictis, res in pristinum statum cum iuribus antiquis reducantur in omnibus et per omnia perinde ac si unio huiusmodi nunquam facta fuisset, cum diversis pactis, capitibus, conditionibus et aliis contentis in scripturâ desuper confectâ tenoris qui sequitur, videlicet:

1 Ad marg. edit. Main. habet 6 (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Tenor concordiae. Li mercanti di fondaco e li fondacali o merciari e loro annessi sono d'accordo che si tolga l'unione, e si revochi il Breve della felice memoria d'Innocenzo X che la confermò sotto la data XIV febraro MDCLI, riducendosi le cose all'essere di prima con le ragioni antiche in tutto e per tutto come se non mai fosse stata fatta, nè possa alcuna delle parti allegare pro nè contra cosa alcuna che si contenga nella medesima unione e capitoli allora concertati, e la chiesa di S. Sebastiano rimanga alli fondacali o merciari come prima.

Resti però ferma la tassa dell'estinzione del Monte del quattrino, la quale in avvenire si dovrà continuare a pagar continuamente, come si osserva al presente per la somma di scudi 451, come se unitamente fosse stata da principio imposta ad ambedue l'università de'mercanti di fondaco e fondacali o merciari, e l'altre università annesse alli merciari paghino le loro particolari tasse, come è solito.

Ogni anno al primo di novembre si dovranno eleggere due tassatori e un camerlengo o esattore d'essa tassa, la quale

elezione si faccia alternativamente, cioè un anno dalli mercanti di fondaco, e nell'altro dalli fondacali o merciari, cominciandosi dalli mercanti di fondaco, e così s'osservi per sempre, e della tassa che faranno li suddetti eletti non si possa richiamare in modo alcuno.

Quello o quelli che saranno eletti per tassatori o camarlengi non possano in modo veruno ricusare la curia sotto pena di scudi 25 da applicarsi alla chiesa di quell'università a cui sarà sottoposto il ricusante, e quando tutti rifiutassero, allora l'eminentissimo signor cardinale camerlengo o suo auditore possa e debba eleggere un ministro di dogana o altri fuori del corpo di esse università, a suo arbitrio e a loro rischio, pericolo e spese, con constituirgli salario da pagarsi prontamente dalle medesime università e loro persone particolari, al quale effetto possa usare la mano regia senza discussione di causa, nè si attenda alcun richiamo, appellazione o ricorso, dizione di nullità, restituzione in integro, nè qualunque altro remedio così ordinario come straordinario.

Si lascia ognuno nella sua libertà di matricolarsi nell'una o nell'altra università, onde, dopo che sarà spedito il Breve, dovrà ciascuno, ad instanza delle dette università o d'alcuna di esse, dichiarare negli atti del Lucarelli, notaro di camera, a quale università voglia essere sottoposto, e in quella prender la patente, la quale per questa volta si darà *gratis*, libera o immune d'ogni spesa a quelli che di già non avessero spedita la patente di quella università alla quale nuovamente vorranno essere aggregati, e debba stimarsi ciascun mercante di fondaco, o fondacale e merciaro, non secondo la qualità delle robe che venderà, ma secondo la patente che avrà spedita, e dove sarà stato ascritto in esecuzione delle presenti determinazioni, non ostante lo stato[1] de' mercanti al capitolo 173, e qualsisia altro che vi sia o potesse allegarsi in contrario.

L'una e l'altra parte renuncia a qualsivoglia lite mossa in qualunque tribunale dopo l'unione e per occasione d'essa, come anche alle sentenze riguardanti la medesima unione e cose contenute in essa, o se ne faccia nel nuovo Breve da spedirsi pienissima estinzione o suppressione, con la remissione e assoluzione da qualsivoglia spese, eccettuato però la sentenza data a favore de' mercanti di fondaco in esecuzione del privilegio concessogli da Urbano VIII sotto il XII gennaio MDCXLIII, *seu*, ecc., e l'altre promulgate prima dell'unione, le quali nelle cose non contrarie, nè pregiudiciali alle presenti dichiarazioni, restino illese, e nel loro vigore, rimanendo parimente salvo alli merciari e loro università il Motoproprio di Pio IV sopra le facoltà delli loro consoli e fede de' libri, e altro.

Nel Breve si dia facoltà a ciascuna università di constituirsi uno o più consoli e tutti gli altri officiali che stimaranno bisognarsi per il loro buon governo.

Per qualsivoglia cosa contenuta nelli presenti capitoli e Breve da spedirsi non si intenda fatto pregiudizio alcuno a qualsivoglis ragioni della reverenda camera, particolarmente quanto alla rescossione della suddetta tassa, ma possa sempre valersi di qualsivoglia modo che più gli piacerà per esigerla tanto dall'università quanto dalli particolari, nè l'esazione possa mai in qualunque modo essere ritardata, e possa farsi in *solidum* contro uno di ciascuna università, quali possano però rivalersi contro gli altri.

Ita sentio ego Petrus Franciscus de Rubeis, fisci et camerae apostolicae auditor.

Ita sentio ego Lazarus Odertus.

1 Videtur legendum *statuto* (R. T.).

Ita sentio ego Ferdinandus Ravilt, reverendae camerae apostolicae commissarius generalis.

Decretum praeinsertum confirmatur.

§ 2. Quare dicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut praemissa, pro inviolabili eorum observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communire, ac desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon praefatarum Innocentii praedecessoris litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, supplicationibus dictorum exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, easdemquo Innocentii praedecessoris litteras ex nunc revocantes et annullantes, concordiam inter praedictos exponentes, sicut praemittitur, initam, confectamque desuper scripturam praeinsertam, cum omnibus et singulis pactis conventionibus, capitulis et declarationibus, reservationibus, conditionibus et aliis in illâ quovis modo contentis et expressis (sine ullo tamen praeiudicio quorumcumque iurium camerae nostrae apostolicae quovis modo competentium et quandocumquo competiturorum, quibus per praesentes ac in eis contenta et inserta quaccumque nullatenus praeiudicari aut praeiudicatum esse vel unquam fore intendimus, idque serio protestamur, et hanc protestationem in principio, medio et fine, aliâve qualibet parte earumdem praesentium repetitam intelligi, nec eas, nisi protestatione huiusmodi salvâ, valere decernimus), apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea quascumque lites in quovis tribunali post unionem praefatam, et illius occasione motas, necnon sententias eamdem unionem et contenta in illâ concernentes, quas supprimi et extingui in praedictâ concordiâ conventum reperitur, illarum et cuiuslibet earum statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia etiam speciali expressione digna, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis habentes, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo supprimimus et extinguimus, sententiasque huiusmodi cassamus, irritamus et annullamus, ac viribus et effectu penitus vacuamus, necnon perpetuum utrique parti desuper silentium imponimus. Postremo cuilibet ex universitatibus praefatis, unum seu plures consules, aliosque officiales, quibus pro bono earum regimine opus esse existimaverint, sibi respective constituendi facultatem, dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis universitatibus plenissime suffragari, et ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, dictaeque camerae commissarium, et alios officiales et ministros iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis praedictarum universitatum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCLX, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 decembris 1660, pontif. anno VI.

CCCXXV.

Constitutio super numero vocalium pro comitiis generalibus Congregationis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Felici prosperoque regimini et gubernio Congregationis dilectorum filiorum clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ, salubriter quantum cum Domino possumus providere cupientes,

Numerantur quos in capitulo generali ius suffragii habere vult.

§ 1. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus et decernimus ut in capitulo generali eorumdem clericorum regularium Theatinorum ius suffragandi habeant infrascripti dumtaxat, et non alii, videlicet praepositi generales, tam pro tempore existentes quam officio functi, quatuor consultores et procurator generalis pro tempore ex provinciâ Galliae Cisalpinae, quae in primam et secundam visitationem dividitur, duo visitatores, tres praepositi, et tres vocales pro qualibet provinciâ, praepositi quatuor, et totidem vocales ex provinciâ Neapolitanâ, praepositi duo et vocales duo ex provinciâ Siciliae, dummodo ex hac eligantur duo visitatores, sicuti ex provinciâ Neapolitanâ, ex Hispaniâ unus, ex Galliâ Transalpinâ unus, et ex Romanis domibus unus.

Electionis faciendae modum assignat.

§ 2. Praepositorum quidem electio ad hunc plane modum fiat. Novembri mense praepositi ad unam e suae provinciae domibus a praeposito generali et consultoribus designandam se conferant. Constitutâ vero die, quae erit ultima eiusdem mensis, unâ omnes, dato signo, fusisque de more precibus, de singulis praepositis suae professionis ordine singula habeantur scrutinia. Scrutatores quae cuique contigerint suffragia numerent, atque in schedulâ distincte notent. Tum scrutiniis absolutis, illi censentur ad generale capitulum electi, in quos maiorem eligentium numerum consensisse scrutatores significaverint. Quorum paria fuerint suffragia, ex iis professione senior accedat. Si quempiam ex electis praepositis obire diem suum contigerit, ille subrogatus intelligatur, qui maiori suffragiorum numero proxime succedit in dictâ scrutatorum schedulâ, quae statim Romam transmittatur praeposito generali et consultoribus, eorumdem scrutatorum manu subscripta et obsignata, resignanda videlicet ab eodem praeposito generali et consultoribus, cum subrogatio postulaverit.

§ 3. Praepositi, si fuerint legitime im-

pediti, aliquem e suae domus vocalibus ablegare ad provincialia haec comitia possint. Qui vocalis, si fuerit electus, non ipse, sed praepositus electus censeatur. Quod si e praepositis aliquis neque alium miserit suo nomine, is passivo in eo conventu suffragio ne gaudeat. Electus vero ad comitia generalia mittere, si fuerit impeditus, e suis vocalibus quem libuerit possit. Qui conventum hunc praepositorum convocet, curetque, ut rite omnis peragantur, sit senior ex praepositis. Vocalium vero duplex fiat electio: prior in singulis domibus, uti moris est, ad instituti ac decretorum formam, intra Italiam quidem, die septembris primâ, extra Italiam vero, primâ iulii; posterior, septembri mense extra Italiam, novembri vero intra Italiam. Ex vocalibus electis, scilicet qui in priori domorum electione renunciati vocales fuerint, alterum deinde conventum, eâdem qua praepositi die, non eâdem domo, sed quam praepositus generalis et consultores destinaverint, celebrent, atque ad eumdem prorsus modum, eodemque suffragiorum ritu, quo peracta est praepositorum electio, fiat vocalium, qui adire generale capitulum debent, quemadmodum de praepositis significatum est.

§ 4. Caveant maxime electores in electione vocalium, ne quem eligant, tam in primâ quam in secundâ electione, qui a definitorio nondum fuerit ad sacras tum virorum tum mulierum confessiones audiendas admissus, neve in secundo conventu eos, qui primâ vice, ex constitutionum praescripto, ad utrumque suffragium admissi non fuerint, nisi a die admissionis ad passivam vocem per sex annos eorum virtus probata fuerit. Alioquin electio sit eo ipso nulla, absque aliâ declaratione. Si quis primae electionis vocalis adire ex causâ secunda comitia nequiverit, alter iuxta decreta Ordinis rite eligatur. Qui autem secundae electionis vocalis impeditus quavis ratione fuerit ne ad generale capitulum conveniat, illi nemo subrogetur. Porro in secundâ vocalium electione senior ex illis, ut de praepositis dictum est, patres rite cogat.

Suum peculiare conventum habeant praepositus S. Andreae Romae, electus eiusdem domus vocalis, et electus domus Quirinalis, qui, collatis inter se votis, unum ex se ipsis eligant.

Hispaniarum praepositi et electi vocales suum item constitutâ die conventum agant, et eodem modo unum ex se ipsis eligant.

Similiter praepositus et vocalis electus Parisiensis.

Ubi duo tantum fuerint, sive praepositi, sive vocales, ii suffragiis ne agant, sed sorte; quod si illorum alter alteri consenserint, illi capitulum generale adeundi ius esto. Si forte in aliquibus comitiis nemo eligatur, professione antiquiores electi censeantur. Nullus autem de cetero in visitatorem eligi possit, nisi, postquam creatus fuerit vocalis utriusque suffragii, septennium ad minus expleverit, totoque eo tempore prudentiâ et probatae vitae exemplo praestaverit.

§ 5. Sane in electione praepositi generalis, consultorum et procuratoris generalis, iuniores, ceteris paribus, senioribus ne praeferantur. Si aliqua oriatur difficultas aut dubitatio circa praedicta, praepositus generalis cum consultoribus eam declarent aut interpretentur, ut fit de constitutionibus.

§ 6. Postremo praecipimus et mandamus, ut hae ordinationes ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, et si quis eas impugnaverit, aut eis parere aliquâ ex parte detrectaverit, arbitrio praepositi generalis et consultorum graviter puniatur. Contravenientium poenae.

§ 7. Decernentes easdem praesentes lit- Decretum irritans.

teras semper firmas, validas et efficaces, existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. § 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis eiusque provinciarum et domorum regularium quarumlibet, et aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 9. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 ianuarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXVI.

Prohibitio missalis gallico idiomate impressi sub poenâ excommunicationis latae sententiae[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Ad aures nostras ingenti cum animi nostri moerore pervenit, quod in regno Galliae quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, et ecclesiasticas sanctiones ac praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut missale romanum, latino idiomate longo tot seculorum usu in Ecclesiâ probato conscriptum, ad gallicam vulgarem linguam convertere, sicque conversum typis evulgare et ad cuiusvis ordinis et sexus personas transmittere ausi fuerint, et ita sacrosancti ritus maiestatem latinis vocibus comprehensam deiicere et proterere, ac sacrorum mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Exordium.

§ 1. Nos, quibus, licet immeritis, vineae Domini Sabaoth a Christo Salvatore nostro plantatae, eiusque pretioso sanguine irrigatae, cura demandata est, ut spinarum huiusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque quantum in Deo possumus radices succidamus, quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiae decoris deformatricem, inobedientiae, temeritatis, audaciae, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facile productricem abhorremus et detestamur, Motiva.

§ 2. Ita missale praedictum gallico idiomate a quocumque conscriptum, vel in posterum aliàs quomodolibet conscribendum et evulgandum, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione Missale gallico idiomate impressum damnat.

1 Vide quartam regulam Indicis librorum prohibitorum, in qua prohibetur impressio librorum sacrorum vulgari linguâ.

nostris, perpetuo damnamus, reprobamus et interdicimus, ac pro damnato, reprobato et interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem et retentionem universis et singulis utriusque sexus christifidelibus, cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris et praeminentiae, licet de illis specialis et individua mentio habenda foret, existant, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso iure incurrendae, perpetuo prohibemus.

Supradictum igni comburi vult. § 3. Mandantes quod statim quicumque illud habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, realiter et cum effectu exhibeant et tradant locorum Ordinariis vel inquisitoribus, qui, nullâ interpositâ morâ, exemplaria igne comburant et comburi faciant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 12 ianuarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXVII.

Decernit et declarat rectoribus et administratoribus monasteriorum Carmelitanarum regni Franciae nullum ius, nequidem cumulative, visitandi eadem monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem et temporalem eorumdem ad eosdem spectare, decretumque et declarationem huiusmodi sub excommunicationis latae sententiae poenâ per omnes et singulas personas, quae ipsis quovis modo contravenerint ipso facto incurrendâ, inconcusse observari praecipit et mandat[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Decretum aliàs emanatum refertur. § 1. Aliàs emanarunt a nobis litterae in simili formâ Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: « *Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.* Ad pastorale fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam evecti, inter gravissimas, multiplicesque curas, quibus assidue premimur, eam peculiari studio amplectimur, ut felici sacrarum virginum et honestarum mulierum, quae, spretâ sęculi vanitate, Altissimi obsequiis sese sub suavi religionis iugo manciparunt, regimini et directioni opportunis rationibus consulere satagamus, prout maturâ consideratione praeviâ conspicimus in Domino salubriter expedire[1] ».

Decretum praeinsertum confirmat. § 2. Nunc autem, controversias super praedictorum monasteriorum monialium Carmelitanarum Excalceatarum in regno Franciae consistentium visitatione exortas, pro commissae nobis divinitus apostolicae dispensationis curâ, sopire cupientes, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, in quorum congregatione causa visitationis huiusmodi iterum examinata fuit, quippe[2] quicquam a partibus earumque procuratoribus et advocatis utrinque[3] deductum fuit audiverunt, consilio, inhaerentes priori memoratae congregationis decreto nostrisque litteris praeinsertis desuper emanatis, ac decretum et litteras huiusmodi harum serie confirmantes et approbantes, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, praedictis rectoribus et administratoribus supradictorum monasteriorum monialium nullum ius, ne quidem cumulative, visitandi eadem monasteria competere, sed solum administrationem spiritualem et temporalem ipsorum monasteriorum ad eosdem rectores

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Reliqua vide supra pag. 504 (R. T.).
2 Forsan *quique* pro *quippe* legendum (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *utrumque* pro *utrinque* (R. T.).

et administratores spectare, tenore praesentium decernimus pariter et declaramus, decretumque et declarationem huiusmodi sub excommunicationis latae sententiae poenâ per omnes et singulas personas quae illis quovis modo contravenerint ipso facto incurrendâ inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus.

Contravenientium poenae.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, neque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, sive intentionis nostrae aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quolibet iuris facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, Sedisque praedictae nuncios, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Ceterum volumus quoque ut ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 ianuarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXVIII.

Decernit, quod Breve Sanctitatis Suae, quo statuitur ecclesiasticos directos dominos bonorum stabilium livellariorum et emphyteuticorum in territorio civitatis Perusinae existentium, quae per lineam finitam devolvi contigerit, teneri de illis investire proximiores illius, per cuius obitum linea huiusmodi finita fuerit, perinde valeat, ac si narrata in illo plene verificata reperiuntur; dummodo tamen laici, qui petunt renovationem, non solum augeant canonem ad quinquagesimam et solvant laudemium iuxta dispositionem dicti Brevis, sed etiam intraturas ubi et prout in praeteritum solvi consuevit, et non aliàs.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs emanarunt a nobis ad favorem dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae Perusinae litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet:

Exordium.

Breve refertur.

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Perusinae, dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Constantis fidei et sincerae devotio-

nis affectus, quo nos et Romanam reveremini Ecclesiam, promeretur, ut illa vobis favorabiliter concedamus, quae vestris commodo et utilitatibus fore conspicimus opportuna.

Expositio. § 2. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, bona stabilia in territorio civitatis nostrae Perusinae existentia, pro maiori et meliori eorum parte livellaria et emphyteutica, ac de dominio directo ecclesiarum ac monasteriorum utriusque sexus existant, et bona emphyteutica et livellaria huiusmodi ex inveteratâ et immemorabili consuetudine prioribus eorum concessionibus finitis in emphyteusim seu livellum ab illorum dominis semper de novo concedi soleant; cumque, si ecclesiastici, finitâ lineâ ad quam bona praedicta concedi consueverunt, illa pro se retinere vellent, magnum exinde incolae civitatis et dioecesis Perusinae susciperent detrimentum, quinimo plerique ex iisdem incolis ad inopiam redigerentur:

Supplicatio. § 3. Nobis propterea humiliter supplicari fecistis ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, vestrumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus illi, ad quos spectabit, bona supradicta directi dominii ecclesiastici, quandocumque contigerit ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personae illi, per cuius decessum linea huiusmodi finietur, cum augumento tamen canonum, et solutis laudemiis solitis, necnon cum obligatione meliorandi eadem bona ecclesiastica, concedere, ipsosque proximiores de illis investire omnino debeant et teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus; sicque inviolabiliter observari et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, aliosque quoscumque quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

(Margin: Annuit petitis.; Confirmatio decreti.)

Inviolabiliter observari vult. § 3. Quocirca dilecto filio gubernatori dictae civitatis nostrae Perusinae nunc et pro tempore existenti per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte vestrâ seu alicuius vestrum fuerit requisitus, solemniter publicans, ac vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; non permittens et vos per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, impediri vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggra-

vando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Decreti Bonifacii VIII derogatio. § 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, abbatissarum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum quomodocumque nuncupatorum, ac qualitercumque qualificatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCLV, pontificatus nostri anno I.

G. Gualterius ».

Supplicatio. § 5. Cum autem, sicut praedicti communitas et homines nobis nuper exponi fecerunt, dilecti filii ecclesiastici dictae civitatis Perusinae praetendant narrata in praeinsertis litteris minime verificari, illasque proinde nullius valoris esse, nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut, ad tollendam omnem litem et controversiam quae praemissorum occasione oriri posset, opportune desuper providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit petitis. § 6. Nos igitur, dictos exponentes amplioris favore gratiae prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus praepositorum (in quorum congregatione instantia dictorum ecclesiasticorum pro revocatione praeinsertarum litterarum sub praetextu quod non verificarentur causae in earumdem narrativâ expressae et viceversâ instantia praedictorum exponentium pro sanatione, quatenus opus sit, huiusmodi defectus attentis aliis causis urgentibus in eâdem congregatione latius deductis, respective iussu nostro propositae fuerunt) consilio, easdem praeinsertas litteras valere, ac firmas, validas et efficaces existere et fore, plenamque roboris firmitatem et effectum sortiri et obtinere, necnon ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis narrata plene verificata reperirentur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, pariter decernimus et ordinamus; dummodo tamen laici, qui petunt renovationem, non solum augeant canonem ad quinquagesimam et solvant laudemium iuxta dispositionem dictarum litterarum, sed solvant etiam intraturas ubi et prout in praeteritum solvi consuevit, et non aliàs.

§ 7. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis litteris concessimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 ianuarii 1661, pontif. an. VI.

CCCXXIX.

Confirmatio et declaratio constitutionum apostolicarum de non contrahendo in favorem forensium super bonis in Statu Ecclesiastico consistentibus.

Alexander episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Ut eâ qua par est sollicitudine commisso nobis a divinâ maiestate subditorum Sanctae Sedis regimini respondere, ac vigili providentiâ eorum utilitati prospicere valeamus, ea, quae a Summis Pontificibus praedecessoribus nostris de non alienandis in forenses bonis stabilibus, tam iurisdictionalibus, quam iurisdictione carentibus, in nostrâ Ditione Ecclesiasticâ satis provide sancita fuere, pari constitutione duximus innovanda.

Decretum Sixti V. § 1. Siquidem recolendae memoriae Sixtus Papa V praedecessor noster, quo crebrius subditorum facultates augerentur, ac ne importuno in exteros transitu suorum diminutae substantiae in alienae messis cederent fecunditatem, prohibuit bona quaecumque stabilia seu immobilia sita in Statu Ecclesiastico, etiam oppida, iurisdictiones, feuda et similia, a quacumque personâ, in quovis Statu etiamsi imperiali, regali ac ducali constitutâ, ac etiam ecclesiasticâ dignitate et speciali mentione notandâ insignitâ, in quamlibet personam extraneam, communitatem, collegium ac universitatem, quae temporali Sedis Apostolicae dominio subiecta non esset, ullatenus transferri, tam titulo venditionis, quam permutationis, donationis ac locationis supra triennium, necnon in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi, apostolicâ prius non impetratâ facultate, sub poenâ nullitatis contractuum, aliorumque gestorum; excepit tamen ab huiusmodi prohibitoriâ constitutione census, officia, loca montium, mulierum dotes, ac ipsam almam Urbem unâ cum eius circuitu; simul filios vel haeredes praedictarum mulierum, soluto matrimonio, dummodo exteri fuerint, teneri vel infra triennium sibi in eodem statu domicilium eligere, vel dicta bona in alios praefato Statui subiectos transferre, civilitatibus, si quae fuerint, derogando, sancivit.

§ 2. Sed, ne hominum calliditas, ad subterfugia nimium studiose proclivis, praedictae Sixti constitutionis leges, nec quidem indirecte, posset eludere, felicis recordationis Clemens Papa VIII, dubia quae imposterum circa ipsam oriri possent explanaturus, eamdem constitutionem innovavit, ac decrevit nulli licere, praeterquam ecclesiasticis collegiis extra Ecclesiasticum Statum positis, nec quidem universitatibus, communitatibus, ac quibusvis exteris principibus, stabilia aliaque bona et iura quae pro stabilibus habentur (citra tamen loca montium et officia Romanae curiae), nedum in eiusmodi Ecclesiastici Status confinio, verum nec in ipsâmet Urbe existentia, possidere, etiam sub quovis titulo et contractu, praeterquam ex causâ dotis, necnon ex qualibet dispositione tam inter vivos quam ex testamentis, codicillis, legatis, donationibus causâ mortis, et aliis quibuslibet ultimis voluntatibus, sub poenâ amissionis bonorum, quae camera apostolica possit ipso iure ac propriâ auctoritate vindicare, ac penes se, donec vita taliter disponentium duraverit, retinere, ac insuper privationis officiorum contra ipsos tabelliones, qui de eiusmodi contractibus sese rogaverint. Decretum Clementis VIII

§ 3. Accessit itidem constitutio sanctae memoriae Pauli Papae V praedecessoris Pauli V constitutio.

nostri, qua, ut ea, quae in super enarratis constitutionibus Sixti V et Clementis VIII disposita legebantur, pontificiae auctoritatis oraculo fortius communiret, easque, quominus subverti possent, falsis interpretationibus subtraheret, ipsas declaravit, ac iussit facultatem praedictam alienandi in scriptis prius obtinendam esse, ac inde in ipso actu contrahendi exhibendam penes notarium, falsi poenam ac amissionis officiorum tabellionibus, privationis vero rei alienatae contrahentibus iniiciens.

Decretum Urbani VIII. § 4. Quoniam vero nonnullis artificiose praeinventis ad contractuum securitatem cautelis aditus patuerat alienandi etiam non impetratâ a Summo Pontifice congruâ facultate, felicis recordationis Urbanus Papa VIII pariter praedecessor noster, expositas superius litteras confirmavit, easque extendi ad bona in confinibus territorii baronalis existentia, ad castra demolita, tenutas et praedia, etiam non iurisdictionalia, censusque super huiusmodi bonis impositos, necnon ad ius praelationis illorum vigore resultans declaravit, terminumque trium mensium successive praefixit, intra quem unusquisque, qui nulliter contra praefatas constitutiones contraxerat, a gestis recederet, mandans insuper notariis omnibus, ut infra terminum supradictum in margine instrumenti abolitionem contractus adnotare tenerentur, eisdem poenis in supradictis constitutionibus comminatis eos, si non paruerint, subiiciens.

§ 5. Ut autem quaelibet dolosa conventio, quae sub palliato dotium constituendarum praetextu in praeiudicium Sanctae Sedis iniri posset, evitaretur, idem Urbanus VIII, recensitas litteras Sixti, Clementis et Pauli innovans et confirmans, easdem ad quoscumque contractus occasione quarumlibet dotium, etiam ratione educationis infantium, aliarumque miserabilium personarum per quascumque personas subditas seu forenses, ac de quibuslibet bonis, iurisdictionalibus nempe ac non iurisdictionalibus, stabilibus tamen, celebrandos extendit absque suâ et Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ, poenamque adiecit privationis eorumdem bonorum ad favorem camerae vel alterius inferioris ecclesiae, a qua contrahentes illa recognoscerent, omnesque facultates alienandi in non subditos, acquirendi, ac domicilii non constituendi in Statu Ecclesiastico illuc usque contra praefatas constitutiones concessas revocavit.

Decretum Innocentii X. § 6. Et cum, quo ferventius dictorum praedecessorum curae novis ac iteratis constitutionibus inconcusse studeret[1] observantiae, eo callidior nonnullorum versutia, germanum earumdem intellectum invertendo, suscitaret inventa, quibus sese tuto reciperent ac quomodolibet cum forensibus ac exteris impune contraherent, speciosâ palliatione beneplacitum apostolicum reservando, seu apponendo clausulas *quatenus non obstent apostolicae constitutiones, ac ex nunc prout ex tunc quando cessaverint earum obstacula, et non aliàs, aliter, nec alio modo*, et alias formulas et clausulas adhibendo, quibus eorum consensus conditionaliter tantum exhiberetur, recolendae memoriae Innocentius Papa X praedecessor noster, approbatis et innovatis dictorum praedecessorum constitutionibus, eas pariter ad contractus initos cum reservatione beneplaciti apostolici, ac cum clausulis *quatenus non obstent*, etc., aliisque similibus, conditionalem consensum quomodolibet inducentibus, ac iurium cessiones super stabilibus extendit, necnon etiam ad contractus celebratos cum relatione ad mi-

1 Vel legendum *studerent*, vel paulo antea *cura* pro *curae* legendum; aut aliquid aliud deesse videri potest (R. T.).

nutas et scripturas penes contrahentes existentes, et per procuratorem aut negotiorum gestorem vigore mandati generalis, etiam cum decreto iudicis vel per aliam quantumvis privilegiatam personam cuiuscumque dignitatis ac speciali notâ recensendam, vel denique quovis iuridicarum solemnitatum apparatu praemunitos[1]; cunctosque ita contrahentes poenis in supradictis constitutionibus inflictis mulctandos decrevit, licentiamque in scriptis super huiusmodi contractibus implorandam a Romano Pontifice, ac in eâdem serie contractus explicandam esse declaravit, derogans cuicumque civilitati seu privilegio, indulto aut decreto civilitatis, quolibet titulo etiam oneroso ac sub quavis amplissimâ verborum structurâ concessae; subdens praeterea simplicem domicilii electionem apud acta publica nequaquam suffragari, sed opus esse, ut privilegio incolatus quoad praemissa quis uti possit, vere et realiter domicilium in Statu vel Urbe praedictis in perpetuum et animo permanendi constituere. Et, cum praeiudicium Sanctae Sedis aeque immineret si bona prope Urbem consita dictis constitutionibus supposita nullatenus remaneant, idcirco sub eisdem quaecumque casalia, tenutas et pedicas, sive iurisdictionalia, sive non, ultra quatuor ab eâdem Urbe milliaria comprehendi mandavit. Insuper, ut eo magis dictarum constitutionum observantia firmata remaneat, ultra eas per dictos praedecessores comminatas, addidit poenas confiscationis bonorum praedictorum, vel eorum pretii, sive solutum fuerit, sive promissum et destinatum, et interim ad cambium vel sub alio interusurio penes contrahentes vel alios relictum, si absque praedictâ praecedente licentiâ in favorem forensis quoquo modo illorum dominus absolutus fuerit. Sin vero huiusmodi bona fideicommisso vel primogeniturae aliive restitutioni supposita fuerit, tunc durante vitâ tantum contrahentis ad cameram vel ecclesiam, a qua praedicta bona recognoscerentur, spectare decrevit, sive contractus a tutore vel alio quolibet administratore celebratus fuerit, poenasque ad arbitrium sui vel pro tempore existentis Pontificis[1] eos, qui taliter nomine alieno contraxerint vel consensum qualitercumque praestiterint, constituendas reservavit, revocans quascumque licentias contrahendi in favorem forensium absque Romani Pontificis facultate usque illuc quomodolibet concessas.

Contravenientium poenae.

§ 7. Successive autem cunctis, qui contra tenorem dictarum constitutionum de facto contraxisse reperiantur, terminum trium mensium, citra tamen praeiudicium camerae quoad poenas vigore earum incursas[2] praefixit, quo temporis spatio unicuique liceret quod taliter gesserit retractare, ac in pristino statu, quo ante conventionem erant, singula reponere, eoque elapso, ac contractibus huiusmodi non abolitis, ad cameram bona praedicta pertineant, iniungens simul notariis quibuslibet, ut instrumenta omnia super praemissis per eos confecta exhibere, ac revocationem gestorum omnium in eorumdem margine designare teneantur, loca autem montium et officia Romanae curiae, uti nec suorum praedecessorum subiecta remansere constitutionibus, ita pariter ab eisdem exempta fore, nec comprehensa censeri confirmavit.

Motiva huius novae Constitutionis.

§ 8. Verum, quia ad nostram notitiam devenit complures forenses, praemissis nullatenus attentis, bona tam feudalia quam allodialia, cum iurisdictione et sine, in nostro Statu Ecclesiastico sita nihilominus possidere, eosque forsan a tenore supra-

1 Vide Constit. CXXXIII Innocentii X relata in tom. XV, pag. 649, et speciatim § 9 pag. 653 (R. T.)

1 Deest praepositio *in* vel *contra* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *incussas* (R. T.).

dictarum constitutionum recedendo contraxisse: nos, cuncta, quae a praefatis praedecessoribus nostris, ut subditorum utilitati ac nostri Status uberiori incremento consulerent, salubriter sancita fuere, pristinae restituere observantiae, eisque firmiora fulcimenta parare, eaque omnia et singula, quae praedictis ullatenus valeant adversari, etiamsi de necessitate exprimenda forent, e medio tollere cupientes, praedictarum constitutionum ac omnium contrariorum quoquo modo directe vel indirecte adversantium et aliorum quorumcumque de iure exprimendorum tenores ac series, ac si de verbo ad verbum inserti fuissent, pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes,

Decreta supradictorum Pontificum confirmat.

§ 9. Motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, Sixti V, Clementis VIII, Pauli V, Urbani VIII ac Innocentii X praedecessorum constitutiones, ac omnia et singula in eis et earum qualibet contenta et expressa, etiam forsan desuper non enunciata, confirmamus et approbamus, ac inviolabiliter in omnibus et per omnia observari decernimus et mandamus.

Licentias et facultates concessas revocat.

§ 10. Atque, ut singula in eisdem constitutionibus expressa plenius executioni demandentur, hac in parte etiam eorumdem praedecessorum vestigiis inhaerentes, omnes et singulas facultates, licentias ac indulta quaecumque super quibusvis bonis stabilibus, tenutis, tenimentis ac locis, tam iurisdictionalibus quam iurisdictione carentibus, sive sint feudalia, emphyteutica et livellaria, sive allodialia, in quocumque loco Status nostri Ecclesiastici consistentia, contrahendi, necnon illa etiam retinendi et non habitandi in Urbe seu nostro Statu Ecclesiastico, a praedecessoribus nostris vel a nobis in favorem forensium cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis ac praeeminentiae, tam laicalis quam ecclesiasticae, etiam motu proprio et sub quibusvis clausulis et cautelis, derogatoriis et revalidatoriis, necnon reintegratoriis in pristinum statum validum, quomodolibet concessa et impartita, penitus et omnino revocamus, annullamus et abolemus, ac pro revocatis, annullatis et abolitis haberi volumus et mandamus.

§ 11. Ceterum, quoad eos qui hactenus contraxerunt et bona praedicta retinuerunt et possident vigore licentiae a praedecessoribus nostris vel a nobis obtentae opportuno curantes occurrere consilio, unumquemque ad illam re ipsâ exhibendam in actis dilecti filii Francisci Lucarelli notarii camerae nostrae infra tres menses a die publicationis praesentis nostrae constitutionis in hac Urbe faciendae adstringimus et obligamus, necnon infra eumdem terminum ad Urbem ac nostrum Statum respective venire, ibique vere ac cum effectu domicilium animo ac proposito non recedendi amplius, perpetuoque cum familiâ manendi realiter constituere, prout etiam in eisdem dictorum nostrorum praedecessorum constitutionibus praecipitur, sub poenis in illis respective contentis, volumus et mandamus.

§ 12. Decernentes sic et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii nostri et camerae apostolicae auditores ac gubernatores, illorumque locumtenentes, necnon camerarium nostrum, aliosque S. R. E. cardinales, etiam de latere Sedis Apostolicae legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes et iurisdictione pollentes, etiam cameram ipsam et clericos ubique et in quavis instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans.

Decretum hoc sub poenis observari mandat. § 13. Iniungentes et mandantes eisdem legatis, gubernatoribus et iudicibus in toto Statu nostro Ecclesiastico nunc et pro tempore existentibus, et eorum cuilibet, ut confirmationem, revocationem et obligationem nostras huiusmodi, aliaque in praesentibus litteris contenta, ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, etiam per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, firmiter et inviolabiliter observari faciant.

§ 14. Non obstantibus omnibus quae praedicti Sixtus, Clemens, Paulus, Urbanus et Innocentius praedecessores in dictis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 15. Volumus autem quod praesentes, postquam valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe necnon in acie Campi Florae affixae et publicatae fuerint, quoscumque tam in Romanâ curiâ et Statu praedicto quam extra eos existentes perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatae fuissent, cum verisimile non sit id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Transumptorum fides. § 16. Volumus insuper quod earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. § 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, mandati, revocationis, annullationis, abolitionis, adstrictionis, obligationis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXI, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 ianuarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXX.

Declaratio statuti civitatis Bononiensis excludentis feminas propter masculos a successione [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Constantis fidei et sincerae devotionis affectus, quem dilecti filii quadraginta viri regiminis Bononiensis erga nos et Romanam gerere comprobantur Ecclesiam, promeretur ut eos specialis favore gratiae libenter prosequamur. Prooemium.

§ 1. Cum itaque pro parte praedictorum quadraginta virorum nobis humiliter supplicatum fuerit ut dignaremur declarare statutum dictae civitatis, excludens feminas propter masculos in successionibus ab intestato, comprehendere etiam feminas, quae de tempore delatae successionis reperirentur in statu religioso, vel aliàs exemptae a iurisdictione laicali: hinc est quod nos, supplicationibus huiusmodi inclinati, ac eorumdem quadraginta virorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de congregationis super huiusmodi negotio a nobis specialiter deputatae, quae idem negotium mature discussit, consilio, auctoritate apostolicâ, Supplicatio.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Declarat ut in rubrica. tenore praesentium, decernimus et declaramus, quod, pro haereditatibus et successionibus iam delatis usque in praesentem diem, neque feminae regulares, neque ex earum personis monasteria, conventus, ac domus religiosae cuiusvis Ordinis vel instituti, in quibus ipsae feminae hactenus receptae fuerint et professionem emiserint, sub praetextu invaliditatis dicti statuti, vel non comprehensionis in eo dictarum feminarum regularium, consanguineos et attinentes, ad quos vigore dicti statuti per longissimum tempus absque controversiâ ut praefertur observati[1], bona, quae aliàs ad ipsas regulares spectassent, devenerunt, vel eorum haeredes et successores aliquo modo super ipsis bonis molestare, perturbare vel quomodolibet inquietare, seu etiam contra eos viâ iuris agere valeant in futurum.

§ 2. Decernentes pariter nullum ius nullamque actionem eis competere super bonis praefatis, sine tamen praeiudicio iuris quod ex causâ successionum et haereditatum in praeteritum et usque in praesentem diem ab eisdem feminis regularibus monasteriis aliisque locis religiosis agnitarum competere posset.

§ 3. Ceterum non intendimus aliquid pro nunc declarare circa validitatem vel invaliditatem praedicti statuti quoad haereditates et successiones, tam devolvendas in futurum, quam hactenus delatas, non non tamen agnitas, ut supra.

Clausulae. § 4. Decernentes etiam easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon quorumvis ordinum, congregationum, institutorum, monasteriorum, conventuum et locorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX ianuarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 29 ianuarii 1661, pontif. anno VI.

[1] Male edit. Main. legit *observari* pro *observati* (R. T.).

CCCXXXI.

Confirmatio, declaratio et extensio constitutionis Pii V de non alienandis et infeudandis civitatibus et aliis locis Sedis Apostolicae.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Inter ceteras animi sollicitudines, quibus in administratione pastoralis officii nobis divinâ providentiâ commissi assidue premimur, ea vehementer urget, quae Sedis Apostolicae dignitatem eiusque Status etiam temporalis conservationem concernit. Hac ideo ratione, licet plurium summorum Pontificum praedecessorum nostrorum decreta et litterae provide ac sancte conditae fuerint, praesertim recolendae memoriae Pii V, sub dato IV kalendas aprilis anno MDLXVII, eius pontificatus II, tenoris subsequentis, videlicet:

Pii V ac Innocentii decreta. « Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti curae regiminis, etc.[1] », quae ab eius etiam successoribus Romanis Pontificibus fuerunt approbatae et confirmatae, ac praesertim ab Innocentio IX felicis recordationis, eam declaratione seu extensione in eius litteris pridie nonas novembris MDXCV, pontificatus anno I, insertâ, sequentis tenoris, videlicet: « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quae ab hac Sanctâ Sede, cui, licet indigni, auctore Domino praesidemus, pio ac saluibriter sancita et ordinata noscuntur, ea, ut perpetuo firma illibataque permaneant, non solum consensus, approbationis et innovationis nostrae munimine roboranda, sed etiam declarationis praesidio, quatenus expedire visum sit, fulcienda censemus; et praecipue muneris nostri » etc[1].

Supradicta decreta confirmat. § 1. Nihilominus, quia nonnullae pro varietate casuum contingentium successivis temporibus excitatae fuerunt dubitationes, ac impropriae forsan subsequutae interpretationes, propterea, ut hae quoque cessent ac removeantur, congruum fore duximus easdem litteras in praesentiâ comprobare, innovare et confirmare, ac verum illarum sensum exponere, et, quatenus opus sit, de novo decernere. Hac igitur nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, motu proprio, non ad alicuius supplicationem vel super hoc oblatae nobis petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione et certâ scientiâ nostrâ, easdem praedecessorum, et specialiter praeinsertas Pii V et Innocentii IX, ac omnia in eis contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, comprobamus, confirmamus et innovamus, easque inconcussae ac[2] validissimae firmitatis robur, plenamque exequutionem et effectum perpetuis etiam futuris temporibus obtinere et ab omnibus inviolabiliter observari decernimus, praecipimus et mandamus. Praeterea, ne imposterum germanus earumdem litterarum sensus in dubium revocari et a conditoris mente recidi contingat, motu, scientiâ ac deliberatione paribus, et de potestatis apostolicae plenitudine, habitâ super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus consultatione maturâ, et singulorum auditis sententiis in nostro consistorio secreto, ac etiam extra oretenus et in scriptis, de eorum consilio et assensu declaramus praefatas Pii V litteras comprehendere non solum principatus, ducatus, civitates, castra, oppida, terras, arces,

1 Reliqua omittuntur, quia sunt per extensum in suo ordine, tom. VII, pag. 560.

1 Reliqua omittuntur quia etiam sunt per extensum in ipsius Innocentii IX pontificatu, Const. I, tom. IX, pag. 505.

2 Male edit. Main. legit *inconcusse ad* (R. T.).

dominia et loca iurisdictionales et iurisdictionalia S. R. E. ac Sedis Apostolicae in feudum, vicariatum vel alium titulum tunc concessas et concessa, ac etiam aliàs aliquando et pluries concedi solitas et solita, quocumque tempore ad cameram apostolicam devoluta; verum illas quoque et illa, quae nunquam antea in feudum vel alio titulo concessa, sed per cameram et Sedem Apostolicam immediate possessa fuerunt, vel tunc possidebantur, prout etiam felicis recordationis Clemens VIII praedecessor noster suo consistoriali decreto die XXVI iunii anno MDXCII, pontificatus illius I, declaravit, cuius sequitur tenor:

Decretum Clementis VIII.

« Clemens VIII [1], sanctissimus dominus noster, dixit (post editam per sanctae recordationis Pium Papam V, Sanctitatis Suae praedecessorem, de fratrum consilio constitutionem de non alienandis civitatibus, terris, oppidis et locis, sibi et Apostolicae Sedi in temporalibus mediate et immediate subiectis, etiam ad illud usque tempus in feudum atque quemvis alienationis titulum dari solitis, ad Sedem praedictam quomodolibet devolutis et pro tempore devolvendis, gravissimis impositis poenis contra personas tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de huiusmodi civitatum, terrarum, oppidorum et locorum infeudationibus, etiam sub praetextu necessitatis et evidentis utilitatis, sive illas insinuantes et suadentes, prout in ipsâ constitutione sub datum IV kalendas aprilis [2] anno secundo editâ, saepius postmodum per praedecessores suos ac novissime per Sanctitatem Suam comprobatâ, latius continetur) piae memoriae Gregorium IV itidem praedecessorem suum in consistorio secreto Romae apud S. Marcum de Venetis [1] XIII septembris MDXCI habito, sententiis tamen S. R. E. cardinalium, qui tunc aderant, ac de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minime requisitis, quinimo multis eorum expresse contradicentibus, declarasse et decrevisse Pii praedecessoris constitutione praedictâ non prohiberi feudum nondum devolutum, quando necessitas aut evidens et vera Ecclesiae utilitas postulaverit, iterum infeudari; nec iuramentum in eâ praestitum similem casum comprehendere, ac neminem licite iurare posse, quod contra necessitatem aut evidentem utilitatem Ecclesiae sit, sicque praedictam constitutionem intelligendam iudicasse ac definivisse, itaut nemini postea de eâ aliter, quam tunc ab ipso declaratum fuit, loqui et scribere liceret, prout in eisdem decreto et declaratione plenius continetur. Verum, quia re ipsâ compertum est quod fere omnes alienationes terrarum, civitatum, oppidorum et locorum huiusmodi hactenus factae, ex quibus magna laesio et imminutio patrimonii ac existimationis S. R. E sequuta est, etiam sub praetextu et colore verae et et evidentis necessitatis vel nullitatis praedecessoribus Sanctitatis Suae insinuatae fuerunt (cum tamen vix ulla necessitas excogitari possit cui [2] ex aliis bonis aut redditibus et proventibus quam constitutione praedictâ alienari prohibitis subveniri nequeat; vix etiam ulla dari possit utilitas, cui non praeponderet recuperatio et realis reintegratio in patrimonium sanctae Romanae Ecclesiae earumdem civitatum et locorum huiusque alienatorum), cumque huiusmodi casus abso-

[1] Etiam haec Clementis VIII Constitutio habetur iam in *Bullario*, tom. IX, pag. 521, adiecta Constitutioni sub datâ XIV februarii extra locum inserta; attamen eam iterum referimus quia ibi forsan aliqua menda irrepserunt ex Mainardi editione (R. T.).

[2] Desunt verba *pontificatus sui* ut in loco parallelo (R. T.).

[1] In loco parallelo legitur *die Veneris* (R. T.).

[2] Perperam ed. Main. legit *cum* pro *cui* (R. T.).

lutae necessitatis, aut verae et[1] evidentis utilitatis, facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum prorogationum et aliarum concessionum quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix uoquam contingere possint, apertam relinquere; cumque lucrum in tempore negligere, maximum quandoque sit Ecclesiae lucrum, utilius esse radices omnes, ex quibus huiusmodi alienationes provenire valeant, penitus evellere, quam, ex eo quod aliquando possit earum aliqua utilis esse, occasiooem proebere, ut multae praeiudiciales et damnosae fiaot; cui absurdo atque iocommodo ipsum Pium praedecessorem praefatum dictâ coostitutiooe[2] noo immerito occurrere voluisse, qui longe plures et graviores iacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse censuit, quam utilitatem ex paucissimis, si quae uoquam contingerent fructuosae: proinde Sanctitas Sua, habitâ super hoc cum venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus deliberatiooe maturâ, et singulorum auditis sententiis, de eorum consilio et unanimi assensu, decretum et declarationem superius memoratam felicis recordationis Gregorii XIV tamquam destruens praedicti Pii constitutionem, alienandique occasiooem praebens, ac minime necessariom, et desuper forsan confectas litteras (quarum omnium tenores haberi voluit pro expressis ac de verbo ad verbum insertis) ouctoritate apostolicâ revocavit, abrogavit, cassavit et annullavit, perinde ac si nunquam emanassent; declarans dictâ constitutione prohiberi civitatum, terrarum, oppidorum, feudorum

Gregorii XIV decretum abrogat.

1 Male edit. Main. legit *aut* pro *et* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *dictam constitutionem* (R. T.).

et locorum in eâ contentorum, tam quae nunquam antea in feudum concessa, quam quae aliàs saepius etiam alienata vel infeudota, ac postmodum devoluta, out etiom nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, et prorogationes et extensiones investiturarum, feudorum et concessionum, etiam ex causâ necessitatis aut evidentis et verae utilitatis factas et faciendas; iuramentum quoque super eiusdem constitutionis observatione, per Sanctitatem Suam et successores suos ac S. R. E. cardinales praestitum et praestandum, casum hunc necessitatis etiam absolutae et evidentis et verae utilitatis omoino comprehendere, nec propterea aliquid illicitum iurare, ant qnod contra necessitatem vel utilitatem Ecclesioe sit, sed quod rationi consonnm, atque e re illius est, ac summopere conducit, pront eâdem auctoritate declaravit, statuit et decrevit cum clausulis et derogatiooibus opportunis. Actum Romae, in monte Quirinali, die XXVI iunii[1] MDXCII, in consistorio secreto »;

Sequitur Constitutio Alexandri VII.

Poriterque declaramus sub eâdem constitutione comprebendi principatus, ducatus, civitates, castra, oppida, terras, arces, dominia et loca, iurisdictionales et iurisdictionalia, non tantum ad S. R. E. et Sedem et cameram apostolicam eo tempore devoluta, aut alio quocumque titulo quomodolibet acquisita, sed quae post eam usque in praesentiâ, et in futurum successivis temporibus in perpetuum, sive devolutionis, sive alio quovis titulo, quomodolibet acquisita fuerunt et acquirentur, salvis tamen constitutionibus, pro bonis confiscotis, a[2] felicis recordationis Gregorio XIII, V idus iulii, anno MDLXXX, eius pontificatus IX, et Sixti V, kalendis iulii, anoo MDLXXXV, eius pon-

Salvis decretis Gregorii XIII et Sixti V.

1 In loco parallelo legitur datum *26 iulii* (R. T.).

2 Aptius lege *felicis recordationis Gregorii* deletâ praeposit. *a* (R. T.).

tificatus I, quibus cautum fuit ducatus, dominia, vicariatus, gubernia, feuda, aliaque bona ad predictam Sedem et cameram apostolicam ratione delictorum et confiscationum in casibus in eis statutis delata, sub eâdem Pii V constitutione super huiusmodi dominiis et iurisdictionibus in feudum aut aliàs non concedendis nec alienandis editâ minime comprehendi: declarantes tamen illas intelligendas esse, prout intelligi decernimus et mandamus, ut principatus, ducatus, civitates, castra, oppida, terrae, arces, loca, dominia, vicariatus, gubernia, feuda et loca iurisdictionalia in illis comprehensa, et ex earum dispositione confiscata et confiscanda, non subiaceant neque subiacere debeant praefatis litteris Pii V pro eo tempore solum, quo delinquens seu delinquentes vixerint, et investiturae, si quae antea concessae fuerunt, durabunt ac personae seu lineae in illis comprehensae supererunt, et salvis etiam pactis in ipsis investituris contentis. Insuper eisdem motu, scientiâ, deliberatione, ac potestate declaramus dispositionem praefati recolendae memoriae Clementis VIII in eiusdem litteris VII kalendas iulii, anno MDXCVI, eius pontificatus V, in quibus decrevit civitates, terras, castra et loca iurisdictionalia per cameram apostolicam in vim eiusdem constitutionis emenda et acquirenda in dictâ praecedenti constitutione Pii V per triennium a die illarum venditionis computandum minime comprehendi debere, ita intelligendum esse, ut statim, finito dicto triennio, quatenus eo durante non fuerit deventum ad illorum veram, propriam et effectualem alienationem, civitates, castra, terrae et loca praedicta ipso iure et facto censeantur unita et incorporata eidem Sedi et camerae apostolicae, atque subiecta et comprehensa in praefatis Pii V litteris, etiam nullâ aliâ factâ declaratione, acceptatione, seu decreto, ita ut dictus terminus trium annorum nullo pacto suspendi, prorogari, vel aliter impediri aut retardari possit cursus illius, neque incorporatio, comprehensio et subiectio praedicta; et ita servandum esse decernimus et mandamus.

Decretum hoc servare iuramento unà cum cardinalibus promittit.

§ 3. Postremo statuimus, ut, sicut nos praeinsertas Pii V ac Innocentii IX et Clementis VIII litteras seu decretum sub die XXVI iunii MDXCII, et omnes et singulas constitutiones et decreta, tam eiusdem Clementis quam aliorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quibus civitates, castra, oppida et alia loca et bona huiusmodi iurisdictionalia Sedi et camerae apostolicae quocumque tempore unita et incorporata, ac praedictis litteris Pii V subiecta fuerunt, et specialiter decretum a nobis die XX decembris proxime praeteriti in nostro consistorio secreto, assentientibus pariter et approbantibus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus factum super incorporatione ac subiectione ducatus, castri et oppidorum Roncionis, Valerani, ac aliorum omnium locorum et bonorum iurisdictionalium, quae a recolendae memoriae Innocentio X praedecessore nostro sibi et eidem camerae apostolicae acquisita fuerunt ex instrumentis respective rogatis per acta Bartholomaei Brunori die VII octobris MDCXLIX, et Francisci Lucarelli camerae apostolicae ac Caroli Viperae capituli notariorum die XIX decembris eiusdem anni, ac praesentem nostram constitutionem inviolate servaturos promittimus, et sancte et solemni more iuramus, et cardinales omnes et singuli praesentes in eodem consistorio nostro, hodiernâ die, ut moris est, habito, pariter iurerando promiserunt, iuxta formam ac tenorem iuramenti pro observatione praefatae Pii V per eos antea praestiti, ita et absentes a consistorio, in eorum habitationibus, et a curiâ, quandocumque ad eam se contulerint, ac futuri pro tempore

cardinales, in sumptione pilei et deinde in conclavi, ac etiam post assumptionem ad Pontificatum, in manibus cardinalis vicecancellarii pariformiter promittere et iurare debeant easdem omnes et singulas constitutiones et hanc nostram, quantum in eis erit, observare, illisque non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, et absolutionem a iuramento praestito non petere, nec oblatam aut concessam acceptare; ac iusiurandum huiusmodi in formulâ iuramenti per eosdem cardinales praestari soliti adiungi et inseri debere; ac contrafacientes poenam periurii ac perpetuae infamiae iuris et facti eo ipso incurrere decernimus; praeterea, quod ipsi cardinales, occurrente Apostolicae Sedis vacatione, in conclavi, quando de observandis litteris recolendae memoriae Iulii Papae II praedecessoris nostri super electione Romani Pontificis et aliis constitutionibus iuramentum praestare solent, etiam de inviolabiliter observandis praedictis ac praesenti constitutione nostrâ per quemlibet eorum qui in Romanum Pontificem electus fuerit, et postmodum idem ad summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem, hoc ipsum ad maiorem cautelam promittere et iurare, et deinde, post coronationem suam, promissionem et iuramentum huiusmodi per litteras suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud a Pontifice (quod credendum non est) recusabit, aut differetur, tunc dicti cardinales in primo consistorio secreto et praecipue eorum decanus et capita ordinum apud eum, omni cum instantiâ, et instantissime pro praesentium observatione petere et rogare, ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat diligentissime curare studeant, statuimus et ordinamus.

Contravenientium poenae.

Clausulas appouit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis et faciendis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, et de novo concessas esse et censeri debere, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam camerae praefatae praesidentes clericos, causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Ac praesentes nostras litteras in libello, in quo ipsa constitutio Pii praedecessoris continetur, ac in libro *quinterno* appellato cancellariae apostolicae describi mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, et aliis quae idem Pius praedecessor voluit non obstare, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, decreti, promissionis, ac iuramenti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXI [1],

[1] Male, ut patet, edit. Main. legit *1669* (R. T.).

kalendis februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 februarii 1661, pontif. anno VI.

✠ EGO ALEXANDER

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

promitto, voveo et iuro.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.

†

† Ego Franciscus episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, vicecancellarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego Bernardinus episcopus Praenestinus cardinalis Spada promitto, voveo et iuro.

† Ego episcopus Sabinensis cardinalis Sacchettus promitto, voveo et iuro.

† Ego Martius episcopus Albanensis cardinalis Ginettus promitto, voveo et iuro.

† Ego Antonius episcopus Tusculanus, cardinalis Barberinus, camerarius, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Hieronymus tituli S. Laurentii in Lucina cardinalis Columna promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Mariae Transtyberim cardinalis Pollottus promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Uldericus tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Carpineus promitto, voveo et iuro.

† Ego M. Antonius tituli S. Mariae de Pace cardinalis Franciottus promitto, voveo et iuro.

† Ego Stephanus tituli S. Laurentii in Pane et Pernâ cardinalis Duratius promitto, voveo et iuro.

†

† Ego F. Vincentius Maculanus tituli S. Clementis cardinalis S. Clementis promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Hieronymus tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio cardinalis Grimaldus promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Angelus tituli Ss. Quirici et Iulitae cardinalis Giorius promitto, voveo et iuro.

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Ludovisius, maior poenitentiarius, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Fredericus tituli S. Anastasiae cardinalis Sfortia promitto, voveo et iuro.

† Ego Benedictus tituli S. Onufrii cardinalis Odeschalcus promitto, voveo et iuro.

† Ego Camillus tituli S. Petri in Monte Aureo cardinalis Astallius promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Aloysius tituli S. Alexii cardinalis Homodeus promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Iacobus tituli S. Mariae Transpontinae cardinalis Corradus promitto, voveo et iuro.

† Ego Laurentius tituli S. Chrisogoni cardinalis Imperialis promitto, voveo et iuro.

† Ego Gibertus tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Borromeus promitto, voveo et iuro.

† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio cardinalis Santacrucius promitto, voveo et iuro.

† Ego Baccius tituli Ss. Nerei et Achillei cardinalis Aldobrandinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista Spada tituli sancti Marcelli cardinalis S. Susannae promitto, voveo et iuro.

† Ego Franciscus tituli S. Mariae in Via cardinalis Albicius promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Octavius tituli S. Caeciliae cardinalis de Aquaviva promitto, voveo et iuro.

† Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo cardinalis Chisius promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Iulius tituli S. Sixti cardinalis Ruspigliosus promitto, voveo et iuro.

† Ego Nicolaus S. Eusebii cardinalis a Balneo promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Paulutius promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Sfortia tituli S. Salvatoris in Laureo cardinalis Pallavicinus promitto, voveo et iuro.

†

†

†

†

†

†

† Ego Virginius S. Mariae in Viâ lata diaconus cardinalis Ursinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Rainaldus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis Estensis promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Paulus Emilius S. Mariae in Cosmendin diaconus cardinalis Rondininus promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Laurentius S. Eustachii diaconus cardinalis Baggius promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus promitto, voveo et iuro.

† Ego Carolus S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis Pius promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Decius S. Hadriani diaconus cardinalis Azzolinus promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Franciscus Maria Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Mancinus promitto, voveo et iuro.

CCCXXXII

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quod, quicumque Ordinis et congregationis fratrum congregationis Gallicanae tertii Ordinis sancti Francisci sine obedientiâ proprii provincialis seu definitoris suae provinciae ad Urbem accesserint et post triduum non recesserint, omnino teneantur conventui B. Mariae Miraculorum de Urbe dicti Ordinis unoquoque die singuli duos iulios a die sui adventus, si non fuerint sacerdotes, solvere, si autem sacerdotes fuerint, iulium unum, et missam, pro exoneratione dicti conventus, ad intentionem superioris ac sacristae quotidie celebrare[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum guardiani et discretorum conventus Prooemium.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

B. Mariae Miraculorum nuncupatorum de Urbe fratrum congregationis Gallicanae tertii Ordinis sancti Francisci, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod plurimi fratres diversarum provinciarum eiusdem Ordinis, quibusdam litteris obedientialibus sub speciosis praetextibus furtim et insciis suae provinciae superioribus a dilecto filio nostro eiusdem S. R. E. cardinali dicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectore aut ipsius Ordinis ministro generali emendicatis[1], frequentius ad hanc almam Urbem accederent, et aliquando per annos integros, imo etiam diutius in eâ commorarentur, et quantum possent moram ibidem protraherent, ut a superiorum suae provinciae obedientiâ immunes perseverarent; et in eâdem expositione subiuncto, quod ex frequenti dictorum fratrum accessu morâque huiusmodi praefatus conventus, quippe pauperrimus, valde gravaretur, magnâque impensarum accessione oneraretur; ac proinde praefatae cardinalium congregationi supplicato ut in praemissis opportune provideret: emanavit ab eâdem congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, volens huiusmodi cursitationum ac morae in Urbe sine causâ protrahendae occasionem amputare, et religiosos dicti Ordinis in propriis provinciis sub obedientiâ continere, necnon paupertati et indemnitati praenominati conventus consulere, censuit decernendum, prout praesentium tenore decernit, ut quicumque religiosi Ordinis et congregationis huiusmodi sine consensu et obedientiâ proprii provincialis seu definitoris suae provinciae ad Urbem accesserint, et post triduum non recesserint, omnino tenentur[1] unoquoque die conventui praedicto singuli duos iulios a die sui adventus, si non fuerint sacerdotes, solvere; si autem sacerdotes fuerint, iulium unum, et missam pro exoneratione dicti conventus et ad intentionem superioris et sacristae quotidie celebrare; praesentis autem decreti executionem committendam, prout committit, guardiano et aliis pro tempore dicti conventus superioribus, qui ad solutionem huiusmodi fratres extraneos in posterum accedentes, et alios iam forte in praefato conventu existentes, omni appellatione postpositâ, omnino cogere teneatur, sin minus, renitentes huic decreto parere e conventu et Urbe compellat discedere, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae XIV ianuarii MDCLXI.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secretarius ».

Decretum praeinsertum confirmat Pontifex. § 2. Cum autem, sicut praefati guardianus et discreti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis nuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, te-

1 Edit. Main. legit *emendicantis* (R. T.).

1 Legendum *teneantur* (R. T.).

nore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 februarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXXIII.

Confirmatio statutorum et ordinationum a deputatis cappellae S. Ianuarii Neapolitani, *quam* thesaurum *vocant*, *in formâ specificâ*[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, superni dispositione consilii praesidentes, illis, quae pro conservando locorum piorum quorumvis, et praesertim Deo in gloriosissimorum eius martyrum honorem consecratorum, frequentique fidelium devotione celebrium, decore, augendoque in illis divino cultu ac felici ministrorum illic Altissimo famulantium directione, pie prudenterque statuta et ordinata esse dignoscuntur, quo firmiora sint, ac exactius et inviolabilius observentur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis robur adiicimus.

Statuta referuntur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati cappellae sancti Ianuarii civitatis Neapolitanae, quam illic *thesaurum* vocant, quod ipsi, vigore facultatis sibi a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro per quasdam suas die XXVII februarii MDCXXXV expeditas litteras attributae, nonnulla statuta et ordinationes pro felici gubernio et administratione eiusdem cappellae fecerunt tenoris qui sequitur, videlicet[1]:

Addì 13 novembre 1659 congregati li sottoscritti illustrissimi signori deputati del Tesoro del glorioso S. Gennaro nella camera della loro solita residenza:

Havendo l'esperienza dimostrato i luoghi ben regolati essere sempre accresciuti, e gli altri senza opportuni stabilimenti deteriorati, li Sommi Pontefici di felice memoria Paolo V e Urbano VIII nelle Bolle date sopra l'erezione del nostro Tesoro con cristiana prudenza diedero facoltà alla nostra fedelissima patria, e conseguentemente a noi deputati da lei al governo di questo sacro luogo, di far

1 Sequens statutum damus prout est, absque correctionibus quarum forsan opus esset (R. T.).

statuti, capitoli e decreti per il stato felice, governo e amministrazione di quello, e in ogni tempo mutarli, aggiuogervi e mancarne o farne altri, come la varietà dell'avvenire e bisogni dimostrasse, con l'approvazione però della Sede Apostolica o dell'Ordinario, o pure d'una delle sacre congregazioni nell'istesse Bolle assegnate. E volendo avvalerci di tal facoltà per servizio e onore di Dio, e del nostro singolare protettore S. Gennaro, giunto con gli altri, e per i felici progressi dell'istesso santo luogo, avendo osservati alcuni anni gli andamenti e bisogni di quello, dopo matura deliberazione e discussione de'negozi in più congregazioni, avemo formati statuti, capitoli e stabilimenti da osservarsi inviolabilmente, dopo che saranno confermati, come sopra, sotto le pene nell'atto di tale confermazione apponende, e sono del tenore seguente, cioè:

La fedelissima città di Napoli, arricchita del corpo e del miracoloso sangue dell'illustrissimo martire S. Gennaro, suo precipuo protettore, avendo giornalmente ricevute da quello singolarissime grazie, per picciolo segno di gratitudine fe'voto d'erigere in suo onore la cappella nominata il Tesoro, in cui si conservassero le sue sante reliquie con l'altre de'gloriosi santissimi protettori. Ed essendosi perciò ottenute Bolle Pontificie, tra le facoltà in quelle concesse dalla felice memoria di Papa Urbano VIII nella Bolla spedita a' 27 di febraro 1635, due furono le principali, l'una che la cassa e custodia delle reliquie in detta cappella transferende, e una delle due chiavi sotto le quali si conservano le reliquie predette, con l'assoluta e omnimoda amministrazione di detta cappella, suo erario, beni, entrate, limosine, oblazioni, legati, e altre pie disposizioni, fossero io potere d'essa città e suoi deputati; l'altra, che essi possano fare statuti, ordini, capitoli e decreti per il prospero e felice stato, reggimento, governo, direzione e amministrazione di quella, cappellani, chierici, ministri, beni e entrate, tanto spirituali quanto temporali, e circa il modo e forma delle funzioni e divini offici, che ivi averanno da farsi in qualunque modo, d'approvarsi dalla Santa Sede, o dalle sacre congregazioni ivi assegnate o dall'Ordinario; quali s'osservassero sotto pene pecuniarie e censure ecclesiastiche, come più amplamente apparisce da tal Bolla nel § *Necnon custodiam*, e § *Necnon etiam eisdem oeconomis*. Essendosi dunque già compita e ornata detta cappella con spesa di più di ducati trecentomila, e io essa transferite le reliquie de' nostri santissimi protettori, volendo provvedere alla buona amministrazione e felice progresso di quella, avemo deliberato fare li statuti ed ordini sopra ciò necessari. Quindi è che congregati noi infrascritti deputati, e maturamente considerato quel che si conviene per l'effetto e governo predetto, in vigore di detta facoltà apostolica, avemo conclusi, stabiliti, fatti ed ordinati gl'infrascritti capitoli, statuti e decreti, con riserva però espressa di poter quelli in ogni tempo e tante volte quante bisognerà mutare, dichiarare e farne altri, conforme richiederà il bisogno, e dimostreranno l'occasioni e mutazioni di tempi in conformità della facoltà datane, da osservarsi da quelli a' quali spetta sotto le pene pecuniarie infrascritte, e dalle censure in detta Bolla declarande da' superiori nell'atto dell'approvazione d'essi.

1. Statuimo e ordinamo che li molto reverendi tesorieri e cappellani del nominato tesoro non si ingeriscano nè direttamente nè indirettamente nel governo dell'istesso Tesoro, suoi beni, entrate, suppellettili, limosine, legati, oblazioni e altra qualsivoglia cosa, nè con li chierici

o altri ministri di quello, spettando tal amministrazione ad essa città e deputati di quello in vigore delle Bolle apostoliche, nè l'uno s'ingerisca nell'offizio dell'altro, ma ognuno attenda a quel che l'incumbe (come si dirà a suo luogo) con carità, pace e quiete, e occorrendoli qualche difficoltà la riferiscano a noi, acciò si possa provvedere al bisogno, sotto pena alli contravenienti di libre 20 di cera bianca lavorata, per ciascheduna volta.

II. Statuimo che il molto reverendo tesoriere di detta cappella debba personalmente assistere, quando si apriranno gli armarl dove si conservano le predette sacre reliquie, o per esporle al popolo, o in altra qualsivoglia occasione, e mentre staranno esposte, diligentemente le custodirà, e, precisamente quando sta esposto il miracoloso sangue del nostro glorioso protettore S. Gennaro, levandolo da quando in quando dal ciborio, ove sta collocato, tenendolo nelle mani, riverentemente girandolo alquanto per far vedere al popolo che è liquefatto, e farlo baciare dalli fedeli, conforme al solito, per maggior accrescimento di devozione; però cantandosi la messa e il vespro, non si faccia tal azione acciò non si impediscano le funzioni predette. Assisterà parimente a consegnare dette reliquie alli molto reverendi canonici, quando dovranno esporsi sull'altare maggiore del duomo, conforme li stabilimenti in ciò fatti, e poi le riceverà indietro, e così anco consegnerà le reliquie de'santissimi protettori, quali son solite consegnarsi nelle loro feste rispettivamente, e quelle poi riceverà, quando se gli restituiranno, facendo il tutto *gratis* e senza oblazione alcuna. E finalmente celebrerà ogni mattina la santa messa nell'altare di detta cappella, conforme il suo obbligo, eccetto nella giornata che li toccherà essere franco, nè si intrometterà in altro. E mancando da ciascuna di dette funzioni, per ogni giornata di mancanza sia tenuto alla pena di libre dieci di cera bianca lavorata, applicanda a detta cappella come sopra, dichiarando che ciò non si intenda in caso mancasse dalla celebrazione della messa, atteso v'è per tal effetto qui appresso statuto generale, ove è provisto quel che conviene.

III. Ciascheduno de' molto reverendi cappellani sia obbligato di celebrare la santa messa ogni giorno nell'altare di detta cappella (eccettuando la giornata che gli toccherà d'esser franco), e personalmente e non per interposita persona, e oltre di ciò siano tenuti assistere in detta cappella nelle giornate che si averanno da portare le reliquie nell'altare maggiore del duomo, accompagnandole con cotte e lumi, e portandole sin alla porta di detta cappella, nella quale si consegneranno alli molto reverendi canonici, e così nel ripigliarle; nel sabbato precedente alla prima domenica di maggio, facendosi la solenne processione del sangue del santissimo martire Gennaro, due d'essi di quella piazza, dove si farà il congresso del sangue col capo del benedetto nostro protettore, assistano nel teatro di quella lor piazza a custodire la testa, mentre si aspetta il sangue, e nelle due ottave di maggio e settembre due d'essi debbano assistere continuamente assieme col tesoriere alla custodia di dette sacre reliquie, mutandoli a vicenda, e questo dalla mattina sino alla sera di ciaschedun giorno, non convenendo che in tal azione resti solo il tesoriere, alla pena di dieci libbre cera bianca lavorata da pagarsi per ciascheduno di quelli che mancherà per ogni giornata dall'assistenza, accompagnamento e funzioni ad ognuno d'essi spettanti, da esigersi e applicarsi come sopra.

IV. Essendo obbligati li molto reverendi tesoriere e cappellani per se stessi e

non per mezzo d'altri dir la santa messa ogni mattina in detta cappella, eccettuata una giornata di ciascheduna settimana, e potrebbe occorrere che prendendo tutti o maggior parte d'essi detta franchigia nella istessa giornata, restasse detta cappella senza lo debito servizio; però statuimo che nella domenica nessuno sia franco, ma tutti detti molto reverendi tesoriere e cappellani siano tenuti dir la messa nella cappella predetta, e fra la settimana ogni giorno sian franchi due soli, esortandoli a dividersi fra loro detta immunità, in modo che negli altri giorni della settimana due soli per ciascun giorno la godano e non più, acciò la detta cappella non resti senza il debito servizio delle messe; e ciascheduno di essi che mancherà di celebrare in detta cappella nelle domeniche e nelle altre feste di precetto, nelle quali feste però non li toccasse la franchigia come sopra, oltre la puntatura e applicazione, delle quali si dirà nel seguente capo, sia obbligato per pena di tal mancanza a tre libbre di cera bianca lavorata, da pagarsi e applicarsi a detta cappella, e oltre di ciò si debba fare l'assegnamento predetto fra loro delle giornate franche, a ciascuno toccanti come si è detto ogn'anno, nel principio del mese di gennaro, sotto pena di ducati 10 per ciascuna volta, da pagarsi a detta cappella da quello o quelli che impedissero tale aggiustamento, e questo senza pregiudizio dell'osservanza di quanto si è detto in questo capo.

v. Acciò la celebrazione delle messe si faccia giornalmente da' detti molto reverendi tesoriere e cappellani conforme all'obbligo che tengono, e si sappia se per avventura mancassero, ordiniamo che ciaschedno d'essi di propria mano si scriva, ogni mattina che celebra, nel libro per tal effetto fatto in sacrestia, notando giornata per giornata il suo nome e cognome, incaricando il sacrista che non faccia scrivere se non quello che effettualmente dirà la messa in detta cappella, e lasciando di celebrare senza legittimo impedimento (quale in caso vi fosse, debba notificarsi a noi deputati, altrimenti non si ammetta), debba puntarsi, e puntato s'intenda ogni volta che non si trovi scritto in detto libro, e perciò nel tempo del pagamento solito farsi dalla fedelissima città o da' suoi arrendatori assegnati, si debba cavar nota da detto libro di quelli, quali avendo lasciato di celebrare, e delle porzioni d'essi ritenersi quella quantità di denaro, che importando le puntature predette a carlini $3\ ^1/_2$ per ciascheduna puntatura, quanto importa la provisione ad essi assegnata per il servizio predetto, e in caso che alcuno d'essi mancasse dalla celebrazione in modo che non se li dovesse la mesata assegnata o in tutto o in parte, si debba similmente ritenere. Quali puntature e mesate sospese s'applichino alla sagrestia di detta cappella in aumento delle suppellettili di quella, con peso anco di far celebrare in essa da altri sacerdoti eligendi per noi deputati tante messe, quante averanno lasciato di celebrare il tesoriere e cappellani predetti, e dalla città e arrendatori assegnati si paghino per tale effetto alli stessi deputati che saranno *pro tempore*. E la puntatura con applicazione al Tesoro s'intenda anco bastare per pena di quel che lascierà di celebrare, oltre quel che s'è detto nel precedente circa la pena di quello mancherà dalla celebrazione nelle domeniche e feste di precetto. E rispetto al segnarsi ciascuno di propria mano nel suddetto libro, stabilimo, che per pena della resistenza nel segnarsi, sia, che, sebene celebrasse, resti puntato, se non si segna di propria mano, come sopra.

vi. Ordiniamo che nel celebrare le messe basse non vi sia precedenza alcuna

fra i detti molto reverendi cappellani, ma con l'ordine, che entrando in sagrestia, così siano spediti, cioè, chi prima verrà si pari, e esca a dir la messa; eccettuando però il molto reverendo tesoriere, quale sempre sia preferito agli altri, rimettendo alla prudenza del sacrista ad onorare i forastieri, senza però nessun pregiudizio di detti tesorieri e cappellani, e così s'osservi con pena di 31 libbre di cera bianca lavorata, per ciascuna volta, tanto rispetto de'cappellani, che intervertissero questo buon ordine contro volontà di quello fosse arrivato prima, quanto al sacrista, in caso non facesse osservarlo, d'applicarsi come sopra.

VII. Perchè nelle due ottave delle feste del nostro gloriosissimo protettore S. Gennaro averà da cantarsi la messa ogni mattina in detta cappella, e nella prima ottava anco il vespro; perciò diciamo che la prima di dette messe debba cantarsi dal molto reverendo tesoriere, la seconda da un di quelli cappellani di quella piazza nella quale in quell'anno sarà fatto il congresso del capo col sangue del Santo, cioè dal più anziano nella prima ottava, e dall'altro nella seconda, e con l'ordine delle piazze, come tocca il detto congresso, vadano facendo detta funzione, e nel giorno ottavo di nuovo celebri detto tesoriere, ancorchè per il turno predetto avesse cantata la messa fra l'ottava oltre la prima, e non volendo si cavi a sorte chi averà da cantarla, con dichiarazione, che chi canta la messa, canterà parimente il vespro; ed in caso che alcuno di detti tesoriere e cappellani non osservassero tal ordine contro volontà degl'altri, o che il sacrista per sua colpa non facesse osservarlo, sia tenuto per ciascuna volta dare per pena a detta cappella 10 libre di cera bianca lavorata, con dichiarazione che s'alcuno d'essi volesse d'accordo mutare la giornata a lui toccante col compagno, possa farlo volontariamente, e con pace e quietudine fra loro.

VIII. Se nell'ottave predette o in altra occasione si trovasse legittimamente impedito il molto reverendo tesoriere, di modo che non potesse assistere a fare le funzioni a lui spettanti, come si è detto nel cap. II, volemo, che egli non si intrometta in deputare o sostituire alcuno in luogo suo, ancorchè fosse degl'altri cappellani, e se fosse di fatto da lui sostituito, non si ammetta; essendo che, spettando a noi principalmente la cura e custodia di dette reliquie, in tale occasione sostituiremo altra persona di detti cappellani a nostro arbitrio, nè doverà in ciò altri ingerirsi, ed ingerendosi, per ciascuna volta incorrerà nella pena di ducati dieci applicati a detta cappella, da pagarsi la metà dal tesoriere, che farà tal sostituzione, e l'altra metà da quello sarà sostituito, o che senza ordine nostro farà tal funzione, ancorchè non fosse dal tesoriere sostituito.

IX. Acciò s'osservi il decoro di detto santo luogo, con tanta spesa nella nostra fedelissima città fondato, espressamente ordiniamo, che li molto reverendi tesoriere e cappellani e sacrista, nè ciascheduno di loro, nè per sè, nè per interposta persona, ardisca di chiedere elemosina in nome di detta cappella di denari, suppellettili, olio, cere e qualsivoglia altra cosa, nè sotto pretesto di solito o altro qualsivoglia colore, a persona alcuna di qualunque grado e condizione, sotto pena di scudi 28 per ciascuna contravenzione, applicandi a detta cappella, alla quale parimente s'acquisti tutto quello che con tale dimanda fosse stato dato.

X. Espressamente ordiniamo che nessuno di detti molto reverendi tesoriere e cappellani possano ingerirsi nell'oblazioni che spontaneamente saranno fatte a detta cappella di denari, cera o qual-

sivoglia altra cosa, nè le messe votive, o altre elemosine fatte e faciende, nè quello o in tutto o in parte a se stessi o ad altri applicare sotto qualsivoglia pretesto, ma quelle si debbano consegnare al sacrista, quale ne debba fare distinta nota, e nell'immediata seguente congregazione darne conto a noi, a' quali in vigore di detta Bolla spetta l'assoluta et omnimoda amministrazione e governo, acciò disponiamo come sarà conveniente ed opportuno, nè possano pigliare nè applicarsi le torcie e candele *etiam* residui d'esse, o siano comprate del peculio del Tesoro, o d'altre offerte, ma quelle debbano conservarsi dal sacrista sotto chiave tenuta da lui, dandone conto a noi, acciocchè quando sarà fatto cumulo d'esse possano cambiarsi con le torcie e candele nuove, in servizio ed utile di detto Tesoro, come sarà più opportuno intieramente e senza niuna diminuzione, e questo s'intenda ancora delle oblazioni, che si faranno a dette sacre reliquie, quando saranno esposte fuor del Tesoro nell'altare maggiore del domo, o in altri luoghi, giacchè tutte spettano all'istesso Tesoro, sotto la medesima pena di ducati 25 d'applicarsi alla cappella predetta per ciascuna contravenzione e per ogni uno d'essi quale contravverrà, e anco che sotto pena d'espulsione del sacrista, quale non dasse notizia e conto delle cose predette, o non le conservasse come sta in questo capo ordinato.

XI. Al sacrista, quale sarà *pro tempore* eletto *seu* eligendo per essi deputati a nuto amovibile, sia obbligato assistere continuamente ogni mattina alla sacristia, e aver pensiero, che le messe escano a tempo e ordinatamente, e abbia cura del libro dove si doveranno scrivere ogni mattina li molto reverendi tesoriere e cappellani, quali celebrano, non facendo scrivere in esso quello che non celebrerà in detta cappella, come si è detto nel cap. v, e che li chierici assistano e facciano il servizio in detta cappella puntualmente con decoro e pulizia, faccia parare gl' altari conforme il rito ecclesiastico. Avrà cura de' paramenti e altre suppellettili di detta cappella, e che siano politi, ben conservati e custoditi, e si conservino le cere, olio, vino e altre cose necessarie al culto divino, tenendo le chiavi di detta cappella, sacristia e stipi o casse, *seu* officine, dove si conserveranno le cose predette, dando del tutto conto ad essi deputati, a'quali darà parte d'ogni difficoltà che occorresse in tal carica, e se vedrà qualche inconveniente, lo communichi a quelli acciò provedano opportunamente sotto pena d'espulsione.

XII. Si è stabilito, che li quatro chierici ordinari di detta cappella a nuto amovibili, debbano servire al detto Tesoro con assistenza, decoro e modestia convenienti ad un tanto luogo, senza partirsi la mattina o in altri tempi necessarî, e fare tutto il servizio che bisognerà in detta cappella con puntualità, conforme sarà ordinato da essi deputati, e dal reverendo sacrista, alli quali doveranno esattamente obbedire, e non ad altro, portando però ogni riverenza al molto reverendo tesoriere e cappellani, quali con essi non doveranno per altro ingerirsi; e acciochè attendano i detti chierici al servizio, che li conviene, il reverendo sacrista debba puntare s'alcuno d'essi manca, e egli esiga l'assignamento, che tengano dalla città separatamente da quello del tesoriere o cappellani, acciò con saputa e ordine nostro possa dividersi fra chierici che serviranno, e in caso di contravenzione la pena sarà d'essere licenziati dal servizio della predetta cappella.

Finalmente dicemo che li predetti capi, ordini e statuti, e ciascuno d'essi, e quanto in quelli si contiene, dopo che

saranno approvati da' superiori, inviolabilmente s'osservino sotto dette pene pecuniarie e censure, da quelli declarande et apponende, e così concludemo, dicemo e stabiliamo per adesso, con riserva espressa di mutare, aggiungere e fare altri capi e stabilimenti tante volte quante bisognerà secondo l'opportunità del tempo, occasioni e bisogni, che giornalmente occorreranno, in vigore della detta potestà dataci in dette Bolle pontificie con l'approvazione in quelle ordinate, tutto per servizio di Diò, e del nostro glorioso protettore, ed altri santi, e per il buono governo di detta sacra cappella, con dichiarazione, che le suddette pene in caso di contravenzione debbano ritenersi a beneficio di detta cappella da quello che questa città paga a' detti molto reverendi tesoriere e cappellani ogni mese per la loro dote, con certificatoria facienda per essi deputati.

Statutum praeinsertum confirmat Summus Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes praeinserta statuta et ordinationes, pro firmiori illorum subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae praesidio roborari summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, praeinserta statuta et ordinationes, omniaque et singula in eis contenta et expressa quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, poenasque in eis contentas in transgressores exequutioni demandari praecipimus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulas addit.

§ 3. Decernentes eadem statuta et ordinationes, necnon praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae cappellae et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 februarii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXXIV.

Iubilaeum universale ad implorandam divinam opem contra Turcas.

Alexander Papa VII,

Universis christifidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ex quo humilitatem nostram in excelsâ Sedis Apostolicae speculâ collocavit Altissimus, nihil quidem (quantum divina bonitas dedit) praetermisimus, quo immanem Turcarum tyranni ditiones Reipublicae Venetorum saevissimo bello iamdudum infestantis ferociam retunderemus. Nunc vero, cum idem tyrannus, expugnatâ contra fidem publicam arce Varadini, quae erat validissimum Hungarici regni propugnaculum, impetum in citeriores provincias ingenti[1] apparatu meditari et adornare, miserrimasque clades universae reipublicae christianae minitari videtur, pontificia sollicitudo nostra ad opponendum nos tamquam murum pro domo Dei ardentiori zelo stimulatum[2]; et quamvis omnia humanae industriae opisque consilia et auxilia alacri studio pro viribus expromere et procurare non desistamus, omnem tamen spem in Domino collocamus, confidentes, si, depositâ per veram poenitentiam sarcinâ peccatorum, immensam eius misericordiam unanimes imploremus, auctisque per eleemosynas et ieiunia viribus orationis ad eum supplici concordique voce clamemus, fore ut obliviscatur iniquitatum nostrarum, quibus eius iram provocavimus, et christianae religionis hostium vires conterat potentiâ virtutis suae. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

1 Edit. Main. legit *ingenii* (R. T.).

2 Forsan legendum *stimulatur*; edit. Cherub. habet *stimulat* (R. T.).

Supplicatio. § 1. Hoc autem ut maiori fructu ferventiorique spiritus ardore peragatur, ex veteri Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores nos constituit Deus, in praesentibus necessitatibus proferre et largissimâ manu erogare decrevimus. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti omnes et singulos utriusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ quam extra ubilibet locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne requirimus, monemus et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, et ad Deum Salvatorem nostrum orandum ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere et defendere, illiusque hostium conatus et vires reprimere et conterere, principum christianorum pacem et concordiam conservare, eorumque corda illuminare, et vires ad christiani nominis tutelam et exaltationem unire, augere et roborare, atque omnium nostrum piis conatibus opitulari dignetur.

Iubilaeum statuit cum indulgentiis consuetis. § 2. Nos enim de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe degentibus, qui S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris eiusdem Urbis ecclesias seu basilicas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum proximarum hebdomadarum semel saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex praedictis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die infra

eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio vel possibilitas, erogaverint:

§ 3. Ceteris vero extra Urbem ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi alteram, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum vicarios, seu officiales, vel alios, ut praefertur, faciendae decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ et sextâ feriâ ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die infra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem nostri praedecessores concedere consueverunt, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantibus, regularibus, captivis, aliisque impeditis a visitatione ecclesiarum, confessarius haec in alia pietatis opera commutare possit.

§ 4. Navigantes vero et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

§ 5. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Omnibus utriusque sexus facultatem concedit sibi eligendi quemcumque confessarium qui ab omni peccato absolvere possit.

§ 6. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praedictâ quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant.

§ 7. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Decretum hoc publicari mandat. § 8. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, illis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent, ne aliàs ulterius praesentium litterarum exequutio protrahatur.

Clausulae. § 9. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis qui a nobis et Apostolicâ Sede vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Derogatio contrariorum. § 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 10. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 martii 1661, pontif. anno VI.

CCCXXXV.

Indictio sex decimarum super fructibus omnium ecclesiasticorum beneficiorum, et pensionum in universâ Italiâ et insulis Italiae adiacentibus[1].

[1] Vide ad Const. CCCLXXXV (al. 354) Urbani VIII,

Alexander Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Cum divina aeternaque illius providentia, cuius nutu universa ac singula in hac mundi machinâ reguntur, nos, impari licet merito, ad eminentem apostolicae dignitatis speculam clementissime evexerit, ea inter nostras praecipua maximaque sollicitudines[1] animo obversatur, quae potissimum totius christiani orbis discriminibus antevertendis[2] incumbit.

Motiva. § 1. Hinc factum est ut clarissimae Venetorum Reipublicae, variâ per tot annos fortunâ barbarorum impetus, tam mari quam terrâ, strenue sustinenti, ab initio Pontificatus nostri, praeter expensas in triremium nostrarum classe singulis quibusque annis in Ægeum mare traiicere iussâ instruendâ erogatas, praeterque auxiliares copias iamdudum in Illyrium transmissas, indulgentissime etiam ecclesiasticas super eius dominii clerum sex decimas seu subsidia ad summa centum millium aureorum annuatim per sexennium ascendentes seu ascendentia, ultra emolumenta ac bona conventuum ibidem suppressorum, concesserimus.

§ 2. Verum, quia ab infidelibus nondum armis temperatur, sed eorum exercitus nuper Transilvaniam adorti, Varadino, aliisque oppidis expugnatis, audaciores circumferuntur, et maiora in inclitae Germaniae ac Dalmatiae et utrique confinium provinciarum populos immaniori militum vi moliuntur, nos ideo paternâ commiseratione commoti, multis antea praecibus effusis ut exurgente Domino dissipentur inimici eius, carissimo in Christo filio nostro Leopoldo Romanorum regi illustri in imperatorem electo, eoixe a nobis pro Hungarici regni sui, quod undique impiorum arma circumsonant, defensione, consilium, opes et auxilium flagitanti, suppetias ferre decrevimus.

§ 3. At, cum camerae nostrae apostolicae proventus expensis, quas praediximus, aliisque summopere attritos in praeteritae famis ac pestis necessitatem, subditorum commodo, adeo pietas profuderit, ut ad ea praesidia comparanda, quae Turcarum bello non solum repellendo, verum etiam illis inferendo, amissisque, Deo adiuvante, recuperandis[1], impares reperiantur, cogimur exemplo Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ad aliarum ecclesiarum peculium, quae Domini patrimonia sunt, animum convertere, sperantusque in causâ, quae Dei est, et pro qua sanguinem effundere nemo fidelium recusaret, omnes libentissime ac certatim contributuros.

Decimas imponit, ut in rubrica. § 4. Habitâ igitur super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione maturâ, de eorumdem consilio et assensu, indicimus et imponimus sex integras decimas omnium et quorumcumque fructuum, redditnum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum omnium et quarumcumque patriarchalium et metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, ac parochialium, aliarumque ecclesiarum, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, et officiorum, cappellaniarum, ceterorumque be-

Supremâ dispositione, tom. XIV, p. 192, in qua consimilem indictionem sex decimarum invenies.

1 Lectio perturbata, ut patet (R. T.).

2 Videtur legendum *avertendis* (R. T.).

1 Aliquid deest, ex. g. *opus forent* (R. T.).

neficiorum et bonorum ecclesiasticorum iurispatronatus laicorum, tam ex privilegio, quam ex fundatione et dotatione, vel alio quocumque titulo, cum curâ et sine curâ, secularium, et S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstratensium, S. Basilii, et, qui proprietates redditusque certos ex privilegio vel aliâs possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Cassinensium, aliâs S. Iustinae de Padua, Carthusiensium, Lateranensium, Montis Oliveti, Camaldulensium, S. Salvatoris, Vallisumbrosae, S. Georgii in Alga, Caelestinorum, Cisterciensium in Longobardia, S. Hieronymi, Sylvestrinorum, ac clericorum regularium Societatis Iesu, aliarumque congregationum, societatum et institutorum regularium, exemptorum et non exemptorum, et insuper hospitalium etiam, pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates et alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, nenon B. Mariae Teutonicorum, S. Lazari de Altopassu, Templi Dominici, et aliarum militiarum, in universâ Italia et insulis Italiae adiacentibus consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, proventuum, redditnum et aliorum praefatorum, nisi aliter cum Sede et camerâ apostolicâ fuerit concordatum (S. R. E. cardinalibus, qui praeteritis annis tam promptâ et spontaneâ liberalitate, praesertim in duorum navigiorum expeditione opulentum subsidium Reipublicae praedictae praestiterunt, ob assiduos magnosque labores, quos Ecclesiae universali impendunt, et gravissima quae tuendae dignitatis causâ sustinent onera, ac dominio praefatae Reipublicae Venetae, et militiâ S. Ioannis Hierosolymitani, ob causas antedictas, et bella, quae pro suâ et christiani orbis tutelâ adversus Turcas praefatos semper gerunt, pro quibus alienis continuo indigent auxiliis, dumtaxat exceptis);

§ 5. Ac etiam indicimus et imponimus sex similes decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus supradictis, sive, earum loco, fructuum, redditnum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum huiusmodi (Statu Veneto, ut praefertur, excepto) in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium praedictorum) reservatarum et assignatarum seu translatarum, aut reservatorum et assignatorum vel translatorum, ac reservandarum et assignandarum seu transferendarum, aut reservandorum et assignandorum vel transferendorum, percipiendas, exigendas et levandas ab omnibus et quibuscumque patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, ac ceteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiae, conditionis personis, infrascripto decennio durante, praefata quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, ac reservata et assignata seu translata habentibus seu habituris, necnon oeconomis, administratoribus, perpetuis et temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia huiusmodi iura ex quacumque causâ sibi apostolicâ auctoritate in toto vel in parte reservata seu translata habentibus et habituris, secularibus et regularibus, ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen S. Ioannis Hierosolymitani) praefatorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuâ suffultis; Etiam super pensiones.

Tempus quo dicta impositio solvenda est.

§ 6. Quas[1] omnes decimas praedictas solvere obligatos, ut praefertur, easdem infra decennium proximum decem aequalibus solutionibus, pro primâ videlicet intra proximum diem festum Dedicationis S. Michaëlis Archangelis mensis septembris proxime futuri, et successive pro reliquis novem solutionibus singulo quoque anno ratam partem intra festum huiusmodi cuiuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem in camerâ et illius depositario generali ad id constituendo omnino volumus persolvisse. Eiusdem vero depositarii munus erit sedulo curare ut quidquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter ac fideliter asservetur de mandato nostro speciali in praefatos usus dumtaxat, nec aliàs erogandum.

Contravenientium poenae.

§ 7. Quicumque vero decimas huiusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, vel concordiam cum Sede et camerâ praedictis, ut praefertur, ineundam, sive in terminis constituendis, non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem, si ecclesiarum antistites fuerint, suspendimus a divinis; capitula vero, conventus, congregationes, societates et collegia ecclesiastico interdicto supponimus, ac singulares personas antistite inferiores, excommunicationis sententiâ innodamus.

Clausulae.

§ 8. Ceterum ad praedictas decimas consequendas praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum et iurium praedictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, et[2] utrasque decimas nomine dominorum ac pensionariorum ad computum suae quisque locationis; omnibus vero possessoribus et usufructuariis, et aliis pensiones seu fructus aliaque praedicta solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi nomine pensionariorum camerae et depositario praedictis integre persolvant; decernentes decimas fructuum, reddituum, proventuum et aliorum iurium praedictorum secundum verum valorem annuum, vel saltem iuxta taxam, de qua cum venerabili fratre nostro Antonio episcopo Tusculanensi cardinali Antonio Barberino nuncupato S. R. E. camerario, et dilecto filio nostro et camerae praedictae thesaurario generali (quibus etiam ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum praedictorum fructus hactenus non taxatos taxandi, et taxam in libris camerae apostolicae describi faciendi, necnon taxas antiquas, si opus fuerit, iuxta verum fructuum valorem, potestatem et auctoritatem plenarie concedimus et impertimur), ut praefertur, concordaverint, alias vero pensionum decimas ad rationem decem pro centenario praestari debere, et secundum ea praedictos omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque decimarum procuratores a quibus libuerit integre exigendi optionem facultatemque habere, neque ullas immunitates et exemptiones, etiam ex causâ resignationis, cessionis iuris, concordiae, conventionis, aut quacumque aliâ gravi et onerosâ occasione, quocumque modo, et sub quibuscumque verborum expressionibus, etiam a decimis, seu quibusvis aliis impositionibus, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra Turcas et alios infideles et haereticos, seu ex aliâ quavis quantumvis legitimâ et rationabili ac necessariâ et de necessitate exprimendâ causâ, etiam in favorem imperatoris, regum, reginarum, ducum, seu aliorum quorumcumque principum, ac pro eorum et Sedis Apostolicae necessitatibus, seu aliàs canonice vel de facto impositis et pro tem-

1 Videtur legendum *quos* (R. T.).
2 Potius lege *ut* pro *et* (R. T.).

pore imponendis, etiam per nos concessas et interim concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alios pensiones seu fructus huiusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi iuri et actioni petendae vel detrahendae aut retinendae portionis et ratae partis pensionarios contingentis iureiurando renunciaverint, atque ex formâ dictae camerae amplissimâ caverint modo aliquo obligari neque ad id pro dicto tempore constringi posse, sed pensionarios et fructuum huiusmodi reservatarios ad decimarum praedictarum onus subeundum omnino teneri; omnes vero confessiones ac quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris camerae praedictae tam conductoribus, censuariis et locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones seu fructus solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas periude valere, atque in iudicio et extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et exhibitae fuissent.

§ 9. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, in quavis instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 10. Ut autem omnia praedicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequutioni demandentur, Antonium cardinalem et episcopum ac camerarium et thesaurarium praedictos in solidum, quorum integritas, fides, atque experientia iam pridem nobis perspecta est et nota devotio, generales omnium decimarum praedictarum collectores in Italiâ et insulis illi adiacentibus huiusmodi, cum cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus, ac iuribus, quae omnes alii antehac huiusmodi collectores habuerunt, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, constituimus et deputamus, eisque plenam, liberam et absolutam facultatem et auctoritatem tribuimus omnes ipsas decimas camerae praedictae nomine procurandi; praedictos omnes, tam coniunctim quam divisim, ad illarum integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi et requirendi; non parentes, fraudantes et ceteros contumaces in censuras et poenas praedictas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi; proprietates, res, fructus et alia bona ipsorum etiam manu regiâ apprehendendi et usque ad condignam satisfactionem retinendi; contradictores, perturbatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis compellendi; illasque etiam iteratis vicibus aggravandi; dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi; ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab

Collectores decimarum decernit.

omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; super irregularitate forsan incursâ, dummodo tamen in contemptum clavium non celebraverint, dispensandi et ad pristinum statum omnino restituendi;

Collectores a decimarum solutione non absolvit.

§ 11. Praeterea collectores et subcollectores, viros utique providos, ac fide et facultatibus locupletes et solertes, in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italiae et insularum illi adiacentium huiusmodi, quotquot viderint expediri, cum simili, vel limitatâ, non tamen absolvendi, potestate constituendi; eumque vel eos eorum arbitrio revocandi; negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi quotiescumque eis videbitur; ac ab eis eorumque haeredibus et successoribus administrationis rationes exigendi; in delinquentes et suspectos, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi; modos et formas in praedictis servandos praescribendi; dubia quaecumque in praemissis forsan oritura declarandi; ac prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum; eâ tamen conditione adiectâ, quod collectores et subcollectores deputandi seu substituendi huiusmodi, per deputationem seu substitutionem de eorum personis ut praefertur faciendam, nullo modo censeantur exempti a solutione sex decimarum praedictarum, quas ratione ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, seu pensionum per eos obtentarum solvere debebunt.

Contrariis derogat.

§ 12. Non obstantibus piae memoriae praesertim Pauli III ac Gregorii III, quibus inter alia cavetur, quod clerici regulares Societatis Iesu solutione decimarum huiusmodi exempti esse debeant, ac Pii V duodecim congregationibus praefatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, et Bonifacii VIII, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, immunitatibus, litteris apostolicis, Ordinibus, congregationibus, militiis, monasteriis, conventibus, regularibus locis, capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis, tam secularibus quam regularibus, generaliter vel specialiter, sub quacumque formâ et verborum expressione, ab eâdem Sede, etiam ex causâ concordiae, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut aliàs ex qualibet aliâ causâ, etiam hic[1] non expressâ et necessario exprimendâ, concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque;

§ 13. Quodque si praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis,

1 Edit. Main. legit *hinc* pro *hic* (R. T.).

vel quibusvis aliis communiter aut divisim a praefatâ sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, necnon personis earumque nominibus et cognominibus, ecclesiis, monasteriis et ordinibus ac locis huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, quandocumque concessis, confirmatis et innovatis, etiam solutionem decimarum aliàs quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri; neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere similiter declaramus; aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis huiusmodi impositionibus et concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quae sint, factis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clementis V constitutio servetur.

§ 14. Insuper in percipiendis decimis praedictis constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V similiter praedecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam praecipimus, ne quisquam, etiam plura quantieumque valoris beneficia ecclesiastica, seu plures pensiones aut fructus, seu talia mixtim obtinens, pro litterâ et sigillo quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra unum carolenum, conficientem quatrenos triginta septem monetae romanae, solvere teneatur, nec ad aliud ônus etiam praetextu cambii uspiam compellatur.

Rerum poenae in contrafacientes.

§ 15. Ceterum volentes illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine poenae et publicâ disciplinâ compescere, omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali dignitate potiantur, qui de huiusmodi exigendis decimis aliquid usurpare seu subtrahere, aut sibi, ratione ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, seu pensionum per eos obtentarum, ut praefertur, retinere, aut in illas exigendo, colligendo vel conservando fraudem vel deceptionem aliquam committere malitiose praesumpserint, interdicimus a divinis, ac maioris excommunicationis et etiam privationis ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum quae obtinent, et pensionum quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, sententias, censuras et poenas incurrere volumus ipso facto, itaut ab eâdem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis articulo, absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Transumptorum fides.

§ 16. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras ad singula quaeque loca et quocumque illis opus erit perferre, volumus ut illarum exemplis, etiam impressis, et notarii publici manu, ac Antonii episcopi et cardinalis, ac camerarii praefati, aut thesaurarii, seu alterius ab

eisdem deputati collectoris, seu praelati ecclesiarum eiusve curiae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in indicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Ut autem praesentes ad eorum notitiam deducantur, eas valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis, ac basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et cancellariae apostolicae affigi seu appendi faciemus, quae se suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt, ut ii, quos praemissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum et impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, depntationis, tributionis, declarationis, voluntatis et praecepti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCLXI, IX kalendas aprilis [1], pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 martii 1661, pontif anno VI.

✠ EGO ALEXANDER

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

†

† Ego Franciscus episcopus Portuensis cardinalis Barberinus, S. R. E. vicecancellarius.

[1] Male edit. Main. habet *martii* (R. T.).

† Ego Bernardinus episcopus Praenestinus cardinalis Spada.

† Ego Iulius episcopus Sabinensis cardinalis Sacchettus.

† Ego Martius episcopus Albanensis cardinalis Ginettus.

†

†

†

† Ego Hieronymus tituli S. Laurentii in Lucina cardinalis Columna.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Mariae Transtyberim cardinalis Pallottus.

†

† Ego Uldericus tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Carpineus.

† Ego M. Antonius tituli S. Mariae de Pace cardinalis Franciottus.

† Ego Stephanus tituli S. Laurentii in Pane et Pernâ cardinalis Duratius.

†

† Ego frater Vincentius Maculanus tituli S. Clementis cardinalis S. Clementis.

†

†

† Ego Hieronymus tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio cardinalis Grimaldus.

†

† Ego Angelus tituli Ss. Quirici et Iulitae cardinalis Georius.

† Ego Nicolaus tituli S. Mariae Angelorum cardinalis Ludovisius, maior poenitentiarius.

†

† Ego Federicus tituli S. Anastasiae cardinalis Sfortia.

† Ego Benedictus tituli S. Onufrii cardinalis Odescalcus.

†

† Ego Camillus tituli S. Petri in Monte Aureo cardinalis Astallius.

†

† Ego Aloysius tituli S. Alexii cardinalis Homodeus.

†

† Ego Iacobus tituli S. Mariae Transpontinae cardinalis Corradus.
† Ego Laurentius tituli S. Chrysogoni cardinalis Imperialis.
† Ego Gibertus tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Borromeus.
† Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Caelio cardinalis Sanctacrucius.
† Ego Baccius tituli Ss. Nerei et Achillei cardinalis Aldobrandinus.
† Ego Ioannes Baptista Spada tituli sancti Marcelli cardinalis S. Susannae.
† Ego Franciscus tituli S. Mariae in Viâ cardinalis Albitius.
† Ego Octavius tituli S. Coeciliae cardinalis de Aquaviva.
† Ego Flavius tituli S. Mariae de Populo cardinalis Chisius.
†
†
† Ego Iulius tituli S. Sixti cardinalis Rospigliosius.
† Ego Nicolaus tituli S. Eusebii cardinalis a Balneo.
†
†
† Ego Franciscus tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Paulutius.
†
† Ego Sfortia tituli S. Salvatoris in Lauro cardinalis Pallavicinus.
†
†
†
†
†
†
† Ego Virginius S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis Ursinus.
† Ego Rainaldus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis Estensis.
†
† Ego Paulus Emilius S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Rondininus.
†
† Ego Laurentius S. Eustachii diaconus cardinalis Raggius.
†
†
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Barberinus.
† Ego Carolus S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis Pius.
†
† Ego Decius S. Hadriani diaconus cardinalis Azzolinus.
†
†
† Ego Franciscus Maria Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Mancinus.
†
†

CCCXXXVI.

Declaratio quod abbates, priores, guardiani et alii superiores parvorum conventuum non habentium praescriptum numerum religiosorum ad synodum dioecesanam accedere teneantur, si ad eam vocentur ab episcopo uti Sedis Apostolicae delegato[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Cum (sicut accepimus), posito decreto felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri incipiente *Ut in parvis*, etc., die x februarii MDCLIV edito, quo parvi conventus, non habentes praescriptum numerum religiosorum, visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolicâ delegati, plene in omnibus subiiciuntur, dubitetur, an abbates, priores, guardiani et alii praedictorum conventuum superiores ab epi- Declarat ut in rubricâ.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

scopo vocati ad dioecesanam synodum accedere teneantur: nos, eiusmodi dubium tollere cupientes, praedictos ebbates, priores, guardianos et alios parvorum conventuum buiusmodi superiores ed synodum dioecesanam accedere teneri, si ad eem ab episcopo, uti Sedis Apostolicae delegato, vocentur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus. Et ita ab omnibus, ad quos pertinet, servsri praecipimus.

Decretum irritans. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, valides et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ec irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis ordinum, congregationum et institutorum, etiem iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hec vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX martii[1] MDCLXI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. 30 martii 1661, pontif. anno VI.

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *maii* (R. T.).

CCCXXXVII.

Cassatio electionis Margarithi Guanguelin in rectorem monasteriorum Carmelitanarum Excalceatarum regni Franciae, cum alterius rectoris deputatione, aliisque ordinationibus.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Cum (sicut accepimus), defuncto nuper Iacobo Carton[1], dum vixit, uno ex tribus rectoribus et administratoribus monasteriorum monialium Carmelitanarum Excalceatarum in regno Franciae consistentium, dilecti filii Carolus de Gamache et Martinus Grandiu superstites, eorumdem monasteriorum rectores et administratores, dilectum pariter filium Margarithum Guanguelin presbyterum in tertium rectorem et administratorem monesteriorum huiusmodi loco praedicti Iacobi defuncti elegerint, et, occasione absentiae a civitate Parisiensi venerabilis fratris Caelii archiepiscopi Caesareae, nostri et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nuncii, electionem huiusmodi a quodam vicario venerabilis fratris archiepiscopi Parisiensis in spiritualibus generali confirmari curaverint[2], seu idem Margarithus curaverit, ipseque Margarithus sine eiusdem Caelii archiepiscopi nuncii consensu munus tertii rectoris et administratoris dictorum monasteriorum assumpserit; nos, qui easdem moniales uti peculiares nostras et huius Sanctae Sedis filias in visceribus gerimus paternae charitatis, pastorali sollicitudine et providentiâ praecavere cupientes ne quae praemissis seu illorum occasione

1 Breve istud praesupponitur iis quae habentur supra pag. 615, ideoque debuerat anteferri Const. CCCXIII ibi relatae, et referri ad pag. 555 huius voluminis (R. T.).

2 Edit. Main. legit *curaverunt* (R. T.).

navatur[1] materia contentionum, unde ipsarum monialium religiosa tranquillitas perturbetur, aliisque iustis et rationabilibus ex causis nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, electionem dicti Margarithi in tertium rectorem et administratorem praefatorum monasteriorum a memoratis Carolo de Gamache et Martino Grandiu necnon eiusdem electionis confirmationem a praefato vicario generali, sicut praemittitur, respective factas, cum inde sequutis quibuscumque, tenore praesentium cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac cassas, irritas et nullas, viribusque et effectu vacuas esse et perpetuo fore decernimus et declaramus. Districte inhibentes praefato Caelio archiepiscopo nuncio ne dicti Margarithi electionem huiusmodi confirmet, ullumve[2] desuper consensum praestet, omnibus vero et singulis monialibus praedictis, earumque priorissis et superiorissis quibuslibet, ne ipsum Margarithum in earum rectorem et administratorem seu superiorem ullatenus admittant seu recognoscant, ullamve ei tamquam tali obedientiam vel reverentiam exhibeant, ipsi autem Margaritho, sub excommunicationis latae sententiae poenâ per eum in casum contraventionis ipso facto incurrendâ, apostolicâ auctoritate praecipientes et prohibentes ne in administratione, regimine et gubernio praefatarum monasteriorum, aut alicuius illorum, sese immiscere seu ingerere, aut uti rectorem et administratorem monasteriorum huiusmodi, seu alicuius eorum, publice vel privatim, tam coniunctim quam divisim, se gerere ullo modo audeat vel praesumat. Praeterea, prospero felicique eorumdem monasteriorum regimini et gubernio quantum nobis ex alto conceditur providere volentes, ac de dilecti filii Renati Almeras praepositi generalis Congregationis presbyterorum secularium Missionis nuncupatorum charitate, prudentiâ, dexteritate, industriâ et experientiâ, temporaliumque circumspectione, et religionis zelo plene in Domino confisi, eumdem Renatum in tertium rectorem administratorem memoratorum monasteriorum monialium in locum praedicti Iacobi defuncti, cum omnibus et singulis facultatibus quae similibus rectoribus et administratoribus a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro per suas anno Incarnationis Dominicae MDCIII, idibus novembris, super erectione primi in regno Franciae praedicto memoratarum monialium Carmelitanarum Excalceatarum monasterii sub plumbo expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus pro pleno et sufficienter expresso haberi volumus, concessae fuerunt (salvâ tamen subsequutarum litterarum apostolicarum, et praecipue nostrarum in simili formâ Brevis die II octobris MDCLIX et die XIII ianuarii proxime praeteriti super controversiis inter visitatores ac rectores et administratores eorumdem monasteriorum vertentibus respective emanatarum in omnibus et per omnia dispositione), motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus constituimus et deputamus. Ad haec nullam monialem, quae praefatis nostris in formâ Brevis litteris inobediens sit vel fuerit, in priorissam seu alterius nominis superiorissam cuiuscumque ex praefatis monasteriis eligi seu assumi, aut prius electam seu assumptam in eiusmodi priorissae seu superiorissae munere confirmari posse decernimus pariter, ac statuimus et ordinamus. Ac praemissa omnia et singula a praefatis visitatoribus, necnon rectoribus et admini-

Irritat electionem de qua in rubrica.

In casu contraventionis excommunicatione punit.

Clementis VIII confirmat decretum.

1 Lege *ne qua ... nascatur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *ullamve* (R. T.).

stratoribus, ac priorissis et superiorissis et monialibus quibuscumque monasteriorum huiusmodi, sub inobedientiae et privationis officiorum poenis, si ipsi contravenerint, absque aliâ declaratione incurrendis, inviolabiliter et inconcusse observari mandamus et praecipimus.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes quoque easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praefati Carolus et Martinus ac Margarithus, aliique quilibet, etiam speciali et individuâ mentione digni, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis fuerint, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, sive causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno et substantiali, ac specificam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, et alios quoslibet, quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, indicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praefatis nostris litteris voluimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI aprilis MDCLXI[1], pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 aprilis 1661, pontif. anno VI.

CCCXXXVIII.

Facultas magno magistro et consilio hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani concedendi prioribus linguae Franciae eiusdem hospitalis licentiam permutandi iurisdictiones[2].

Dilectis filiis magno magistro et consilio hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Alexander Papa VII.

[1] Debet legi *1660* ut constat ex dictis supra ad pag. 682 *b*, nota 1 (R. T.).

[2] Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores linguae Franciae istius hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod in praeceptoriâ seu commendâ de Chenus nuncupatâ prioratus Franciae dicti hospitalis reperitur quoddam feudum *la Battaglia* nuncupatum, quod, si eidem praeceptoriae seu commendae cum suis iurisdictionibus, censibus et aliis iuribus uniretur, id in evidentissimam praeceptoriae seu commendae huiusmodi utilitatem cederet, praecipue ratione iurisdictionis quam possessores dicti feudi in multis locis ipsius praeceptoriae seu commendae exercent.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praeviâ informatione per commissarios a conventu hospitalis praedicti deputatos captâ, habitâque deliberatione capituli provincialis dicti prioratus, exponentes ipsi cum memoratis possessoribus dicti feudi de faciendâ iurisdictionum, censuum, aliorumque iurium praedictorum, cum aliis iurisdictionibus, censibus et iuribus ad membrum de Clici nuncupatum a praefato prioratu Franciae dependens spectantibus, modicamque eidem prioratui utilitatem reddentibus, permutatione, reservato tamen nostro et huius sanctae Sedis, vestroque beneplacito, convenerint, ita scilicet ut iurisdictiones, census et alia iura dicti feudi praefatae praeceptoriae seu commendae illiusque commendatario seu praeceptori assignentur, cum onere tamen praestandi priori pro tempore existenti dicti prioratus Franciae pensionem annuam in recompensationem iurisdictionum, censuum et aliorum iurium dicti membri possessoribus feudi praefati vigore permutationis huiusmodi assignandorum: nobis propterea dicti exponentes, asserentes praemissa, si fiant, in evidentem linguae praefatae cessura esse utilitatem, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, si tamen et postquam (vocatis qui fuerint evocandi, ac praemissis omnibus et singulis circumstantiis universis prius coram vobis specificatis) de permutatione huiusmodi, quodque illa, si fiat, in evidentem linguae praefatae sit cessura utilitatem, vobis coniunctim procedentibus legitime constiterit, super quo conscientiam vestram oneramus, exponentibus praefatis, ut eamdem permutationem sicut in memorato capitulo provinciali prioratus Franciae resoluta et stabilita fuit, facere, aliosque actus et instrumenta quaecumque desuper necessaria seu opportuna celebrare et exequi libere et licite possint et valeant, licentiam auctoritate nostrâ apostolicâ concedendi plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur. — A censuris absolvit, et annuit petitis.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum hospitalis, linguae et prioratus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, — Contrariis derogat.

indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae. § 4. Volumus autem ut, si permutatio huiusmodi vigore praesentium fiat, iurisdictiones, census et alia iura secundodicta pro quacumque evictione iurisdictionum, censuum et aliorum iurium primodictorum, in eventum quo haec quovis modo evinci contingat, semper obligata et in specie hypothecata remaneant.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 aprilis 1661, pontif. anno VII.

CCCXXXIX.

Concessio privilegiorum praelationis et non appellationis suspensivae usque ad summam ducentum quinquaginta scutorum monetae romanae universitati et hominibus mercatorum fundacalium de Urbe pro suarum pretio mercium, seu rerum fundacalium, quae ad usum indumentorum inserviunt dumtaxat, iuxta formom Brevis Urbani VIII mercatoribus de fundaco concessi, uti illis fruebantur antequam eorum universitas ab universitate mercatorum de fundaco separaretur [1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas et consules mercatorum fundacalium ecclesiae S. Sebastiani et Valentini huius nostrae almae Urbis, quod ipsi eorum artis merces et res ad indumentorum usum variis et diversis personis pro ipsis emptoribus eorumque uxoribus, filiis et familiis, habitâ fide de pretio, ut plurimum vendere sunt soliti; sed, quando pro satisfactione instant, vel per anteriores seu potiores creditores excluduntur, vel per dilatorias exceptiones aut appellationes tamdiu defatigantur, ut non sine ingenti eorum iacturâ creditum cogantur amittere.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, aliàs per felicis recordationis Urbanum Papam VIII praedecessorem nostrum universitati et hominibus mercatoribus de fundaco et mercantiâ nuncupatis dictae Urbis eorumque haeredibus et successoribus inter cetera fuerit indultum, quod pro mercium ac rerum ad ipsorum artem spectantium pretio, post pistores et aromatarios eiusdem Urbis, omnibus et singulis aliis quibusvis defuncti, licet anterioribus aut potioribus, creditoribus etiam quaslibet obligationes camerales et publica instrumenta, etiam iuramento et quavis hypothecâ vallata, etiam causâ dotis et quaslibet alias clausulas seu cautelas in se continentes habentibus, usque ad summam quinquaginta scutorum monetae romanae tantum praeferantur et praeferri debeant, dummodo quoad dotes probetur versio in utilitatem viri et uxoris ac filiorum in communione viventium; praeterea, quod in causis eorumdem mercatorum non esset locus appellationi suspensivae pro eâ pecuniarum dumtaxat summâ, pro qua in causis aromatariorum et pistorum praedictorum vigore indultorum apostolicorum eis concessorum contra eosdem non datur pariter appellatio suspensiva, prout in quibusdam dicti Urbani praedecessoris litteris die XVII ianuarii MDCXLIII desuper in simili formâ

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Brevis expeditis uberius continetur; cumque his mercatorum fundaci privilegiis memoratorum exponentium universitas eiusque homines coram quocumque iudice fuerint usi, durante eorum cum praedictis fundaci mercatoribus unione, quae nuper, ad dirimendas varias lites et dissensiones occasione unionis huiusmodi exortas, fuit dissoluta et divisa perinde ac si illa nunquam unita fuisset, quam unionis dissolutionem et divisionem nos per nostras die XXII decembris proxime praeteriti etiam in formâ Brevis litteras approbavimus; idcirco, ne, dissolutione et resolutione unionis huiusmodi attentis, dubitari contingat dictos exponentes praedictis privilegiis et indultis uti non posse, nobis ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universitati exponentium ac eius hominibus pro suarum pretio mercium, seu rerum fundacalium, quae ad indumentorum usum inserviunt dumtaxat, ac modo et formâ et pro iisdem mercatoribus fundacalibus uti fruebantur ante praefatam unionis dissolutionem et divisionem, et non aliàs, praelationis et non appellationis privilegia ad primodictam summam scutorum quinquaginta monetae iuxta formam praedictarum Urbani praedecessoris in formâ Brevis litterarum, quarum tenorem praesentibus pro plene et de verbo ad verbum expresso et inserto haberi volumus, auctoritate apostolicâ, earumdem[1] tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Concedit prout in rubricâ.

§ 3. Decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici et curiae camerae apostolicae generalem auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum in arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 6 maii 1661, pontif. anno VII.

CCCXL.

Commissio exequutionis quorumdam decretorum pro provinciâ Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae archiepiscopis Tolosano et Burdegalensi[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et definitores provinciae Ss. Ludovici et Elzearii tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Gallicanae, quod aliàs, videlicet anno MDCLIX, per dilectum filium Leonem

Expositio.

1 Male edit. Main. legit *eorumdem* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

de Peguillam fratrem et assertum procuratorem fratrum Aquitanorum Ordinis et provinciae huiusmodi exposito, quod fratres Lugdunenses eorumdem Ordinis et provinciae, et praecipue contra modernum ministrum provincialem, diversa habebant gravamina, propter quae contra praedictos viâ iuris volebant agere et causam habere: nos, ad supplicationem dicti Leonis causam et causas, quam et quas super praemissis contra dictos adversarios habere et movere volebat, cum omnibus suis dependentiis, incidentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, venerabilibus fratribus episcopis Agennensi, Lectorensi et Montis Albanensis, seu alteri ex ipsis, commisimus; sed, eum postea rescivissemus, quod congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita praeteosae causae et causarum et praecipue negotii principalis praefati cognitionem suscepisset, totumque negotium, partibus informantibus dilecto filio nostro Ioanne Baptista tituli S. Petri ad Vineola eiusdem S. R. E. presbytero cardinale Pallotto nuncupato referente pluries, terminasset, dictam commissionem, tacitis praemissis a signaturâ nostrâ iustitiae subdole extortam, revocavimus per nostras litteras XIV kalendas decembris MDCLIX expeditas, mandando commissario quatenus suas inhibitiones moderaretur, ac si dictae commissionis litterae non emanassent. His tamen non obstantibus dictus commissarius, nempe episcopus Agennensis, seu eius officialis, etiamsi dicta revocatio debite ipsi seu ipsis significata fuerit, a suis actibus et processibus noluit desistere, quinimo dictam revocationem suae praefatae commissionis sententialiter declaravit sobreptitiam, dictum ministrum provincialem, definitoresque iam secundo citavit, minsturque censuras, nisi compareant, in dilectum pariter filium Henricum fratrem dictae congregationis Gallicanae quasi contumacem sententiam tulit, et alia multa fecit in grave damnum et perturbationem totius dictae provinciae, ita ut etiam de eius mandato superiores a definitorio et capitulo provinciali pro conventibus Aquitanis designati a duobus circiter annis e suis conventibus exulare cogantur, et dicti conventus cum fratribus in ipsis degentibus a iurisdictione ministri provincialis et aliorum superiorum seditiose eximantur; imo etiam ministro provinciali moderno muneri suo fungenti in quibusdam ex iis conventibus novissime negatos fuerit ingressus contra multa praefatae congregationis cardinalium decreta et nostras in simili formâ Brevis litteras eorumdem decretorum confirmatorias sub diebus XI februarii MDCLIX, et XIV kalendas decembris eiusdem anni, ac IX ianuarii MDCLX respective emanats seu emanatas. Quare ipsi exponentes, ut malis et scandalis huiusmodi remedium adhibeatur, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum aliàs emanatum.

§ 2. Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, attentis narratis, inhaerendo decreto emanato sub die XVII septembris proxime elapsi, ut tandem huiusmodi negotio iam totiès agitato finis imponatur,

et memoratae provinciae tranquillitas et pax restituatur, executionem decretorum congregationis eorumdem cardinalium super negotiis dictae provinciae contra praefatos fratres Aquitanos nuper emanatorum, necnon etiam nostrarum in formâ Brevis litterarum sub diebus XI februarii MDCLIX et XIV kalendas decembris eiusdem anni et IX ianuarii MDCLX pro eorum confirmatione desuper editarum, denuo auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, committimus et iniungimus venerabilibus fratribus archiepiscopis Tolosano et Burdegalensi, seu alteri ex ipsis, vel, iis absentibus aut impeditis, eorum officialibus et vicariis generalibus, qui iuxta illorum formam et tenores fieri, exequi et adimpleri mandent et faciant; contradictores quoscumque ac rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris et facti remedia, omni appellatione postpositâ, compescendo.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus litteris praenarratae commissionis emanatis sub die XII augusti MDCLIX, stante illius subsequutâ revocatione sub die XVIII novembris eiusdem anni, necnon memorati commissarii inhibitionibus, dispositionibus et quibuslibet ordinationibus eius vigore relaxatis et peractis, omnibusque aliis praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 maii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLI.

Facultas congregationi generali Societatis Iesu eligendi vicarium perpetuum, cum futurâ successione in generalatu[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam

Motiva. § 1. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Goswinus Nickel, praepositus generalis Societatis Iesu, sentiens se ob senii gravitatem et corporis impedimenta non posse amplius tot ac tantis officii sui laboribus parem esse, et eo animi vigore, quo optâret, Societatis gubernationem administrare, congregationi generali eiusdem Societatis proposuit, ut vicarium sibi adiungeret Societati aptum et convenientem, cum iure futurae successionis, ipsa vero congregatio, etsi unice optaret eidem Goswino praeposito generali, bene de universâ Societate merito, integritatem virium et plenum regimen ac diuturnum, tamen, cum tam provectae aetatis infirmitas superari non possit, grato animo propositionem factam acceptavit, et re per biduum Domino diligenter commendatâ ac discussâ, tandem secretis iisque concordibus suffragiis decreverint eligendum esse vicarium perpetuum, cum iure successionis et cum universali ac libero exercitio potestatis, idque ut necessitati rursum, ac forte brevi, convocandae tot expensis ac periculis congregationis generalis, quantum humana consilia ferunt, occurratur: hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus pastorali sollicitudine, Societatis praefatae, quae copiosâ virorum pietate doctrinâque insignium sobole instructa et ornata uberes in Ecclesiâ Dei fructus ad animarum salutem ubique terrarum, divinâ gratiâ largiente, in dies profert, utilitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratorum Goswini praepositi generalis et congregationis generalis votis Facultatem concedit ut in rubrica.

[1] Ex Regest. in Secr. Brev.

paternâ benignitate annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem congregationi generali vicarium perpetnum cum futurâ ad eius favorem in officio praepositi generalis dictae Societatis, quandocumque illud per obitum, cessionem, renunciationem vel dimissionem memorati Goswini praepositi generalis seu aliàs quomodolibet ex illius personâ vacare contigerit, successione, ac cum universali et libero exercitio potestatis, servatis aliàs servandis, eligendi plenam et amplam facultatem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Clausulas apponit.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali specialemque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Societatis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati, eiusque praeposito generali, et aliis superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, nón autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, expri-

merentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iunii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 31 iunii 1661, pontif. an. VII.

CCCXLII.

Commissio episcopo Rhedonensi super publicatione iubilaei novissime concessi in locis Fontis Bellausii et Moreti Senonensis dioecesis[1].

Venerabili fratri Henrico episcopo Rhedonensi, Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concedit prout in rubrica.

§ 1. Cum, sicut carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus nobis nuper exponi fecit, nostrae in simili formâ Brevis litterae die II martii proxime praeteriti emanatae, per quas omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui praescripta in eisdem litteris peragerent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra almam Urbem, nostri praedecessores concedere consueverunt, sub certis modo et formâ ibidem expressis concessimus et elargiti sumus, in dioecesi Senonensi publicatae hactenus non fuerint, cupiatque propterea ipse Ludovicus rex opportune ut infra a nobis indulgeri: nos, ad praeclarą eiusdem Ludovici regis in nos et Sedem Apostolicam fidei et devotionis aliaque multiplicia merita, necnon eximias et christianissimo rege dignas virtutes, quibus eum largiter insignivit Altissimus, paternae dirigentes considerationis intuitum, piisque ipsius Ludovici regis votis quantum nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere cupientes, necnon praefatarum litterarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut supradictarum litterarum nostrarum transumptum seu exemplum in locis Fontis Bellausii et Moreti dictae dioecesis Senonensis auctoritate nostrâ apostolicâ publices et publicari facias, ecclesiamque seu ecclesias iuxta earumdem litterarum praescriptum visitandas itidem respective designeș; nos enim quamcumque necessariam et opportunam tibi in praemissis facultatem dictâ auctoritate, earumdem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, praedictis nostris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae in eis voluimus obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X iunii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 iunii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLIII.

Facultas regi catholico applicandi decem millia ducatorum ex fructibus commendarum militiae de Calatrava in fabricam ecclesiae et monasterii monialium Conceptionis B. M. V. Immaculatae oppidi Madriti dioecesis Toletanae eiusdem militiae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Carissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico,
Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod tu, qui militiae de Calatrava, Cisterciensis seu alterius Ordinis, administrator perpetuus auctoritate apostolicâ deputatus existis, summam decem millium ducatorum monetae Hispaniarum ex fructibus et proventibus praeceptoriarum seu commendarum eiusdem militiae in fabricam ecclesiae et monasterii regii monialium Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae oppidi Madriti dictae militiae seu Ordinis de Calatrava Toletanae dioecesis applicare posse plurimum desideras;

Facultatem concedit prout in rubrica. § 1. Quare nobis humiliter supplicari fecisti ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, piis maiestatis tuae votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem maiestati tuae summam decem millium ducatorum monetae huiusmodi semel tantum ex fructibus, redditibus et proventibus praeceptoriarum seu commendarum dictae militiae nunc vacantium et posthac vacaturarum, deductis tamen inde prius illarum oneribus, in fabricam ecclesiae et monasterii praefatorum auctoritate nostrâ apostolicâ applicandi plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur, eâ tamen lege ut nonnisi medietas fructuum, redditunm et proventuum uniuscuiusque ex praefatis praeceptoriis seu commendis sumatur, et integra summa decem millium ducatorum huiusmodi in supra expressos et non alios usus expendatur, ac statim atque illa ex eisdem fructibus, redditibus et proventibus conflata fuerit, praesens gratia expiret et expirasse censeatur eo ipso.

Derogat contrariis. § 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 iunii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLIV.

Confirmatio litterarum abbatis et capituli generalis Ordinis Cisterciensis, anno MCCXLIV emanatarum, per quas monasterium B. Mariae Regalis, dicti de Maubuisson, dicti Ordinis, immediate subiicitur iurisdictioni et superioritati abbatis Cistercii[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Catharina Angelica d'Orléans, abbatissa monasterii monialium B. Mariae Regalis, dicti de Maubuisson, iuxta Pontisaram Cisterciensis Ordinis, Parisiensis dioecesis, quod dudum, ad instantiam clarae memoriae Blanchae, dum vi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

xit Francorum reginae illustris, eiusdem monasterii fundatricis, ipsum monasterium filiationi abbatis et conventus Cistercii fuit a capitulo generali dicti Ordinis incorporatum, atque omnimodae iurisdictioni et superioritati eiusdem abbatis Cistercii tamquam patris immediati subiectum, prout uberius contineri dicitur in litteris tenoris qui sequitur, videlicet:

Litteras abbatis et capituli generalis Ordinis Cisterciensis alias editas refert.

« Nos, frater Claudius Vaussin, abbas Cistercii, sacrae theologiae in facultate Parisiensi doctor, christianissimo regi a sanctioribus consiliis, et in supremo Burgundiae senatu primus consiliarius natus, universi Cisterciensis Ordinis caput ac superior generalis, eiusdemque capituli generalis plenariâ auctoritate fungens, omnibus praesentes litteras inspecturis notum esse volumus, quod, cum exhibitae nobis fuerint patentes quaedam litterae a reverendissimo praedecessore nostro piae memoriae Bonifacio abbate Cistercii et capitulo generali de anno MCCXLIV emanatae, quarum tenor sequitur, et est talis: « Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, frater Bonifacius abbas Cistercii, totusque conventus abbatum capituli generalis, salutem in salutis authore. Universitati vestrae praesentium significatione intimamus, quod, cum domina Blancha, illustris regina Franciae, nobilem abbatiam sanctimonialium, quae dicitur abbatia B. Mariae Regalis iuxta Pontisaram, fundasset, aedificasset et sufficienter dotasset pro remedio animae suae et suorum, cupiens imposterum providere quieti et paci dictarum sanctimonialium ibidem Deo servientium, voluit et humiliter postulavit, quod esset abbatis et conventus Cistercii filia specialis. Nos igitur, laeto animo tantae dominae precibus annuentes, ordinamus et statuimus, ut dicta abbatia B. Mariae Regalis ita pleno iure pertineat ad abbatem et conventum Cistercii supradictos quoad institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem et reformationem, et omnia alia, quae patri abbati in suâ filiâ competunt de iure Ordinis Cisterciensis, quod nulla alia persona in eâ ius sibi aliquod valeat vendicare: in eius rei testimonium praesentes litteras praedictis abbatissae et conventui misimus sigilli nostri munimine roboratas[1]. Actum anno Domini MCCXLIV tempore capituli generalis et sigillatum ». « Frater Bonifacius dictus abbas et conventus Cistercii, dilectis in Christo abbatissae et conventui B. Mariae Regalis iuxta Pontisaram salutem, et continuos in sanctâ religione profectus. Cum ad petitionem dominae Blanchae illustris reginae Franciae statuerit capitulum generale, ut abbatia vestra, quam praedicta regina fundavit, nobiliter aedificavit et dotavit, sit filia Cistercii specialis, nos similiter attendentes piam devotionem praedictae dominae, vos in curam nostram recipimus: ita quod in perpetuum ad nos pertineat in omnibus et per omnia visitatio, correctio et reformatio domus vestrae, et cetera, quae in litteris capituli generalis continentur. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem vobis transmittimus praesentes litteras sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno Domini MCCXLIV et sigillatum »: nos praesentes de verbo ad verbum supra expressas litteras approbavimus et acceptavimus, uti serie praesentium approbamus et acceptamus, gratasque et ratas habemus, iisdemque novum robur, quatenus opus foret, novamque firmitatem adiicimus.

Datum Cistercii die XXI mensis novembris anno Domini MDCLIX, sub nostro manuali signo, secretarii nostri chirographo, et maioris nostri sigilli appositione.

Claudius abbas Cisterciensis generalis, sit signatum: *et infra:* De mandato prae-

1 Edit. Main. legit *roboratis* (R. T.).

dicti reverendissimi domini abbatis mei generalis, Franciscus Destrécby secretarius, ita subscriptum et sigillatum ».

Petitio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictum monasterium, eiusque abbatissa et conventus sub tali abbatis Cistercii superioritate feliciter hactenus perseveraverint; quo vero imposterum quoque perseverare nec a quoquam in tali iure molestari et turbari valeant, memorata Catharina Angelica abbatissa plurimum cupiat praemissa apostolicae confirmationis nostrae robore communiri:

Confirmat decretum. § 3. Nos, ipsam Catharinam Angelicam abbatissam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutam fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii nostri et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nuncii audiverunt, consilio, attentis narratis, praeinsertas litteras, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ita ut erectionis memorati monasterii S. Mariae Regalis ratio habeatur, eiusdemque circa assertam subiectionem tenor et forma servetur.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 30 iunii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLV.

Confirmatio et innovatio litterarum Clementis VIII et Pauli V contra fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini conquirentes dignitates in eâdem religione ad requisitionem personarum extra Ordinem constitutarum.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, ut illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostri pro felici christifidelium, qui abnegantes semetipsos Altissimi obsequiis sese sub suavi religiosae humilitatis iugo manciparunt, directione et quiete salubriter constituta esse dignoscuntur, quo serventur in posterum exactius, innovemus et apostolicae confirmationis nostrae munimine constabiliamus. Prooemium.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanavit constitutio tenoris qui sequitur, videlicet: *Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Quoniam nemo debet sibi assumere honorem nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, etc.[1]: Decretum Clementis VIII,

Et subinde recolendae memoriae Paulus V praedecessor noster constitutionem pariter edidit tenoris sequentis, videlicet: *Paulus Papa V, ad perpetuam rei memoriam.* Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, etc.[2]. Et Pauli V.

§ 2. Cum autem ea sit rerum humanarum conditio, ut constitutionum et or- Clementis et Pauli litteras confirmat.

1 Reliqua omittimus, quia Constitutio habetur in tom. XI, pag. 136 (R. T.).

2 Constitutio Pauli V habetur quoque in tom. XI, pag. 510 (R. T.).

dinationum, vel maxime salubrium, sensim lentescat vigor, quin etiam ex animis hominum paulatim elabatur memoria, nisi provida legislatorum vigilantia subveniat: hine est quod nos, inviolabili praeinsertarum constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere et ambitionis malum a praedicto Ordine fratrum Eremitarum sancti Augustini, in quo plurimos viros singulari pietate et doctrinâ insignes Deo famulari novimus, penitus excludere cupientes, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, praeinsertas Clementis et Pauli praedecessorum constitutiones, eum omnibus et singulis quomodolibet contentis in illis, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illas innovamus et adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi vel allegari posset, restituimus et plenarie reintegramus.

Decretum irritans. § 3. Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existant, inviolabiliter et inconcusse observari, neque de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, nec- Contraria tollit. non omnibus et singulis illis, quae praedicti Clemens et Paulus praedecessores in suis litteris praeinsertis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Ceterum pariter volumus ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 iulii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLVI.

Declaratio quod abbates Ordinis Cisterciensis, qui scilicet utuntur dispensatione apostolicâ circa esum carnium ubique acceptatâ, non possint privari voce activâ et passivâ, virtute sententiarum a visitatore apostolico emanatarum[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Expositio. Reipublicae Helvetiorum nobis expositum

[1] Vide ad Const. CLXXVIII huius Pontificis, *In supremi*, supra, pag. 312 huius tomi.

fuit, quod, cum dilecti filii abbates Ordinis Cisterciensis in eiusdem Reipublicae ditione existentes, convocati ad capitulum generale Cistercii in Galliâ pro more celebrandum, sese accingerent et praepararent ad iter, occulto rumore perceperunt quosdam religiosos Gallos eiusdem Ordinis dictos Abstinentes, contra antiqua ipsorum iura, nunquam hactenus controversa, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese praevalere quibusdam sententiis a bonae memoriae Francisco dum vixit S. R. E. cardinale de la Rochefaucauld nuncupato emanatis, qui, cum a felicis recordationis Gregorio Papa XV et Urbano Papa VIII praedecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda et iuxta statuta eiusdem Ordinis a Romanis Pontificibus confirmata reformanda monasteria dicti Ordinis quae in Galliâ indigerent reformatione, et tamen ea nullatenus visitasset, nihilominus dicti Abstinentes, contra formam litterarum apostolicarum et statuta apostolica, duas sententias ab eo obtinuerunt, quibus omnes abbates et religiosos communis observantiae (qui scilicet utuntur dispensatione apostolicâ circa esum carnium ubique acceptatâ atque a nobis per nostras in simili formâ Brevis litteras die x novembris MDCLVII expeditas approbatâ) inter alia signanter praetendunt esse privatos voce activâ et passivâ in electionibus abbatis generalis et quatuor primorum abbatum, vicariorum provinciarum, procuratoris generalis in curiâ, et aliorum publicorum officialium, administratione collegii Parisiensis communis studii dicti Ordinis, receptione novitiorum ad communem observantiam, aliisque iuribus pertinentibus ad abbates et capitulum generale, et in vim dictarum sententiarum ipsos solos Abstinentes redditos capaces dignitatum et officiorum dicti Ordinis et independentes a iurisdictione ordinariâ superiorum et capituli generalis esse praesumunt.

Motiva

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, licet huiusmodi sententiae fuerint per iudices delegatos cassatae, atque a recolendae memoriae Innocentio Papa X etiam praedecessore nostro, super praetensis iuribus, Abstinentibus praedictis perpetuum impositum silentium, attamen iidem Abstinentes semper dictas sententias validas autument, et pro earum observatione diversos recursus habuerint, propter quas praesumptiones prorogatum fuit capitulum generale dicti Ordinis, donec nos super hac vexatione fuissemus consulti: idcirco nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ, memorati Ordinis quieti quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ac causae et causarum huiusmodi statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, et alia, etiam speciali expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, necnon causam et causas praedictas a quocumque tribunali et iudice ad nos harum serie avocantes, ac declarationem, approbationem et novam concessionem a nobis per praedictas litteras die x novembris MDCLVII emanatas circa esum carnium factas confirmantes, habitâ relatione de praemissis,

Declarat ut in rubrica.

§ 2. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium districte prohibemus, ne abbates et alii quicumque dicti Cisterciensis Ordinis communis observantiae religiosi, eiusmodi apostolicâ dispensatione circa esum carnium utentes, super libertate vocis activae et passivae in electionibus abbatis Cistercii generalis, aliorumve quatuor praecipuorum abbatum, vicariorum, provincialium, procuratoris generalis curiae, et aliorum publicorum officialium, in administratione et regimine collegii Pari-

siensis communis studii dicti Ordinis, in novitiorum ad communem observantiam cum usu talis dispensationis circa esum carnium, servatis servandis, receptione, eorumque educatione, nec in omnimodâ iurisdictione, quam ab initio eiusdem Ordinis habuerunt, et quibuslibet aliis iuribus, quae, ex vi regulae et saepedicti Ordinis constitutionum apostolicâ auctoritate confirmatarum, illis et capitulo generali competunt, ullatenus perturbentur, prohibeantur vel molestentur, prout non molestari, prohiberi seu perturbari mandamus et praecipimus, circumscriptis memoratis sententiis die XXVII iulii MDCXXXIV, augusti MDCXXXV a praefato apostolico visitatore (ut dicitur) emanatis, necnon quorumlibet aliorum iudicum, qui circa praemissa quidquam secus statuere vel decernere tentaverunt aut praesumpserunt, cum omnibus inde sequutis.

Clausulae additae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, et eius monasteriorum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II iulii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 2 iulii[1] 1661, pontif. anno VII.

CCCXLVII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo iniungitur generali et definitorio Ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae in regno Portugalliae, ut indulta degendi extra claustra religionis dicti Ordinis a quibuslibet quomodolibet absque Sedis Apostolicae facultate speciali quavis de causâ concessa revocent, et religiosos ad claustra sub suspensionis a divinis, excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, etc. redire cogant, ibique sub obedientiâ superiorum manere cogant et compellant[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii procuratoris generalis in Romanâ curiâ residentis Ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae in regno Portugalliae congregationi venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod superiores generales et definitores, qui antehac fuerunt, dicti Ordinis religiosis eiusdem Ordinis licentiam degendi habitu Motiva.

[1] Edit. Main. ad marg. legit iunii (R. T.).
[2] Ex Regest. in Secret. Brev.

regulari retento in domibus suorum genitorum, genitricum et suorum, sub praetextu illis subveniendi, concedere soliti fuerant; et quia ea res non solum expressae dispositioni quarumdam felicis recordationis Clementis VIII et Urbani VIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in simili formâ Brevis litterarum, sed etiam Dei servitio religionisque augmento adversabatur, dilecti pariter filii moderni superior generalis et definitores dicti Ordinis, inconvenientibus huiusmodi occurrendi, ac illis, quae ab eorum antecessoribus sine legitimâ auctoritate facta esse reperiebantur, remedium afferendi ergo, omnibus et singulis religiosis Ordinis praedicti, qui in domibus privatis sine licentiâ Sedis Apostolicae degebant, praeceperant, ut ad claustra sub obedientiâ regulari permansuri reverterentur; et in eâdem expositione subiuncto, quod nonnulli ex praefatis religiosis superioribus obedire renuerant, quinimo ad iudices laicos recurrerant litemque religioni intentabant; ideoque supplicato eidem congregationi, ut in praemissis opportune provideret: emanavit a dictâ congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. « Sacra Congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac ne, propter memorata indulta, talibus sub praetextibus, religiosis Ordinis huiusmodi praebeatur causa extra claustra vagandi, neque ideo regularis observantia relaxetur, censuit iniungendum, prout praesentis decreti tenore iniungit generali et definitorio eiusdem Ordinis ut dicta indulta, a quibusvis, seu quomodolibet, absque Apostolicae Sedis facultate speciali, quavis de causâ concessa, pro eorum zelo et regularis disciplinae studio eiusdem sacrae congregationis auctoritate revocent, ipsosque religiosos, quibus concessa esse praetenduntur ad claustra, sub suspensionis a divinis, excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis eisdem generali et definitorio benevisis, ac etiam per privationem suffragiorum, graduum et officiorum, et inhabilitationum ad ea et alia quaecumque imposterum obtinenda, redire, ibique sub obedientiâ superiorum manere cogant et compellant; praedictum autem generalem et definitorium a similibus concessionibus sive directe sive indirecte aut alio quovis modo in futurum sub iam dictis poenis omnino abstinere praecipit; exequutionemque praesentis decreti iudicibus conservatoribus religionis huiusmodi pro tempore existentibus demandat et committit: in contrarium non obstantibus quibuscumque.

Romae, III iunii MDCLXI.

M. cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secret ».

Confirmat decretum. § 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti; aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in

praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae appositae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus, super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. 7 iulii 1661, pontif. an. VII.

CCCXLVIII.

Erectio provinciae S. Ladislai regis in Sclavonia Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito ad ea propensis studiis iugiter intendimus, per quae religiosorum virorum, qui, relicto seculo, Dei obsequiis sese manciparunt, statui et felici directioni consulitur, ut, secundum laudabilia Ordinum suorum instituta gratum Altissimo impendentes famulatum, prosperioribus in dies benedicente Domino proficiant incrementis.

Supplicatio. § 1. Aliàs siquidem pro parte dilecti filii Lucii a S. Iusto tunc temporis commissarii generalis curiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis exposito, quod antea (postquam congregatio tunc existentium S. R. E. cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, Zagabriensem, Varasdiensem, Ormusdiensem, Crisiensem, Remeticensem, Ivanicensem et Capinensem conventus Ordinis praedicti in Sclavonia constitutos, necnon monasterium SS. Trinitatis Zagabriensium monialium Ordinis sanctae Clarae curae primodicti Ordinis subiectum, in novam custodiam ad praescriptum constitutionum Ordinis huiusmodi, cum praerogativis, titulis et praecedentiis consuetis, erigi mandaverat, dilectus pariter filius Paulus de Tauris, frater expresse professus provinciae Austriae dicti Ordinis, vigore mandati sibi super hoc a dilecto etiam filio Sebastiano a Caieta cismontanae familiae praedicti Ordinis commissario generali dati, septem conventus et monasterium huiusmodi, praeviâ illorum separatione a provinciâ Hungariae eiusdem Ordinis, in novam custodiam saepedicti Ordinis iuxta dispositionem decreti dictae congregationis super praemissis emanati erexerat) nos, supplicationibus dicti Lucii nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem supradictorum septem conventuum ac monasterii in novam custodiam Ordinis praefati, a memorato Paulo, sicut praefertur, factam, auctoritate apostolicâ confirma-

vimus et approbavimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris, die xx iunii MDCLVI desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Decretum praeinsertum confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii fratres custodiae praefatae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eamdem custodiam, quae, ut asserunt, in novem conventibus fratrum (adiunctis scilicet ad supradictos septem Caproncensi sub titulo S. Antonii Patavini et Chiaktoniensi conventibus sub titulo S. Nicolai episcopi) necnon praedicto monialium monasterio ad praesens consistit, pro maiori illius decore in novam dicti Ordinis provinciam a nobis erigi summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eamdem custodiam in novam memorati Ordinis provinciam, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, iuribus, gratiis et indultis, quibus aliae eiusdem Ordinis provinciae de iure, usu et consuetudine et aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt, ac solent et debent, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, sine cuiusquam praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari[1], sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedicti Ordinis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 iulii 1661, pontif. anno VII.

CCCXLIX.

Praeceptum, ut Breve felicis Urbani VIII, necnon decreta congregationis episcoporum et regularium super controversiis inter fratres Recollectos et fratres de Observantiâ provinciae Brittaniae Ordinis Minorum sancti Francisci vertentibus emanata, sub poenis expressis in illis exequutioni demandentur et observentur[2].

1 Vel legendum *observari* vel antea *illis* pro *ab illis* legendum (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Cyrillus Boullevic et Hilarius Pezron, fratres et procuratores speciales fratrum provinciae Brittaniae in Galliis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster inter cetera transtulit ius dictae provinciae a fratribus de Observantià ad Recollectos, et mandavit ne in praefatà provincià ullus in novitium inter dictos fratres de Observantià, sed inter Recollectos dumtaxat in posterum reciperetur, sub poenà nullitatis receptionum ac professionum aliter factarum, necnon poenis excommunicationis latae sententiae, ac officiorum et omniumactuum legitimorum privationis, ipso facto per superiores aliter recipientes incurrendis, ordinavitque eosdem Recollectos introducendos fore in Landerniensem et Briocensem conventus, ac in ceteros a dictis fratribus de Observantià sibi pro tempore relinquendos, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in simili formà Brevis die XXV maii MDCXXXIX ac die XXVI martii MDCXL et die XVII augusti MDCXLI respective expeditis, in sententiis commissariorum apostolicorum in partibus exequentium, et concordatis ex utràque parte initis uberius dicitur contineri. Postmodum vero nos decreto venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Portuensis, S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati, partibus in contradictorio auditis, die II martii MDCLVIII de mandato congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae edito, aliisque pluribus decretis inhaerentes, supradictas Urbani praedecessoris litteras confirmavimus, ac prohibuimus praefatos conventus a dictà provincià ullatenus separari, aut dismembrari, sed Recollectis tradi iussimus, praecipientes omnibus provincialibus ministris dicti Ordinis in regno Galliae degentibus ne ullum ex suis religiosis ad aliquem dictorum conventuum mitterent, sed missos quamprimum revocarent; dilecto autem filio Carolo Manoix, rebellionis auctori, ut intrusos remitteret, nec rem ullam in contrarium praemissorum attentaret, et haec omnia et plura alia sub censuris et poenis; praeterea commissionem in signaturà nostrà iustitiae per fratres de Observantià praefatos subreptitie obtentam revocavimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formà Brevis litteris die IV februarii et die XXX martii MDCLVIII, et die X octobris MDCLIX respective emanatis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefatus Carolus Manoix cum suis sequacibus novissime, videlicet die XXIX novembris MDCLX, sententiam a dilecto filio officiali venerabilis fratris episcopi Briocensis extorserit, qua praetendit praefatos conventus Landermensem et Briocensem a supradictà provincià dismembrare et alienae scilicet provinciae Cordigerorum Turoniae maioris adfiliare, illisque novitios recipiendi facultatem restituere in contemptum litterarum et decretorum praefatorum: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut praedictam dicti officialis sententiam, utpote evidenter attentatam et de se nullam, attentà revocatione et nullitate assertae suae commissionis, cassare et annullare, ac aliàs opportune in praemissis providere de benignitate apostolicà dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, Confirmat et in rubrica.

suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem diligenter et mature perpenderunt et examinarunt, consilio, attentis narratis, circa praemissa praefatas Urbani praedecessoris et nostras in formâ Brevis litteras, necnon decreta congregationis eorumdem cardinalium aliâs desuper emanata, sub poenis in illis expressis exequutioni demandari et observari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et praecipimus.

Clausulae. § 3. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praetensâ sententiâ, seu decreto, praedicti officialis episcopi Briocensis vigore assertae commissionis signaturae iustitiae editâ, necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 iulii 1661, pontif. anno VII.

CCCL.

Commissio nuncio Franciae et archiepiscopo Tholosano contra vicarios generales archiepiscopi Parisiensis occasione edicti temeraria et falsa continentis per eos publicati[1].

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabilibus fratribus Caelio Caesari, nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nuncio, ac moderno Tholosano archiepiscopis,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater[1], salutem et apostolicam benedictionem.

Motiva. Pervenit ad aures nostras, non sine gravi animi nostri dolore, dilectos filios Ioannem Baptistam de Contes et Alexandrum de Hodeng, dilecti filii nostri Ioannis Francisci Pauli Gondi tituli S. Mariae super Minervam S. R. E. presbyteri cardinalis de Retz nuncupati ecclesiae Parisiensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis vicarios in spiritualibus generales, edictum sub datâ diei VIII iunii proxime praeteriti publicasse, quo temerariis mendaciis inter alia narrare seu asserere ausi sunt tempore pontificatus felicis recordationis Innocentii Papae X praedecessoris nostri non fuisse tractatum nisi utrum quinque propositiones, per constitutionem eiusdem Innocentii praedecessoris anno Incarnationis Dominicae MDCLIII pridie kalendas iunii emanatam condemnatae, verae et catholicae, an vero falsae et haereticae forent; cum tamen non solum de earumdem quinque propositionum veritate vel falsitate tunc tractatum fuerit, sed etiam quod illae ex libro Cornelii Iansenii episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excerptae extitissent, ipsaeque quinque propositiones in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatae fuerint, sicut nos per nostram, anno Incarnationis Dominicae MDCLVI, decimo septimo kalendas novembris editam constitutionem declaravimus. Quocirca nos, pro pastoralis officii nostri debito tam gravi inconvenienti remedium adferre cupientes, ac dicti edicti tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes, motu

[1] Legendum *Venerabiles fratres* (R. T.).

proprio, ac ex certâ scientiâ nostrâ, fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut contra memoratos Ioannem Baptistam et Alexandrum vicarios generales non solum super praemissis, sed etiam super aliis quibuscumque in eodem edicto comprehensis, quae concernant aut referantur ad mendacia et temere asserta similia, vel res aliquas cum deceptione et tergiversatione contineant quae praefatas constitutiones infringere valeant, servatis servandis, auctoritate nostrâ apostolicâ procedatis; nos enim vobis annullandi praedictum edictum ac eosdem Ioannem Baptistam et Alexandrum vicarios generales officiis suis privandi, eosque in poenas in praefatis constitutionibus contentas incurrisse declarandi, ac ad electionem vicarii apostolici, quatenus opus fuerit, deveniendi facultatem, auctoritate apostolicâ, earumdem tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Commissio, ut in rubrica.

§ 1. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris pariter nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, ecclesiae Parisiensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 augusti 1661, pontif. anno VII.

CCCLI.

Confirmatio quarumdam ordinationum Congregationis fratrum S. Hieronymi Fesulani super electionibus patrum definitorii necnon procuratorum, et super studiis et lecturis ac praedicationibus per fratres obeundis nuper editarum [1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regiminis per abundantiam divinae bonitatis, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, illa, quae pro felici congregationum virorum Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimine et directione provide ordinata esse dignoscuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis patrocinio roboramus.

Exordium.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Congregationis fratrum sancti Hieronymi Fesulani, quod aliâs pro felici dictae Congregationis gubernio, de dilectorum filiorum prioris generalis et aliorum fratrum ipsius Congregationis religionis zelo doctrinâque praeditorum [2] consilio, factae fuerunt ordinationes tenoris qui sequitur, videlicet:

Expositio.

Vicarius generalis capituli et generalis eligantur libero a patribus vocalibus, itaut nullus nominetur aut proponatur. In eligendo [3] vero novem patres definitorii servabitur consuetudo, secundum quam, ultra generalem et vicarium, qui a constitutionibus absque aliâ electione nume-

Ordinationes fratrum ipsius Congregationis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit *praedictorum* pro *praeditorum* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *eligendis ... patres* (R. T.).

rantur inter definitores, proponuntur prius tres visitatores, procurator generalis, et qui aliquando fuerunt generales; tandem in proponendo ad alias dignitates generalis ineat consilium cum patribus definitorii de dignitatibus[1] et aptioribus proponendis, ab iisdem praestito prius iuramento de servandis sub secreto quae ibi tractata fuerint. Quod si dissideant in consilio dando, ferantur vota secreta super singulos, de quibus fuit controversia, quique supra medietatem plura vota sortitus fuerit, is proponetur toti capitulo eligendus. Per hoc tamen non tollitur quin patres capitulares possint alium quemcumque libere eligere, et electio erit valida, si aliud canonicum non obstet impedimentum. Et haec quidem in capitulo generali. Extra vero capitulum generale, vacante dignitate quacumque, non sufficiat quempiam, nisi de consilio et consensu per vota secreta duorum saltem visitatorum; nullus eligetur in priorem nisi idoneus ad audiendas confessiones, aliter electio sit nulla; illum solum autem dicimus idoneum, qui vel per triennium antecedenter cum facultate Ordinarii hoc munus exercuerit, vel ab examinatoribus a capitulo generali destinatis, praevio diligenti examine, per vota secreta talis iudicatus fuerit.

Clerici omnes et sacerdotes, qui anno MDCLX emiserunt professionem, quive deinceps emittent, teneantur navare operam scientiis septem annis, humanarum litterarum studio minime computato, vel totidem erudire professis[2] in litteris humanis, alioquin non possint eligi, nisi ad vicariatum et prioratum, et si secus fiat electio sit nulla. Quinimo, si, iuxta praescriptum constitutionum lauream doctoratus consequuti, consuetis magistrorum privilegiis frui voluerint, teneantur prius per annum docere litteras humanas clericos professos, deinde, vel legere scientias septem annis, octo saltem mensibus anni, vel decem annis praedicare in nostris ecclesiis omnibus dominicis non impeditis ab octavâ Paschae Resurrectionis usque ad Septuagesimam exclusive. Sanctissimus annuit XIII iulii MDCLXI.

P. FAGNANUS.

1 Videtur legendum *dignioribus* (R. T.).

2 Videtur legendum *professos* (R. T.).

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis ordinationes huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalem specialis favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ordinationes praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Confirmat ordinationes praeinsertas.

§ 3. Decernentes easdem ordinationes, ac praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Decretum irritans.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictae congregationis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 augusti 1661, pontif. anno VII.

CCCLII.

Commissio archiepiscopo civitatis Caesaraugustanae super contributione ecclesiasticorum in gabellâ ad favorem hospitalis regii imponendâ [1].

**Venerabili fratri
archiepiscopo Caesaraugustano,
Alexander Papa VII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii rectores et administratores generales regii hospitalis S. Mariae Gratiarum nuncupati istius civitatis Caesaraugustanae, quod aliàs, cum dictam civitatem eiusque districtum pestis illic ab anno MDCXLVIII usque ad annum MDCLIII seu alio veriori tempore grassata in graves expensas coniecisset, contractoque eâ de causâ aere alieno maximae quantitatis involvisset, universi ordines eiusdem civitatis, apud quos regimen existit et inter quos clerus ecclesiasticus primus computatur, de licentiâ Sedis Apostolicae ex communi tam laicorum quam ecclesiasticorum contributione aes alienum huiusmodi extinxerunt.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictum hospitale aere alieno undecim millium trecentorum quadraginta duorum scutorum et septemdecim solidorum monetae illarum partium occasione dictae pestis, ob expensas in curandis et sublevandis infirmis ministrisque sustentandis seu manutenendis factas, damnaque ex combustione lectulorum aliorumque suppellectilium quae peste infectis servierant accepta, contracto oneratum remanserit, nec illius dissolutioni et extinctioni, simulque pauperibus infirmis assidue curandis, ac solvendis debitis ministrorum salariis, aliisque impensis de necessitate subeundis par existat; praedicti vero ordines, provide considerato expensas per dictum hospitale factas et damna accepta huiusmodi personarum tam ecclesiasticarum quam laicarum beneficio et commodo cessisse, nullam promptiorem expeditioremque eidem hospitali consulendi rationem iniri posse compererint, quam si super singulis mensuris tritici et olei in praedictis civitate et districtu vendendi et emendi aliqua communis gabella ad favorem ipsius hospitalis in satisfactionem dicti aeris alieni et non in alios usus et causas quantumvis necessarias et urgentissimas convertenda usque ad comple-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

mentum dictorum undecim millium trecentorum quadraginta duorum scutorum et septemdecim solidorum, et non ulterius, duratura, ad cuius solutionem concurrere et contribuere debeant omnes, tam ecclesiastici quam seculares, praecedente nostro et dictae Sedis beneplacito imponatur: nobis propterea praedicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut dicti hospitalis inopiae et egestati in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, constito tibi de narratis, et dummodo cleri civitatis et districtus huiusmodi in primis et ante omnia accedat assensus, ut praedictae personae ecclesiasticae utriusque sexus, tam seculares quam cuiusvis Ordinis regulares, eorumdem civitatis et districtus, ad solutionem praedictae gabellae super singulis mensuris tritici et olei in dictis civitate et districtu vendendi et emendi legitime imponendae concurrere et contribuere teneantur pro ratâ et quantitate per te et eiusdem cleri deputatos taxandâ seu concordandâ, ipsique exponentes gabellam ipsam, tam a laicis quam a praedictis ecclesiasticis personis secularibus ac cuiusvis Ordinis, congregationis, ac sexus regularibus, exigere, recipere et recuperare libere et licite possint et valeant, ita tamen ut proventus contributionis seu gabellae huiusmodi in extinctionem tantum aeris alieni praedicti hospitalis et non in alios usus et causas etiam urgentissimas, etiam urgentissimâ qualibet ac quam praesens sit urgentiori necessitate non obstante, successive convertantur, et ad hunc effectum computa proventus huiusmodi in fine primi anni, et deinde cuiuslibet mensis, coram te ipso liquidari, et solutio facta hospitali praefato iustificari omnino debeant, alioquin, his omnibus et singulis exacte non servatis, et si in aliquo defectum fuerit, praesens gratia eo ipso nulla penitus et invalida existat et pro non factâ habeatur, neque praedicti ecclesiastici ulterius ad huiusmodi contributionem seu gabellam teneantur, aut contribuere debeant, nec possint etiam voluntarie, auctoritate nostrâ apostolicâ concedas et indulgeas, ac licentiam et facultatem desuper opportunam elargiaris.

Decretum praeinsertum confirmat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon maioris et aliarum quarumvis ecclesiarum, monasteriorum et praedictorum locorum civitatis et districtus huiusmodi, ac Ordinum, congregationum et institutorum quorumcumque,

etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulas poenales apponit.

§ 5. Volumus autem ut, statim atque praefata summa conflata fuerit, personae ecclesiasticae illico ab ulteriori contributione et solutione gabellae huiusmodi cessent et abstineant, neque ab illis quicquam amplius exigi possit, sub poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis in contrarium facientibus inflictis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 augusti 1661, pontif. anno VII.

CCCLIII.

Praeceptum superioribus provinciae Brasiliensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, sub poenis privationis utriusque vocis et officiorum ac perpetuae inhabilitatis ab[1] eâdem ipso facto incurrendis, ut processionem, feriâ quartâ Cinerum quotannis fieri solitam a tertiariis secularibus eiusdem sancti Francisci in Brasilia degentibus, per conventus Bayae Omnium Sanctorum, sicut antea, conventualiter et cum solitâ cruce associare faciant[2].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii Tertiarii seculares Ordinis sancti Francisci in Brasilia degentes nobis nuper exponi fecerunt, dilecti etiam filii minister provincialis, aliique superiores et fratres provinciae Brasiliensis Ordinis Minorum sancti Francisci praefati de Observantia nuncupatorum, non permittant ut fratres conventus Bayae Omnium Sanctorum eiusdem provinciae processionem feriâ quartâ Cinerum a praefatis Tertiariis quotannis fieri solitam associare possint, sicut antea ex laudabili instituto quondam Pantaleonis Baptistae dum vixit ministri provincialis dictae provinciae facere solebant; id vero in divini cultus detrimentum cedere, fraternamque inter eosdem fratres Minores et Tertiarios charitatem laedere aut minuere valeat, nobis propterea ipsi Tertiarii humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praecipitur ut in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, spirituali eorumdem Tertiariorum consolationi quantum cum Domino possumus benigne consulere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis,

1 Male edit. Main. legit *ad eadem* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatis ministro provinciali, aliisque superioribus et fratribus provinciae huiusmodi, tam praesentibus quam futuris, ad quos spectat et pro tempore spectabit, et eorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae, officiorumque et perpetuae inhabilitatis ab[1] eâdem ipso facto incurrendis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, stricte praecipimus et mandamus, quatenus praedictam processionem, sicut antea, conventualiter et cum solitâ cruce associari faciant.

Decretum irritans. § 3. Decernentes et declarantes quod in reliquis per hoc nullum praeiudicium illatum censeatur exemptionibus vigore constitutionum apostolicarum eisdem ministro provinciali aliisque superioribus et fratribus competentibus, itaut huiusmodi exemplo ad associationem aliarum processionum, necnon ad alias functiones nullo modo compelli possint.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis ac provinciae et conventus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumqne.

1 Male, ut supra, legitur *ad eadem* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 24 augusti 1661, pontif. anno VII.

CCCLIV.

Confirmatio ordinationum et declarationum congregationis generalis Societatis Iesu circa iurisdictionem et gubernationem vicarii generalis cum futurâ successione[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliàs nos dilectis filiis congregationi generali Societatis Iesu vicarium perpetuum cum futurâ ad eius favorem in officio praepositi generalis dictae Societatis, quandocumque illud per obitum, cessionem, renunciationem vel dimissionem dilecti filii Goswini Nickel praepositi generalis eiusdem Societatis, seu aliàs quomodolibet, ex illius personâ vacare contingeret, successione, ac cum universali et libero exercitio potestatis, servatis aliàs servandis, eligendi plenam et amplam facultatem tribuimus et impartiti sumus, et aliàs, prout in nostris in simili formâ Brevis die primâ iunii proxime praeteriti desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Supplicatio.

§ 1. Cum autem, sicut pro parte dictae congregationis generalis nobis nuper expositum fuit, eadem congregatio praefatarum nostrarum litterarum vigore in vicarium generalem perpetuum dictae Societatis elegerit dilectum etiam filium Ioannem Paulum Olivam, presbyterum regularem ipsius Societatis, cum iure succedendi, in eumque contulerit exercitium universale ac liberum potestatis non re- Motiva.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

vocandum, neque impediendum, idque (prout ipsamet congregatio declaravit se intellexisse) non cumulative, sed privative, etiam quoad memoratum praepositum generalem; itaut, si secus aliquid fiat, illicite et invalide fiat; cumque, iniectâ nihilominus hac de re dubitatione, rursus eadem congregatio quod iam fecerat confirmaverit, et, si opus esset, de novo factum voluerit, totumque exercitium iurisdictionis, quod supradictum est, esse penes solum vicarium, ne societas a duobus capitibus gubernetur; praeposito vero generali praefato reliquerit septemdecim eiusmodi facultates, quae gubernationem non respiciunt, neque impediunt; quae omnia idem praepositus generalis, qui iam se totum congregationis iudicio et dispositioni permiserat, videns expedire Societati, declaravit se omni meliori modo rata habere ea omnia, quae congregatio generalis circa gubernationem vicarii decreverat; ac praeterea eadem congregatio statuerit, ut in casu aegritudinis vicarius sibi subroget alium, qui Societatem gubernet interim dum ipse convalescat; quod si contingat vicarium generalem praemori praeposito generali, voluerit eadem congregatio ius nominandi vicarium esse penes praepositum generalem, si ad id aptus inveniatur; qui vicarius statim nominatus, convocet congregationem generalem, habeatque interea exercitium potestatis independens ac liberum, perinde atque haberet mortuo praeposito generali: nobis propterea eiusdem congregationis generalis nomine humiliter supplicatum fuit, ut praemissa omnia, rite et concordibus animis ab ipsâ congregatione constituta, ne in posterum ullâ ex parte infirmari aut in dubium verti a quoquam possint, apostolicae confirmationis nostrae robore communire de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum.

§ 3. Nos igitur, specialem dictae congregationi generali gratiam facere volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula supra expressa, a memoratis congregatione generali et praeposito generali respective, sicut praemittitur, acta, gesta, declarata, confirmata, ratificata, statuta et ordinata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae addit.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in praefatis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 30 augusti 1661, pontif. anno VII.

CCCLV.

Praeceptum, ut serventur constitutiones Congregationis S. Mariae Fuliensis Ordinis Cisterciensis nationis Gallicanae circa dicendas culpas in capitulo, non obstante decreto ultimi capituli generalis, quod fratres conversi et donati publicis proclamationibus sacerdotum et professorum vocalium, quae fiunt in capitulo, adesse non possint, nec ipsis usquam fas sit quemquam sacerdotum aut clericorum professorum et vocalium superiorum privatim vel palam in capitulo proclamare, sed tantummodo apud superiorem conqueri, et iustitiam postulare[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Ægidius a S. Francisco et Ioannes a S. Spiritu, procuratores fratrum conversorum et donatorum Congregationis B. Mariae Fuliensis Ordinis Cisterciensis nationis Gallicanae, quod capitulum seu definitorium generale praedictae Congregationis in conventu Burdegalensi congregatum de mense aprilis anni proxime praeteriti MDCLX edidit decretum seu definitionem tenoris sequentis, videlicet:

Definitio capituli generalis.

« Definitum est quod fratres conversi et donati publici proclamationibus sacerdotum et professorum vocalium, quae fiunt in capitulo, adesse non poterunt, ideoque ipsi conversi et donati primum ante omnes culpas suas dicent, postmodum egredientur de capitulo locum daturi sacerdotibus et clericis professis et vocalibus, ut et ipsi culpas suas (excepto tamen in magisteriis, in quibus sunt novitii, aut noviter professi, et non vocales, in quibus novitii et noviter professi qui ipsi dictâ culpâ exire teneantur), nec usquam fas sit ulli fratri converso et donato quemquam sacerdotum aut clericorum professorum et vocalium superiorem privatim vel palam in capitulo proclamare, sed, si res exigat, possint tantummodo apud superiorem conqueri et iustitiam postulare ».

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, huiusmodi novum decretum seu definitio contrarietur non solum praxi hucusque in praefatâ congregatione inviolabiliter observatae, verum etiam ipsismet constitutionibus generalibus eiusdem congregationis a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro approbatis, prout latius ex iisdem constitutionibus cap. XLVI titulo *De his, qui in aliquibus rebus*, etc., necnon ex rituali eiusdem tituli *De capituli observatione*, constare dicitur; nobis propterea praefati exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum.

§ 3. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem, partibus auditis, diligenter examinarunt, consilio, attentis narratis, circa praemissa constitutiones congregationis huiusmodi per eos, ad quos spectat, sub poenis privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum et inhabilitatis ad ea et alia quaecumque in posterum obtinenda, eo

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

ipso incurrendis, servari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, mandamus et praecipimus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon memorato decreto, seu definitione capituli generalis eiusdem congregationis novissime celebrati, ceterisque in contrarium adductis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die v septembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 5 septembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLVI.

Declaratio quod revocatio privilegiorum et exemptionum regularibus concessorum, et subiectio nuncio apostolico Hispaniae, ab Urbano VIII facta, etiam monachos congregationis Hispaniae Ordinis sancti Benedicti comprehendat, cum novâ, quatenus opus sit, eorumdem privilegiorum et exemptionum revocatione [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Urbanus Papa VIII praedecessor noster, inter alias ordinationes et declarationes, quas circa tribunal nunciaturae Hispaniarum fecit, quoad personas regulares a iurisdictione Ordinariorum exemptas, ac immediate Sedi Apostolicae ac consequenter eius nunciis subiectas, in primis et ante omnia revocans quaecumque privilegia aut exemptiones concessas cuivis Ordini Mendicantium vel monachorum, etiam sancti Benedicti, Cisterciensium, Praemonstratensium, Cluniacensium, aut aliis, de quibus specialis mentio fieri deberet, vel cuicumque congregationi aut Societati, etiam Iesu, etiam particulari notâ dignae, cum sacrum Concilium Tridentinum per dispositionem capituli *Causae omnes* sess. XXIV *De reformatione* regulares non comprehendat, prout fuerat a Romanis Pontificibus ipsius Urbani nostrisque praedecessoribus declaratum; voluit ut ab omnibus praefatis nuncius dictae Sedis in regnis Hispaniarum pro tempore residens pro Ordinario et superiore agnosceretur, et aliàs, prout in eiusdem Urbani praedecessoris litteris in simili formâ Brevis die XXVII aprilis MDCXLI desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat prout in rubricâ.

Nunc autem nos, praefatam Urbani praedecessoris voluntatem exacte observari, plenumque robur et effectum habere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, revocationem privilegiorum, et exemptionum regularibus concessarum huiusmodi, eorumque subiectionem praefato nuncio a memorato Urbano praedecessore, sicut praemittitur, factam, etiam monachos congregationis Hispaniae dicti Ordinis sancti Benedicti comprehendere, tenore praesentium declaramus; et, quatenus opus sit, eadem privilegia et exemptiones cuivis Ordini Mendicantium, vel monachorum etiam eiusdem sancti Bene-

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

dicti, Cisterciensium, Praemonstratensium, Cluniacensium, aut aliis, de quibus specialis mentio fieri debeat, vel cuicumque congregationi aut societati, etiam Iesu, etiam particulari notâ dignae, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, praeservativis, mentis attestativis, restitutionis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, aut ad quarumvis personarum, etiam imperiali, regali, ducali, aliâve qualibet mundanâ vel ecclesiasticâ dignitate praeditarum, instantiam, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum quandocumque concessa, ac quantiscumque vicibus confirmata, approbata et innovata, quorum vigore, colore, seu praetextu praefatae personae regulares, a iurisdictione Ordinariorum exemptae, dictaeque Sedi immediate subiectae, memoratum nuncium pro Ordinario et superiore iuxta supradictam Urbani praedecessoris voluntatem agnoscere sese non teneri, seu illi non subiacere quovis modo praetendere possent, denuo revocamus, ac cassamus, irritamus et annullamus viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus.

Clausulae. § 2. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeminentiae et dignitatis etiam speciali et individuâ mentione dignae existant, ad ea citati, vocati et auditi non fuerint, nec causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae et iustificatae extiterint, seu ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, restringi, invalidari, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, nec easdem praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium declaratis nunc revocationum et annullationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis, unquam comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtineri, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure Derogat contrariis.

quaesito, aliisque omnibus et singulis illis, quae memoratus Urbanus praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, servatis et expressis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCLXI, Pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 septembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLVII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium, quo fratribus Cappuccinis, aliisve cuiuslibet Ordinis regularibus, novorum conventuum seu domorum regularium fundationes et erectiones absque Sedis Apostolicae expressâ licentiâ prohibentur[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. § 1. Aliàs, pro parte dilecti filii Ioannis Ortiz de Zurate, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum professoris, congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod dudum felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster (considerans in provinciâ Carthaginensi dicti Ordinis, licet valde angustâ, triginta tres, et ex illis octo fratrum Recollectorum et Reformatorum nuncupatorum, conventus contineri; provinciam vero Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi in eiusdem regionis circuitu septem conventus habere, aliosque de novo erigere, unde seculares praegravabantur, dicti vero Recollecti ex eleemosynis quotidianis vivere nequibant, sed a puritate regulae recedere cogebantur, eleemosynas ad sui sustentationem accumulando, quinimo, ob multitudinem conventuum, necesse illis erat novitios omnis generis recipere) per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras mandaverat, ne ex tunc in posterum aedificari possit ullus conventus intra spatium quatuor vel quinque leucarum a conventibus erectis seu erigendis a praefatis, prout in eisdem litteris die II iulii MDCI expeditis uberius dicitur contineri; et in eâdem expositione subiuncto, quod in provinciâ Burgensi dicti Ordinis in Castella consistenti eadem ac etiam maiora nascebantur inconvenientia, cum intra spatium triginta sex leucarum regionis maiorem partem sterilis et montanae viginti quatuor conventus fratrum dicti Ordinis, ac tria oratoria, necnon sex conventus fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum reperirentur, praeter tres fundationes controversas, ac circiter quadraginta do-

mos religiosorum diversorum Ordinum, ex quibus et seculares valde onerabantur et variae eâ de causâ tam inter seculares quam inter regulares oriebantur discordiae, non sine regularis observantiae detrimento; ideoque congregationi praefatae supplicato ut ordinaret ne in dictâ provinciâ ad ullam novorum conventuum tam fratrum Cappuccinorum quam aliorum regularium fundationem deveniretur: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacrae congregationis decretum.

« Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac memorato Brevi sanctae memoriae Clementis VIII, censuit et decrevit servandam esse formam ac tenorem eiusdem Brevis; ideoque nedum fratribus Cappuccinis, sed etiam aliis cuiuslibet Ordinis regularibus novorum conventuum seu domorum regularium huiusmodi fundationes et erectiones absque Sedis Apostolicae expressâ licentiâ esse prohibendum et interdicendum, prout harum serie prohibet ac interdicit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Romae, XII augusti MDCLXI.

MARCUS cardinalis GINETTUS.

E. episcopus Camerinensis, secret. ».

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Ioannes nobis nuper exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI septembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 septembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLVIII.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium super observatione ab Ordinariis et aliis iudicibus delegatis regnorum Hispaniarum constitutionum Clementis VIII et Gregorii XV de novorum conventuum erectionibus, circa appellationem suspensivam pro provinciâ Burgensi Ordinis Minorum sancti Francisci.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Aliàs, pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae Burgensis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod per constitutionem felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri super novorum conventuum erectione editam cavebatur expresse, quod, si a sententiis Ordinariorum in huiusmodi causis ad Sedem Apostolicam provocari et appellari contingeret, ipsi Ordinarii tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere deberent quousque a Sede Apostolicâ praefatâ in eâdem causâ pronunciatum existeret; ac in decreto dictae congregationis dudum recolendae memoriae Gregorii XV etiam praedecessoris nostri iussu emanato disponebatur, quod, si a decretis per Ordinarios ipsos in causis huiusmodi ferendis legitime appellari contingeret, ex tunc prout ex eâ die qua appellatio interponeretur, ea ad eamdem congregationem unâ cum toto negotio principali devoluta esse censeretur[1], appellationeque huiusmodi pendente nihil innovandum esset; et nihilominus Ordinarii, aliique iudices in talibus causis delegati de facto exequebantur eorum sententias, in gravissimum partium damnum, sub praetextu quod constitutio et decretum huiusmodi in usu non essent in eisdem regnis; ac in eâdem expositione subiuncto quod dicti exponentes in praefatâ provinciâ Burgensi vigintiquatuor conventus antiquissimos habebant, eisque saepissime movebantur lites super erectione novorum conventuum ab aliis religiosis, ac specialiter a fratribus Minoribus Ordinis eiusdem sancti Francisci Cappuccinis nuncupatis, a quibus intentatae multae lites actualiter pendebant, ipsi vero exponentes verebantur, ne, contra formam constitutionis et decreti praefatorum, sententiae ab Ordinariis et iudicibus delegatis de facto exequutioni demandarentur; ideoque memoratae congregationi supplicato, ut in exequutionem libelli supplicis ipsi congregationi a nobis remissi declararet et decerneret dispositionem constitutionis et decreti huiusmodi, praesertim circa appellationem suspensivam, locum habere debere in dictâ provinciâ Burgensi ac in omnibus regnis Hispaniarum: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis. « Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita censuit committendum et iniungendum, prout praesentium tenore iniungit, archiepiscopo Corinthi, nuncio apostolico apud regem Hispaniarum, ut, compertâ veritate expositorum, memoratas constitutiones sanctae memoriae Clementis VIII et Gregorii XV circa praemissa mandet omnique conatu studeat adimpleri et observari, asserto contrario usu minime obstante; si quid vero ex adverso relevans deducatur, id ad eamdem sacram congregationem referat.

Romae, XXIII septembris MDCLXI.

M. Cardinalis GINETTUS ».

1 Edit. Main. legit *censetur* (R. T.).

Confirmatio decreti.

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, et[1] dicti exponentes nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praefatae congregationis cardinalium.

Decretum irritans.

§ 2. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 27 octobris 1661, pontif. anno VII.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

CCCLIX.

Approbatio constitutionum et reformationum collegiorum Capranicensis et Nardini, cum suppressione protectoris dicti collegii Capranicensis, ac, quatenus opus sit, nova concessio iurisdictionis, gubernii et aliorum eiusdem collegii custodibus et gubernatoribus archiconfraternitatis S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum iuxta formam praedictarum constitutionum.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Aliàs, postquam bonae memoriae Dominicus unum Capranicense et Stephanus S. R. E. cardinales de Capranica et Nardinus, respective nuncupati, alterum Nardinum respective nuncupata collegia in Urbe fundaverant, erexerant et dotaverant, ac constitutiones et statuta pro vitâ, moribus, habitu, vestitu et professione inibi studentium scholarium ediderant, ac eorumdem collegiorum gubernatores tunc et pro tempore existentes custodes pii hospitalis Imaginis S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de eâdem Urbe creaverant et esse voluerant, necnon

Motiva.

eisdem custodibus gubernatoribus omnimodam potestatem scholares aut studentes praedictos gubernandi et iuxta eorum demerita corrigendi, mulctandi et puniendi concesserant, aliaque statuerant et ordinaverant, prout in eisdem constitutionibus et statutis uberius continetur; et felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster, non sine animi sui molestiâ accepto quod scholares et studentes praedicti contra proprium ipsorum iuramentum non observabant, et iisdem mandatis tunc existentium custodum gubernatorum praedictorum non obediebant, et ipsis in dies contradicentes a signaturâ iustitiae causâm et causas contra constitutiones et statuta ac custodes gubernatores huiusmodi diversis iudicibus, non minus nulliter quam indebite, committi facere non erubescebant[1], calumniis et fraudibus praedictis obviare volens, motu proprio et ex certâ scientiâ suis, omnes et singulas causas praedictas pro parte eorumdem scholarium et omnium in eisdem collegiis habitantium coram quibuscumque iudicibus tam ordinariis quam commissariis, et tam commissas et pendentes, quam in futurum committendas, in statu et terminis in quibus reperiebantur, ad se avocaverat, ac tunc et pro tempore existentibus custodibus dictorum collegiorum gubernatoribus, et omnium in eisdem collegiis habitantium et sub eorumdem statutis degentium iudicibus ordinariis, cum omnibus eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, iuxta formam constitutionum et statutorum collegiorum huiusmodi audiendas commiserat, aliàs[2] in praemissis et circa ea mandaverat, prout in eiusdem Pauli praedecessoris litteris, etiam per piae memoriae Paulum Papam IV similiter praedecessorem nostrum confirmatis tenoris subsequentis[1]:

Decretum Pauli IV.

«*Paulus Papa IV ad futuram rei memoriam.* Piis quomodolibet[2] votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum custodum Societatis SS. Imaginis S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe nobis exhibita petitio continebat, postquam a felicis recordationis Paulo Papa III praedecessore nostro emanaverat infrascriptum rescriptum, cuius tenor sequitur, et est talis:

Decretum Pauli III.

Motu proprio. Cum sicut accepimus non sine animi nostri molestiâ, quod, licet laudabiles constitutiones et statuta tam collegii Capranicensis quam Nardini per scholares et studentes pro tempore dictorum collegiorum observari debent, eum illas seu illa etiam cum iuramento servare promiserint, et mandatis dilectorum nostrorum custodum venerabilis Societatis SS. Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe et praedictorum collegiorum gubernatorum pro tempore existentium parere debuissent, cum illis per fundatores eorumdem data fuit facultas scholares et studentes in dictis collegiis gubernare, corrigere, mulctare et punire secundum praedictorum studentium demerita in eventum contraventionis; nihilominus praefati studentes praedictas laudabiles constitutiones et statuta minime servare cupientes, et praesertim in vestiendo et deferendo longas vestes cum caputiis iuxta formam praedictarum constitutionum, nullo habito respectu ad praemissa, imo in dies contradicentes mandatis praedictorum custodum pro tempore existentium, et praedictis sacris constitutionibus et statutis, et contra ipsorum respective proprium iuramentum

1 Edit. Main. habet *erubescant* (R. T.).
2 Legendum *aliaque*, vel *aliàsque*, vel *et aliàs* (R. T.).

1 Iam habentur in tom. VI pag. 548 (R. T.).
2 In loc. parall. aptius legitur *fidelium quorumlibet* (R. T.).

non observando praedictas constitutiones ac statuta, sub praetextu paupertatis, et non habere modum induendi praedictas vestes (cum postea plures sericis utantur) ut tenentur praedicti iuramenti vinculo, et non erubescunt contra eorum proprium iuramentum praedictas laudabiles constitutiones et statuta in dies diversis commissionibus a sacrâ signaturâ iustitiae extorquere, et in contemptum praedictorum dominorum custodum gubernatorum praedictorum collegiorum et causam et causas praetensarum iactationum et molestationum contra praedictos dominos custodes gubernatores et praeses[1] eorumdem, illamque et illas diversis iudicibus committere desiderant, et committunt, et committi obtinuerunt, licet indebite et nulliter, cum nulli liceat praeterquam Pontifici Romano, et propriâ ipsius signaturâ, similes sacras constitutiones permutare; volentes igitur calumniis et fraudibus huiusmodi obviare, prout nostro incumbit officio pastorali, ac providere, motu simili, ex certâ nostrâ scientiâ, omnes et singulas causas praedictas coram quibuscumque iudicibus, tam ordinariis quam commissariis, et tam commissas et pendentes, quam in futurum committendas, per praefatos scholares et omnes in collegiis habitantes, in statu et terminis in quibus reperiuntur, harum serie ad nos avocamus, et dictis modernis et pro tempore custodibus dictorum collegiorum gubernatoribus, et omnium in dictis collegiis habitantium et sub eorum statutis degentium iudicibus ordinariis committimus et mandamus audiendas et terminandas iuxta formam praedictorum collegiorum praedictarum constitutionum et statutorum, cum omnibus eorum incidentibus, dependentibus emergentibus, connexis et annexis; insuper mandantes ut statuta collegiorum simpliciter, ut iacent, intelligantur, nullis additis commentis seu cavillationibus a causidicis inventis; mandantes etiam ut, qui secundum statuta conclusiones non habuerint infra tempus constitutum[1], ipso facto, sine nllâ monitione, a collegiis expellantur, et alii pro iis substituantur, et cogantur expensas collegiis persolvere; declarantes insuper auctoritate nostrâ apostolicâ per praesentes, tam iudices ordinarios quam commissarios nullam penitus iurisdictionem habere seu obtinere posse in collegiales et omnes in dictis collegiis habitantes, et omnes et singulas commissiones in posterum impetrandas, et adhuc impetratas, tam sub nomine alicuius collegii, quam particularium in collegio seu collegiis habitantium, tam de scholaribus admittendis et removendis, nullas et invalidas, et nullius roboris ac momenti fore et esse, nullamque in futurum tribuere alicui iudici ordinario vel delegato iurisdictionem, cui vel quibus commissum fuerit, vel committeretur in futurum; et volentes quod quandocomque praedicti scholares vel aliquis eorum senserint de aliquâ definitivâ seu sententiâ declaratoriâ, ferendâ per dictos pro tempore custodes, se gravatos, quod tunc recursum habere possint ad dilectos filios nostros pro tempore Urbis conservatores, tamquam iudices appellationum, et non ad alios iudices; immo ipsis iudicibus tam ordinariis quam commissariis inhibemus, praecipimus et mandamus, quatenus, sub poenis excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac nostrae indignationis, anathematis, ac mille ducatorum auri ipso facto camerae nostrae applicandorum, si secus fecerint, quod absit, a quibus quovis modo liberari non possint, praeterquam a nobis, vel pro tempore Romano Pontifice;

1 Aptius in loc. parall. legitur *patres*, vel legendum *praesides* aut *praesidem* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *constitutionum* (R. T.).

irritum quoque et inane quicquid scienter vel ignoranter factum fuerit secus, ipso iure fore decernimus; constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo palatii (nomine et cognomine[1] praedictorum studentium, causarum qualitates et instantias, ac tenores constitutionum et privilegiorum, et illarum[2] forsan constitutionum, et aliorum hic exprimi necessariorum, status causarum tam in primâ, seu secundâ, aut ulteriori instantiâ indecisa pendente[3], et alia quae forsan de verbo ad verbum maiorem expressionem requirant, pro plene et sufficenter expressis haberi volumus) ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Audiant praefati iudices, citent, procedant ut petitur, et iustitiam faciant, praemissis non obstantibus.

Placet A[4].

Extracta fuit praesens copia ex aliâ cum suo originali auscultatâ et collationatâ, ut a tergo dictae copiae descriptum est, hac[5] sub die v iunii MDL. Pro magnificis dominis guardianis Immaginis S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe contra rectores et collegiales collegiorum Capranicensis et Nardini etiam a tergo dictae copiae intitulata, et in filsâ iurium productorum dicti anni MDL reperta, cuius originale etiam a tergo dictae copiae est descriptum fuisse restitutum et consignatum domino Petro de Coelano, et cum eâdem copiâ auscultatâ concordat; in cuius fidem hîc me subscripsi manu propriâ die XIV mensis novembris MDCLVIII[6];

IOANNES ANTONIUS CURTUS,
curiae causarum camerae notarius.

1 Legerem *nomina et cognomina* (R. T.).
2 Forsan legendum *aliarum* (R. T.).
3 Lege *indecisarum pendentium* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *Placet et extracta* (R. T.).
5 In loc. parallelo legitur *ac sub die 5 iunii 1550 pro magnificis*, etc. (R. T.).
6 Legendum MDLVIII ut in loco parall. (R. T.).

Prosequitur decretum Pauli V.

Ipsi custodes, sub quorum gubernio et curâ scholares et studentes collegiorum Capranicensis et Nardini huiusmodi reguntur et gubernantur, ut quiete et honeste viverent iuxta eorumdem collegiorum respective constitutionum formam, dictum rescriptum tum curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, seu in illius curiâ, praesentari fecerunt, prout ex supradictâ fide notarii eidem auditori camerae apparet. Cum tamen ipsius rescripti copia cum illius originali auscultate, non autem originale reperiatur, ne a nimium scrupolosis de ipsius rescripti validitete in futurum dubiteri contingat, pro parte eorumdem custodum nobis fuit humiliter supplicatum, ut, ad omne dubium prorsus tollendum, quod copia rescripti huiusmodi, sicut praefertur, auscultata, fidem faciat mandare, aliâsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclineti, auctoritate apostolicâ, per praesentes committimus et mandamus, quod supradictae copiae, sic, ut praefertur, auscultatae, a quibusvis iudicibus ordinariis et extraordinariis, seu delegatis et quavis dignitate et auctoritate fungentibus in iudicio et extra ubique plena fides adhibeatur, et quod aliter interpretari, cognosci aut terminari non possit neque valeat, quinimo, quicquid per quemvis iudicem a die concessionis praedicti rescripti citra, de et super administratione ac rebus dictorum collegiorum, vel eliâs, contra formam praedicti rescripti fectum fuerit, irritum et nullius roboris vel momenti sit et esse debeat; et nihilominus, potiori pro cautelâ, dictum rescriptum, quatenus opus sit, eâdem auctoritate apostolicâ per easdem praesentes confirmamus, illudve de novo concedimus.

Non obstantibus constitutionibus et or-

dinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDLVIII, pontificatus nostri anno IV.

B. MELCHIORIUS
IOANNES DE LEON.

Decretum Pii PP. V. § 2. Necnon recolendae memoriae Pius Papa V pariter praedecessor noster constitutiones et ordinationes Pauli III et Pauli IV praedecessorum huiusmodi, ac eorumdem collegiorum constitutiones et statuta praedicta, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, approbaverat et confirmaverat, ac auxerat et ampliaverat, prout in eiusdem Pii praedecessoris litteris similiter plenius continetur. Et licet Paulus III, Paulus IV et Pius V praedecessores praefati, menti et voluntati Dominici et Stephani cardinalium fundatorum praedictorum, eorum ordinationes et statuta confirmantes, consulere, et praesertim plenariam iurisdictionem custodum gubernatorum praedictorum modo et formâ praedictis conservare voluerint, prout clarius colligitur ex litteris Pauli III praedecessoris praedicti; nihilominus, cum, sicut accepimus, progressu temporis nonnulli alii Romani Pontifices pariter praedecessores, et praesertim similis recolendae memoriae Innocentius Papa X in protectorem eiusdem collegii Capranicensis venerabilem fratrem nostrum Antonium Barberinum episcopum Tusculanum tum S. Mariae in Viâlatâ diaconum cardinalem Antonium nuncupatum, cum facultate et auctoritate per eum vel iudicem ab eo deputandum quascumque causas, tam civiles quam criminales, praefati collegii Capranicensis, et illius scholarium, personarum et rerum, seu ad illos quomodolibet spectantes, tam motas quam movendas, audiendas, cognoscendas, decidendas et terminandas per suas litteras in formâ Brevis sub annulo Piscatoris motu, scientiâ et maturâ deliberatione paribus deputaverit, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris litteris plenius continetur, tenoris sequentis, videlicet:

Innocentii X decretum. *A tergo:* « Dilecto filio Antonio S. Mariae in Viâlatâ diacono cardinali Barberino; *intus vero:* Innocentius Papa X, dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Capranicensis collegii protectionem per obitum bonae memoriae Tiberii cardinalis Muti vacantem alicui cardinali demandare cupientes, motu igitur proprio, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione, te dicti collegii Capranicensis, eiusque alumnorum et personarum, ac reddituum, bonorum et iurium omnium apud nos et Sedem Apostolicam protectorem, quoad vixeris, tenore praesentium, auctoritate apostolicâ, facimus, constituimus et deputamus, tibique cum omnibus et singulis, privilegiis honoribus et oneribus, auctoritatibus et facultatibus ad huiusmodi protectoris officium de iure, usu et consuetudine, ac aliàs quomodolibet pertinentibus, et praesertim potestate per te, vel per iudicem a te deputandum, causas tam civiles quam criminales eiusdem collegii scholarium, personarum et rerum, seu ad ipsos quomodolibet spectantes, tam motas quam movendas, audiendi, cognoscendi, et fine debito, prout iuris fuerit, decidendi et terminandi, uti, frui et potiri possis et valeas, auctoritate et tenore praesentium concedimus et indulgemus, mandantes dilectis filiis gubernatoribus, guardianis et rectori et scholaribus dicti collegii, ceterisque, ut te in protectorem dicti collegii reverenter suscipiant, tibique in omnibus officium protectoris huiusmodi concernentibus cum effectu pareant, obediant et intendant, tuaque salubria, monita et mandata prompte et efficaciter adimplere procurent; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXXI octobris MDCXLIV, Pontificatus nostri anno I.

Et occasione litterarum Innocentii praedecessoris praedicti quaestionis materiam inter Antonium cardinalem et protectorem ex unâ, et dilectos filios custodes gubernatores praedictos ex alterâ partibus, super iurisdictione gubernandi dictum collegium Capranicense, et illius scholares et personas corrigendi, mulctandi et puniendi, et eorumdem causas audiendi et decidendi orta fuerit, nosque, quibus, inter multiplices curas quae animum nostrum assidue pulsant, illa etiam cordi est, ut, semotis controversiarum et quaestionum anfractibus inter christifideles quoslibet, et praesertim Antonium cardinalem, ac custodes gubernatores praefatos, ius suum unicuique ut decet tribuatur, differentias super gubernio et iurisdictione, aliisque praedictis, aliquibus Romanae curiae insignibus praelatis, virtute, meritis et integritate pollentibus, mature et diligenter examinandas, ad hoc, ut nobis iura, tam Antonii cardinalis et protectoris, quam custodum gubernatorum praedictorum, et eorum vota referrent, commiserimus, habitâque relatione iurium et votorum praedictorum super differentiis huiusmodi de bono iure custodum gubernatorum clare constare, et iurisdictionem et gubernium huiusmodi non ad Antonium cardinalem et protectorem, vigore dictarum litterarum Innocentii praedicti, sed, in vim constitutionum, statutorum et litterarum Pauli III, Pauli IV et Pii V praedictorum, ad custodes gubernatores praefatos vere, realiter plene et effective spectare et pertinere compererimus: nos propterea, his et aliis rationalibus de causis adducti, ac etiam piae menti et voluntati Dominici et Stephani cardinalium fundatorum praedictorum consulere, et ius suum unicuique, prout aequum est, tribuere, et ne in posterum similes differentiae oriantur, quaecumque obstacula de medio in totum tollere, aliàsque in praemissis opportune

Confirmat ut in rubrica.

providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, Pauli IV et Pii V praedecessorum praedictorum, necnon constitutiones et statuta Dominici et Stephani cardinalium memoratorum, quoad illas partes quae non adversantur reformationibus constitutionum et statutorum huiusmodi de mandato nostro editis, ac easdem reformationes, omniaque et singula in eis expressa et contenta quaecumque speciali notâ digna et necessario exprimenda, et praesertim quoad iurisdictionem gubernandi Capranicense et Nardinum collegia huiusmodi, ac corrigendi, mulctandi et puniendi scholares et studentes, ac personas in eis degentes, et eorum causas quascumque tam civiles quam criminales audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, iuxta formam constitutionum cardinalium fundatorum, cum omnibus et singulis inde sequutis et sequentibus quibuscumque, apostolicâ auctoritate specialiter et expresse approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et solemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, seu stylorum, usuum et consuetudinum, etiam immemorabilium praescripto, quam aliàs quomodocumque et qualitercumque in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoscumque quantumvis magnos et formales, ac substantiales defectus, si qui principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, praetendi, vel intelligi nunquam[1] possent, plenissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus; et nihilominus titulum, denominationem,

1 Legendum *unquam* (R. T.).

essentiam et qualitatem protectoris et protectionis huiusmodi perpetuo extinguimus et supprimimus, ita ut de cetero per nos et Sedem Apostolicam nunquam alter protector eidem collegio Capranicensi deputari possit, necnon litteras Innocentii praedecessoris praedicti cassamus, annullamus et irritamus, ac pro cassatis, annullatis, irritis haberi volumus et mandamus. Immo pro potiori cautelâ, et quatenus opus sit, iurisdictionem, gubernium, et alia praemissa eisdem custodibus gubernatoribus de novo concedimus iuxta formam praedictarum constitutionum cardinalis fundatoris.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam quod Antonius cardinalis praedictus, et alii quicumque etiam similis dignitatis, seu cuiusvis alterius status, gradus, ordinis, praeminentiae, seu aliâ speciali notâ et expressione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, piâ, legitimâ, iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quomodolibet[1] quantumvis magno et substantiali etiam inexcogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed easdem praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac modernis et pro tempore existentibus custodibus gubernatoribus plenissime et perpetuo suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et quomodocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et ab omnibus observari mandat.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem collegii Capranicensis, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stylis, usibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam Innocentii, quam quorumlibet aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, quibuslibet, etiam S. R. E. cardinalibus, aliisque quibuscumque, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet

1 Legendum *quolibet* (R. T.).

concessis, confirmatis et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter insertis, servatis et expressis respective habentes, illis aliàs (non tamen Innocentii praedecessoris per nos cassatâ, annullatâ et irritâ) in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse ac plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXXI octobris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 31 octobris 1661, pontif. anno VII.

CCCLX.

Abrogatio statuti per capitulum generale militiae S. Iacobi de Spatha anno MDCLIII *facti super probatione nobilitatis avorum, etc.*[1].

Carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Alexander Papa VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio. § 1. Maiestatis tuae nomine nobis per dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Guzman Ponce de Leon, tuum apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nuper expositum fuit, quod, cum per quodam antiquum statutum militiae S. Iacobi de Spatha sub regulâ S. Augustini, cuius tu administrator perpetuus auctoritate apostolicâ deputatus existis, caveretur expresse, quod, qui in fratrem militem dictae militiae recipi desideraret, nobilitatem suorum genitoris et genitricis dumtaxat, quodque illi officia mechanica non exercuissent, probare deberet; capitulum generale eiusdem militiae anno MDCLIII celebratum, remque[1] in maius dictae militiae decus cederet faciendi ergo, statuit, ut ex tunc in futurum etiam nobilitas avorum paterni et materni, quodque nec illi officia mechanica huiusmodi habuissent seu exercuissent probari deberet. Verum paulo post compertum est novum statutum huiusmodi gravissimis inconvenientibus, tam contra militiam praefatam, quam contra illos, qui habitum per fratres milites ipsius militiae gestari solitum suscipere cupiunt, causam praebere: nam cum dicti habitus concessio[2] unum sit ex praemiis maioris honoris, quae maiestas tua personis benemeritis, praesertim militibus, post multorum annorum servitia, quibus facere aequum est, conferre solet, huiusmodi praemium praedictae novae probationis onore per dictum novum statutum introducto ita coarctatur, ut illius incapaces reperiantur multi, qui iuxta stylum antiquum illo decorari possent; ipsique praetendentes ad habitum huiusmodi admitti, post obtentam super eâ re gratiam, non sine notâ remanent, dum probationes suae nobilitatis iuxta formam memorati novi statuti facere nequeunt.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tu, praemissis consideratis, de dilectorum filiorum consilii tui Ordinum militiarum, necnon alterius peculiaris congregationis virorum gravissimorum, quibus negotium huiusmodi extra

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *rem quae* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *concesso* (R. T.).

ordinem demandasti, sententiâ, expedire iudicaveris statutum novum huiusmodi abrogari, et antiquum restitui, quo disponitur, cum[1] nobilitas genitoris et genitricis dumtaxat quodque illi officia mechanica non exercuerint probetur, absque eo quod idem de personâ avorum probare sit necesse: nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum. § 3. Nos igitur, maiestatis tuae votis in praemissis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, novum statutum supra expressum, in capitulo generali anno MDCLIII celebrato factum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, abrogamus et abolemus, ac praefatum antiquum dictae militiae statutum, quo cavetur, ut nobilitas genitoris et genitricis dumtaxat, quodque illi officia mechanica non exercuerint, ad effectum suscipiendi[2] habitum fratrum militum eiusdem militiae, probari debeat, itaut etiam concessiones habitus praefati illis, quorum probationes, iuxta novum statutum ut praefertur abrogatum, factae, ac in consilio dictae militiae retentae et pendentes existunt, necnon illis, qui habitus huiusmodi gratiam a te iam obtinuerunt, nec probationes suas hactenus fecerunt, iuxta antiquum statutum huiusmodi fieri et expediri possint, auctoritate et tenore praefatis restituimus et innovamus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII novembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 novembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXI.

Statutum, ut in provinciâ Portugalliae tertii Ordinis sancti Francisci observetur decretum cardinalis Veralli protectoris Ordinis Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ, quo cavetur, ut sententiae privationis vocis activae et passivae, ac inhabilitatis, a superioribus Ordinis latae, non promulgentur in ipso electionis actu, atque sic promulgatae vocales minime afficiant nisi per mensem ante fuerint intimatae.

1 Videtur legend. *quod* vel *ut* pro *cum* (R.T.).
2 Male edit. Main. legit *suspiciendi* (R. T.).

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Emanuel a Spiritu Sancto frater provinciae Portugalliae tertii Ordinis sancti Francisci, quod dudum bonae memoriae Fabritius, dum vixit, S. R. E. cardinalis Verallus nuncupatus, Ordinis fratrum Minorum eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum apud Sedem Apostolicam protector, decretum edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum cardinalis Veralli. « Fabritius, divinâ miseratione tituli S. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Verallus nuncupatus, totius Ordinis sancti Francisci Minorum Observantium protector, corrector et gubernator. Ad tollendas inquietitudines praedicti Ordinis, quae in capitulis provincialibus ob vocalium privationem oriuntur, facto verbo cum sanctissimo Domino nostro, renovamus decretum praelatorum visitationis apostolicae emanatum sub die XXIV octobris MDCVII quod est tale: — Privationis vocis activae et passivae, ac inhabilitatis decreta, sententiaeve ab eisdem superioribus Ordinis latae, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eae promulgatae vocales minime afficiant, nisi per mensem ante fuerint intimatae parti[1] Sanctitas sua omnino vetuit. Quod decretum omnino servari mandamus sub poenis nostro arbitrio infligendis contravenientibus. Concessionem vero, seu declarationem praedicti decreti in contrarium factam a Sanctitate Suâ sub die XXVI novembris MDCVI, de eiusdem sanctissimi Domini nostri mandato suspendimus. Datum Romae ex aedibus nostris die XXVII maii MDCXVI ».

Petitio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, plurimum expediat disposita per decretum praeinsertum in memoratâ[2] provinciâ Portugalliae observari, attento quod ob impossibilitatem seu distantiam legitimi recursus privationes illic absque remedio fieri et accidere consueverunt; nobis propterea dictus Emanuel humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio decreti. § 3. Nos igitur, ipsum Emanuelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, habitâ relatione de praemissis, reque maturâ deliberatione perpensâ, ad evitandas capitulorum Ordinis huiusmodi nullitate, quas saepius praenarratis de causis evenire non semel experientiâ compertum est, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus in memoratâ provinciâ Portugalliae tertii Ordinis sancti Francisci deinceps praeinsertum decretum praefati Fabritii cardinalis perpetuo observari, atque iuxta illius tenorem et formam, et non aliâs, ad praenarratas privationes, si quandoque legitimae causae subsint, procedi ac deveniri, prout observari et non aliter procedi ac deveniri, respective, auctoritate et tenore praedictis, mandamus et praecipimus,

Clausulae. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum

1 Male edit. Main. legit *partim* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *immemoratâ* (R. T.).

et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 5. Quocirca dilectis filiis vicariis capitularibus ecclesiarum Ulyssiponensis et Elborensis et Colimbriensis, illarum sedibus archiepiscopalibus et episcopali respective vacantibus, legitime deputatis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrà ipsas praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habentes servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus inobservantiâ dicti decreti, quae allegari posset, quodque praedicta provincia Portugalliae tertii Ordinis dici nequeat de Ordine fratrum Minorum de Observantiâ, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dictis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictorum tertii Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 novembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXII.

Concedit undecim congregationibus monasticis, ut capiant ad censum, aut alio licito contractu, quadraginta millia scuta monetae pro primâ solutione sex decimarum [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Motiva huius Constitutionis.

Nuper, ut nomini christiano contra impios Turcarum conatus et invasiones opem ferremus, sex decimas fructuum, reddituum et proventuum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum ac mensarum etiam quorumvis ordinum, congregationum et institutorum regularium, necnon pensionum super illis reservatarum, ab illis, ad quos spectat, intra decennium decem aequalibus portionibus, nisi aliter cum Sede et camerâ apostolicâ concordatum foret, persolvendas, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis imposuimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

1 Vide ad Constit. CCCXXXV, *Cum divina*, supra p. 674, quae est indictio sex decimarum.

Supplicatio.

§ 1. Cum autem, sicut dilecti filii infrascriptarum undecim congregationum procuratores generales nobis subinde exponi fecerunt, ipsi nomine earumdem congregationum cum camerâ praedictâ super solutione sex decimarum huiusmodi, mediante summâ quadraginta millium scutorum monetae eidem camerae intra totum currentem annum MDCLXI praestandâ concordaverint, nec eis suppetat modus congerendi summam huiusmodi, nisi illam ad censum aut alio licito contractu capiant; nos, specialem eisdem procuratoribus generalibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

Commissio ut in rubricâ.

§ 2. Motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, congregationibus praedictis, Cassinensium nimirum et montis Oliveti, Ordinis sancti Benedicti, Lateranensium canonicorum regularium sub regulâ S. Augustini, Cartusianorum, Camaldulensium, Caelestinorum, S. Salvatoris Bononiensium etiam canonicorum regularium, Vallis Umbrosae et S. Gregorii in Alga pariter canonicorum regularium, Cisterciensiumque Lombardiae et S. Hieronymi, earumque procuratoribus generalibus quamvis ad hoc specie mandatum non habeant, vel eorum substitutis, et cum interventu dilecti filii nostri et camerae apostolicae thesaurarii generalis, etiam absque scientiâ, participatione, mandato speciali vel generali, aut consensu abbatum et priorum generalium, seu aliorum quorumcumque superiorum et officialium quocumque nomine nuncupatorum earumdem congregationum, imo ipsis invitis et reclamantibus, summam quadraginta millium scutorum huiusmodi, pro ratâ singulas congregationes tangente[1], a quibuscumque personis seu mercatoribus eorum fidem sequi volentibus et meliorem conditionem offerentibus ad censum perpetuum redimibilem, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri super creandis censibus editae, seu alio quovis licito et sacris canonibus non improbato contractu, accipere, illamque penes depositarium nostrum generalem seorsum ab aliis nostris pecuniis deponere; itaut inde amoveri, nec in alios quam supradictos usus converti valeant, ac taxam aliquam inter se pro cuiusque ipsarum facultate redditnum annuorum pro solvendâ quadraginta millium scutorum huiusmodi summâ constituere, aut aliàs ratam partem reddituum, prout cuilibet ex congregationibus praedictis minus incommodum et damnosum esse ac magis expedire iudicaverit, assignare, dictamque ratam monti Novennali aut Religionum[2] applicare, quae sufficiat pro dictâ summâ quadraginta millium scutorum congerendâ, factâque taxâ huiusmodi, eamdem monti Novennali aut Regionum praedicto ultra alias taxas, quas singulae congregationes hactenus solverunt et solvere obligatae sunt, assignare, applicare et incorporare, ac super taxâ seu ratâ sic faciendâ, assignandâ et incorporandâ totidem loca praedicto monti cedere, quot pro summâ praedictâ quadraginta millium scutorum congerendâ necessaria erunt, necnon eisdem omnibus procuratoribus generalibus seu illorum substitutis, postquam taxa huiusmodi facta fuerit (tam pro emptoris seu emptorum censuum praedictorum, seu eorum qui pro congerendâ summâ quadraginta millium scutorum huiusmodi

1 Male edit. Main. legit *tangentes* (R. T.).
2 Infra legit *Regionum* (R. T.).

aliquam pecuniarum summam eisdem procuratoribus seu eorum substitutis et eorum cuilibet, ut praefertur, dederint vel aliàs erogaverint, seu pro eisdem procuratoribus aut eorum substitutis in quibuscumque cedulis banchariis, cambiis, obligationibus, contractibus et quibusvis pecuniarum huiusmodi receptionibus fideiusserint et intervenerint, securitate, relevatione et indemnitate, quam super taxâ inter ipsas congregationes pro ratâ quamlibet suarum congregationum respective tangente) nominatim dictas congregationes, unusquisque procurator generalis seu eius substitutus videlicet suam, etiamsi ab eâ speciale aut generale mandatum in capitulo generali aut aliàs iuxta constitutiones ipsarum congregationum factum non habeat, omniaque et singula earumdem congregationum bona mobilia et immobilia ubilibet existentia, praesentia et futura, principaliter et in solidum ipsarum congregationum nominibus omni meliori modo ac in ampliori formâ camerae apostolicae obligare et specialiter hypothecare, necnon super praemissis et illorum quolibet, et eorumdem praemissorum et cuiuslibet ipsorum occasione, quaecumque instrumenta cum quibusvis submissionibus, renunciationibus, fideiussionibus, promissionibus, iuramentis, cautionibus, conditionibus, cautelis, decretis et clausulis solitis et consuetis, ac aliàs necessariis et opportunis, dicto thesaurario ac partibus ipsis benevisis, celebrare, aliaque pro personarum et mercatorum, ac etiam pro maiori montis praedicti, illiusque collegii, et omnium, qui suas pecunias in eodem monte collocaverint, securitate, ac aliàs super his necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia forent quae specificam, individuam et expressam requirerent mentionem, facere et exequi;

Clausulae. § 3. Ac ulterius ipsis modernis et pro tempore existentibus praedictarum congregationum procuratoribus generalibus, seu eorum substitutis, ut in earum quisque congregationibus taxam ut praefertur faciendam, pro ratâ eas respective tangente, inter monasteria et conventus earum dividere, et ab illis exigere, et depositario dicti montis (quem ipsas congregationes, tam pro praesenti additione quam pro primâ dicti montis erectione et illius additione aliàs factâ, etiam modernum depositarium, nisi depositariam ipsam titulo forsan oneroso obtineat, ad eorum libitum amovendo, deputare posse concedimus) quotannis, prout de antiquis taxis seu ratis fieri consuevit, consignare cum facultatibus et auctoritatibus solitis libere et licite possint et valeant, ac omnino respective teneantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Cautelae. § 4. Praeterea, pro maiori montis praedicti, illiusque collegii montistarum, necnon eorum, qui pecunias suas in dicto monte collocabunt, cautelâ et securitate, ex nunc pariter prout ex tunc postquam dictus mons vigore praesentium ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quod tam antiqua quam nova loca augenda huiusmodi unum idemque montis corpus, ac ultimorum locorum emptores cum antiquis montistis unum idemque collegium absque aliâ prorsus ratione prioritatis seu posterioritatis differentiâ constituant, ac posteriora loca illorumque emptores omnibus et singulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus et privilegiis, quibus antiquiora loca illorumque possessores iuxta dicti montis erectionis formam utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt[1], in futurum pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere

1 Edit. Main. habet *potuerunt* (R. T.).

possint, valeant et debeant in omnibus et per omnia absque aliquâ similiter differentiâ statuimus et ordinamus: volumusque etiam, ac eisdem procuratoribus generalibus seu eorum substitutis, ut loca praedicta montis vigore praesentium augendi cum interventu dicti thesaurarii generalis cuicumque mercatori, seu aliis personis meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos conveniendo, vendere et alienare, pretiumque inde redigendum, ut praefertur, et non aliàs, deponere libere similiter et licite possint, ac etiam omnino teneantur, facultatem similiter impertimur.

§ 5. Et nihilominus omnia et singulà praemissa, ac alia eorum vigore per dictas congregationes seu earum procuratores generales aut illorum substitutos cum interventu dicti thesaurarii generalis, et instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis, licitis tamen et honestis, ac a[1] sacris canonibus non improbatis, ex nunc prout ex tunc postquam facta et celebrata fuerint, auctoritate et tenore praedictis approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac etiam substantialium forsan solemnitatum quomodolibet omissarum defectus, si qui in eisdem intervenerint, praecipue vero defectus mandatorum specialium ac generalium ad praemissa facienda requisitorum, motu et scientiâ similibus, pari auctoritate et tenore, supplemus.

Pontificum suorum praedecessorum decreta confirmat.

§ 6. Declarantes quod per huiusmodi subventionem a nobis ut petitur faciendam privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et gratiis, tam per praedictum Pium praedecessorem per eius litteras sub datâ anno MDLXX, XIV kalendas aprilis, pontificatus sui anno VI, quam per piae memoriae Clementis Papae VIII similiter praedecessoris nostri litteras, sub annulo Piscatoris, die V maii MDXCV, ac etiam per alias eiusdem Clementis praedecessoris litteras in formâ motusproprii de anno MDXCVII, seu aliàs eisdem congregationibus concessis, nullatenus praeiudicatum sit aut esse censeatur; imo privilegia, immunitates, exemptiones et gratias praedictas, ac etiam omnes et quascumque alias gratias, immunitates et privilegia per quoscumque praedecessores nostros quomodolibet concessa, quatenus tamen sint in usu, et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur, harum serie, quatenus opus sit, de novo confirmamus, approbamus et innovamus, illaque eisdem congregationibus inviolabiliter observari mandamus, etiamsi tam litterae praedictae Pii V quam Clementis praedecessorum huiusmodi, et aliae quaecumque super praemissis, in camerâ apostolicâ registratae non essent, non obstante constitutione similis memoriae Pii IV pariter praedecessoris nostri de quibuscumque litteris et gratiis interesse camerae concernentibus registrandis; volentes etiam quod praesentes nostras in eâdem camerâ registrare seu registrari facere minime teneantur.

Clausulae.

§ 7. Decernentes insuper ea omnia et singula firma, valida et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac per omnes et singulas congregationes praedictas, perinde ac si procuratores seu eorum substituti praedicti illas cum speciali earum mandato obligassent, ac alios omnes, ad quos spectabit, observanda esse, praesentesque litteras nullo unquam tempore, etiam ex eo quod praedictae congregationes, et quicumque alii ad quos spectat, praemissis expresse et nominatim non consenserint, aut aliàs quomodolibet, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio defectu notari,

[1] Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

impugnari, invalidari, infringi, in ius vel controversiam revocari, aut sub ullis revocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus aut modificationibus comprehendi minime posse, nisi de earumdem praesentium toto tenore specialis et ad verbum expressa mentio facta fuerit; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius camerae apostolicae praesidentes et clericos, ac S. R. E. camerarium, thesaurariumque praedictum, et alios dictae camerae ministros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate[1], scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contra inobedientes poenae.

§ 8. Quocirca dilectis filiis nostro et S. R. E. camerario ac thesaurario generali praedicto ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, ac in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia et singula in praesentibus expressa, et illarum vigore facienda quaecumque, ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu postpositis, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV, Pii V, et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, earumdem quoque congregationum, et cuiuslibet earum, monasteriorumque singularium * statutis et consuetudinibus, etiam iuramento vel quavis firmitate aliâ roboratis * [1] statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam in vim contractus, aut motu proprio, vel consistorialiter eisdem congregationibus, illarumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus ac aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI novembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 11 novembris 1661, pontif. anno VII.

1 Desunt *iudicari debere*, *ac irritum et inane*, *si secus*, etc. (R. T.).

1 Periodus inter duos asteriscos contenta abundat (R. T.).

CCCLXIII.

Confirmatio concordati in capitulo generali Ordinis Minorum sancti Francisci facti circa electionem definitoris generalis, quod hic assumatur alternatim ex provinciis Recollectorum regni Galliae[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis, exprovincialis, custos et definitores provinciae S. Sacramenti in Gallia fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod aliàs pro eorum parte congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, concordatum in ultimo capitulo generali dicti Ordinis anno MDCLVIII in Hispaniâ celebrato inter fratres Recollectos vocales provinciarum dicti regni Galliae circa electionem definitoris generalis, quod hic assumeretur alternative ex praedictis provinciis, iuxta illarum institutionem, factum, sancitum et decretum nemine penitus discrepante, et omnibus quorum intererat, subscriptum et acceptatum, ac per decretum venerabilis fratris nostri Francisci Portuensis eiusdem S. R. E. cardinalis Barberini nuncupati, praedicti Ordinis apud nos et Sedem Apostolicam protectoris, confirmatum fuisse; ideoque eidem congregationi supplicato pro dicti concordati observantiâ usque ad haec tempora in usum deductâ firmiter et inconcusse, non obstante quod aliqui fratres hunc ordinem tam solemniter factum et concordatum tentassent evertere, et praedictam provinciam S. Sacramenti in suo gradu susceptionis stantem privari definitoriatu generali, etiam contra aliud statutum in simili factum in alio capitulo generali habito Romae anno MDCXXV et per quasdam felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri in simili formâ Brevis litteras eodem anno confirmatum, videlicet, quod definitor generalis alternative eligeretur; praefata congregatio ipsorum exponentium libellum supplicem ad dilectum filium vicecommissarium curiae dicti Ordinis pro informatione remisit, qui spondit:

I. Concordatum huiusmodi factum et fundatum super statuto generali praefato per dictas Urbani praedecessoris litteras confirmato non fuisse acceptatum a capitulo generali;

II. Fratres familiae hanc alternativam provisionem seu electionem inter ipsos non admittere;

III. Eamdem alternativam electionem esse contra canones et iura Ordinis, unde dicta congregatio relationem huiusmodi praedictis exponentibus ostendendam esse rescripsit.

Motiva. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, allegata a praefato vicecommissario curiae nihil afficiant, attento quod praedictum concordatum vere, realiter, et cum effectu, toto capitulo generali vidente, consentiente et approbante, fuerit acceptatum, nec de hoc dubitari possit, cum in huiusmodi capitulis generalibus quaelibet familia tam reformatorum quam non reformatorum cuiuslibet nationis semper congregari soleat in discretorio ad decernendum quicquid benevisum fuerit, et tale concordatum ad solos recollectos pertinuisset approbare[1], vel ab eâ recedere, iuxta litteras apostolicas institutionis et erectionis ipsorum recollectorum a recolendae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore pariter nostro emanatas, illudque taliter sancitum praedicti recollecti approbaverint; unde comprobatum

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Haec et sequentia intelligat vel emendet qui potest (R. T.).

remanet vere acceptatum fuisse a capitulo generali, et confirmatum a memorato Francisco cardinali protectore, quicquid secus dixerit dictus vicecommissarius curiae, cumque tanta sit differentia inter fratres familiae et fratres recollectos, sicut inter reformatos[1], ut sicut reformati in regulae et constitutionum observantiâ non debent sumere exemplum a non reformatis, sic nec se conformare in assumptione unius definitorii generalis; ex quo comprobatur, quod alternativa praedictarum provinciarum in electione definitoris non est contra canones et iura Ordinis, dum electio ministri generalis, quae est principalior, est alternativa ex utrâque familiâ; neque ex hoc tollitur libertas, ut gratis asserit idem vicecommissarius curiae, in casu etiam eorumdem exponentium, dum alternative fit electio iuxta ordinem, institutionem et erectionem provinciarum praedictorum recollectorum, eum semper liberum fuerit unicuique electorum, si non inveniantur aut adsint in capitulo vel congregatione generali, ex provinciâ quae succedit successive in aliâ ex ordine suo definitores eligere: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat decretum. § 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem vicecommissarii Ordinis huiusmodi audiverunt, consilio, attentis narratis, praefatum decretum, seu concordatum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eique apostolicae auctoritatis robur adiicimus, ac proinde iuxta illius tenorem et formam per eos, ad quos spectat, deinceps fieri servarique mandamus et praecipimus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 novembris 1661, pontif. anno VII.

1 Videtur deesse *et non reformatos* (R. T.).

CCCLXIV.

Divinae[1] *ordinationes circa magistros privilegiatos provinciae S. Guillelmi Franciae Ordinis Eremitarum S. Augustini*[2].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In supremo iustitiae throno, meritis licet imparibus, a Domino constituti, inter varias gravissimasque curas, quae animum nostrum assidue pulsant, in illam peculiari studio incumbimus, ut exortas inter christifideles quoscumque, et praesertim illos qui ex fluctibus seculi in religiosae vitae portum confugerunt, controversias aequâ lance dirimere, ac eorum quieti opportunis rationibus consulere satagamus, prout, omnibus debite consideratis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Motiva. § 1. Itaque causam privilegiorum contradictorie agitatam inter dilectos filios magistros seu doctores theologos provinciae S. Guillelmi Franciae Ordinis Eremitarum sancti Augustini ex unâ, provincialem et exprovinciales eiusdem provinciae ex alterâ partibus, atque definitores intervenientes in eâdem causâ, cum quibusdam aliis dictae provinciae, componere cupientes, necnon dilectum pariter filium procuratorem generalem dicti Ordinis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui partes denuo audiverunt, et, referentibus tribus ex ipsis cardinalibus specialiter deputatis, rem iterum diligenter considerarunt et mature discusserunt, consilio, inhaerendo decreto priori emanato sub die VIII aprilis currentis anni, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et statuimus in dictâ provinciâ in futurum perpetuo admittendos esse decem magistros tantum cum privilegiis, ut infra, eosque nonnisi, qui antea receperint legitime laureolam doctoratus in aliquâ universitate approbatâ in regno Galliae, praeviâ tamen licentiâ dilecti filii prioris generalis Ordinis praefati de voto suae congregationis in scriptis habitâ, et cum expressione universitatis in qua licentiatus erit laureandus, si insuper, post expletum philosophicum ac theologicum in studendo cursum, deinde ad minus per sexennium ipsam philosophiam et theologiam vel Sacram Scripturam honorifice docuerint, aut per decennium saltem in principalioribus ecclesiis laudabiliter concionati fuerint, ac praeterea, praevio rigoroso examine intra eamdem provinciam faciendo per tres examinatores ipsiusmet provinciae a priori generali cum voto suae congregationis deligendos ex novem fratribus in quolibet capitulo provinciali a definitorio nominandis, sufficientes reperti et iurato fideli testimonio eorumdem fratrum examinatorum commendati fuerint, et hos sic legitime promotos, atque iuxta praefixum doctorum numerum cooptatos, frui debere privilegiis loci et vocis iuxta constitutiones Ordinis, salvâ in reliquis et illibatâ permanente ipsius provinciae observantiâ regulari, praesertim quoad vitam communem et frequentiam chori et refectorii. Praeterea decernimus in dicto numero denario magistrorum privilegia- Ordinationes

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Sufficit legere *Diversae* (R. T.).

torum hac primâ vice admittendos esse, prout de facto admittimus, non requisitâ provinciae acceptatione, et sine alio novo examine, octo magistros actu existentes, videlicet Franciscum Viogne, modernum assistentem Franciae, Bartholomaeum Naudelt, exprovincialem, Raphaëlem Alonche, exprovincialem, Iacobum Durandeau, primum definitorem, Carolum Moreau, Augustinum Robert, Martialem Layard et Ignatium Langlois, dicti Ordinis professores, in sacrâ theologiâ magistros, qui omnes cum licentiâ prioris generalis olim sumpserunt gradum doctoratus, necnon et alios duos nondum doctorali laureolâ insignitos, postquam (ut supra dictum est) legitime eam assequuti, et ceteris[1] conditionibus et requisitis supra positis praediti[2], et successive de licentiâ prioris generalis per examinatores provinciae examinati et legitime approbati fuerint, vel etiam respective alios non dissimiles (si qui praenominatorum forte magistrorum privilegia recusaverint vel procurare neglexerint) a priore generali de voto suae congregationis deputandos et constituendos. Verum, datâ pro tempore dicti numeri denarii quacumque vacatione per mortem, aut per excorporationem perpetuam ab ipsâ provinciâ, et non aliâs, alicuius ex magistris intra eumdem numerum actu privilegiatis, tunc per priorem generalem de voto suae congregationis unus vel plures in loco seu locis vacantibus ex antiquioribus graduatis ad formam praescriptam, et concurrentibus aliis requisitis, ac praevio examine et approbatione ut supra, subrogentur et in proxime futuro definitorio omnino acceptentur et admittantur. Ceterum praemissa omnia et singula ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae et officiorum, necnon inhabilitatis ad illa de cetero obtinenda, per contraventores ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, inviolabiliter observari mandamus et praecipimus.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus Petro archiepiscopo Tolosano ac Henrico olim Rhedonensi et Harduino Rutenensi episcopis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras, et in eis[1] contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum quemlibet ipsarum praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas et alias censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censu-

1 Edit. Main. legit *ceteri* pro *ceteris* (R. T.).
2 Ibid. legitur *praedicti* pro *praediti* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *cum eis* pro *et in eis* (R. T.).

ras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quoad singula praemissa, quibuscumque oppositis determinationibus seu definitionibus dictae provinciae, etiam per priores generales Ordinis confirmatis, ac specialibus litteris et mandatis eorumdem priorum generalium aliter disponentibus, necnon congregationis praefatorum cardinalium decretis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, ac concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas in iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 19 novembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXV.

Diversae ordinationes in negotio decanatus metropolitanae ecclesiae Bisuntinae [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Iustitiae exigit ratio ut Romanus Pontifex, Ecclesiae universalis regimini divinâ providentiâ praepositus, ita se praemiorum ac poenarum fidelem praebeat dispensatorem [1], ut, quos propriâ virtute ac meritis dignos et Apostolicae Sedi (ut par est) obedientes agnoverit, gratiis et favoribus prosequatur, eos autem, quos animis moribusque depravatis contumaces ac inobsequentes experitur, iustâ animadversione coërceat. Ita enim fiet ut, virtutibus ac vitiis [2] congruâ retributione distinctis, et illae plurimum excitentur et haec valide compescantur, atque inde optata tranquillitas et pax in muneris pastoralis executione ad omnipotentis Dei gloriam consequantur.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Siquidem, cum aliàs nos, ecclesiae Bisuntinae archiepiscopum et pastorem eligentes ac praeficientes venerabilem fratrem Ioannem Iacobum Fauche de Dompred, decanatus primam ibidem dignitatem post pontificalem apostolicae provisioni affectam, quam ille tunc obtinebat, nobis specialiter etiam reservaverimus, ac praedictam reservationem capitulo et canonico eiusdem ecclesiae nostris litteris in formâ Brevis datis sub annulo Piscatoris die XXVI februarii huius anni insinuantes, eosdem monuerimus, ut personas optime meritas, ac servitio Dei, ecclesiaeque aptiores, nobis suo testimonio quamcitius referrent, quarum [3] unica dignitas probe conferri posset, prout nos, omni personarum acceptione postpositâ, collaturos asseveravimus, illis interea specialiter inhibentes ne quid circa dictum decanatum aut decani electionem agerent vel attentarent, cuiuscumque praetensae

1 Male edit. Main. legit *dispensationem* pro *dispensatorem* (R. T.).

2 Eadem edit. legit *vitii* pro *vitiis* (R. T.).

3 Heic deest vox *uni* (R. T.).

facultatis, indulti, privilegii, consuetudinis, vel alio titulo, nisi eorum iuribus (si quae[1] praetenderent) ad nostram audientiam relatis, nostrâque declaratione atque iussione expectatâ, quae praecedente cognitione ac deliberatione ad ipsorum notitiam delata fuisset, declarantes irritum et inane quidquid secus in praemissis ab eis, vel aliquo, seu aliquibus eorum, quomodocumque et qualitercumque contingeret fieri vel attentari (quibus sane litteris nostris ab eis receptis, specialem nuncium ad nos miserunt Claudium Antonium Reud ex eorum gremio delectum[2], qui nostro praesentatus conspectui, litterisque capituli redditis datis die XXVI aprilis eiusdem anni, quibus suam erga nos et Apostolicam Sedem devotionem ac obsequium contestantes nostris super praemissis mandatis unanimem obedientiam profitebantur, benigne exceptus, ac subinde quatuor curiae nostrae praelatos doctrinâ et integritate praestantes informare iussus fuit, ut, eorum auditis votis, certius reciperet iustitiae complementum); interea tamen, dum haec coram nobis agerentur, convocato capitulo, nonnulli ex eis, maiorem forsan tunc interessentium partem constituentes, nostris non attentis mandatis, inhibitionibus, atque decretis, nullâque ad nos delatae ac pendentis in audientiâ nostrâ cognitionis ratione habitâ, ad electionem Guglielmi Humberti Praecipiani, seu de Praecipiano, archidiaconi maioris, cum eis praesentis ac satagentis, in eiusdem ecclesiae decanum maiorem prosilire, ac in possessionem dictae dignitatis, eiusque bonorum et iurium immittere, imo verius intrudere, locumque in choro assignare nulliter, perperam et temerarie ausi fuerunt. Quare nos, praemissis omnibus attente perpensis, auditisque etiam praedictis praelatis, ac toto negocio mature considerato, attendentes detestabilem huiusmodi dictorum canonicorum temeritatem et petulantiam, gravissimis quidem canonicis quibusque poenis iustissime puniendam, ne Apostolicae Sedis maiestas, ab omnibus, praesertim autem ecclesiasticis personis, maxime veneranda, contemnatur impune, et ecclesiasticae disciplinae observantia pernicioso inquinetur exemplo, verumtamen legum severitatem apostolicae lenitatis moderatione temperare volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ deliberatione[1], et ex certâ scientiâ, declaramus electionem praedicti decani et omnia et singula circa eum acta, gesta, et possessionem, seu verius intrusionem, ac cetera quaecumque subsequuta, nullam penitus et attentatam, nullaque et attentata, et nullius roboris aut momenti fuisse et esse, neque in quovis iudicio, tam petitorio quam possessorio et summariissimo et meri facti, prodesse atque attendi posse vel debere, sed eumdem decanatum adhuc vacare, ut prius vacabat per promotionem praedicti Ioannis Iacobi ad dictam archiepiscopalem ecclesiam, sublatâ cuicumque aliter iudicandi, decernendi ac interpretandi potestate, irritum prorsus ac inane decernentes quidquid secus fieri, decerni atque attentari contigerit.

Ordinationes.

Clausulae poenales.

§ 2. Insuper dicto Guglielmo Humberto Praecipiano, tanti facinoris auctori, promotori, seu fautori, nullum omnino in dictâ dignitate, neque illius possessione vel quasi, neque ad eam ius acquisitum fuisse vel acquiri potuisse, sed ipsum perpetuo inhabilem et incapacem ad praedictum decanatum et alia quaecumque ecclesiastica beneficia quocumque etiam novo titulo, causâ vel praetextu obtinendum ac possidendum efficimus, reddimus, decernimus ac declaramus, ut in eo quod

1 Aptius lege *qua* pro *quae* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *delectus* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *liberatione* (R. T.).

suâ ambitione deliquit, condignâ animadversione puniatur, et facinoris sui damnabilem memoriam iugiter detestetur; illi eâdem auctoritate specialiter, expresseque mandantes ut statim, habitâ praesentium nostrarum litterarum intimatione (quam, si ille in civitate Bisuntinâ praesens non sit, domi eius habitationis et ad valvas cathedralis ecclesiae[1] validam, legitimam et sufficientem, perinde ac si personaliter facta fuisset, fore decernimus), a possessione, seu potius occupatione, ac intrusione dicti decanatus, ac eius iurium et bonorum, recedere, illamque liberam prorsus dimittere et relinquere, neque ad eam amplius redire, reverti vel accedere, nullosque fructus, redditus vel proventus exigere, vel etiam a sponte dantibus recipere audeat, per se, vel alium, aut alios quosvis, contra praesentis nostri interdicti atque inhibitionis praeceptum, sub poenâ excommunicationis eo ipso incurrendae, cuius absolutionem nobis tantum ac successoribus nostris reservamus; et nihilominus, si mandatis hisce nostris infra terminum novem dierum ab intimatione illi (ut praemissum est) faciendâ, quorum tres pro primo, alios tres pro ultimo canonico peremptorio illi assignamus, prompte et humiliter non paruerit, vel ausu temerario, per se, vel alios, quacumque auctoritate, medio, causâ vel praetextu ausus fuerit aliquatenus se opponere, contraire, vel promptam obedientiam differre, ultra praedictae excommunicationis incursum, exinde, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, amoveri, eiici et expelli mandamus, et quoscumque illi contra praemissa quoquo modo auxilium, favorem et assistentiam tam in iudicio quam extra praestantes ut praesentes nostrae litterae suam plenariam executionem non habeant, aut aliquatenus differatur, aut retardetur, eamdem excommunicationem incurrere pariter decernimus.

Poenas sibi augere reservat.

§ 3. Praeterea eumdem Guglielmum Praecipianum, et singulos alios canonicos, et quemlibet eorum qui in eius electionem per se ipsos vel procuratores consenserunt ac vota dederunt, ab executione sacrorum ordinum et ab exercitio quorumcumque officiorum suspendimus. Necnon eorum singulos ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum privamus voce activâ et passivâ, et omnibus fructibus et redditibus eorum praebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum (si quae[1] obtinent) quos per episcopos et Ordinarios locorum, in quibus eaedem praebendae ac beneficia consistunt, in pauperum eleemosynas distribui et erogari iubemus, et quotidianis etiam distributionibus, quas ceteris ecclesiae inservientibus accrescere decernimus. Nobis insuper reservantes praedictas poenas contra eorum singulos augere, prout cuiuslibet contumaciam magis exposcere cognoverimus.

Edictum hoc publicari vult.

§ 4. Et, ne ipsi aut aliquis eorum praesentium nostrarum litterarum declarationis, suspensionis et privationis ignorantiam ullo unquam tempore praetendere aut allegare possint, imo publice omnibus innotescant, committimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae infrascriptis exequutoribus deputatis, et eorum cuilibet in solidum, ut easdem nostras litteras, seu earum copiam, manu publici notarii transumptam, in cuius calce nomina et cognomina praefatorum, qui electionem huiusmodi temere et attentate facere ausi fuerunt, describi ac specificari faciant, quandocumque ac toties quoties fuerint eisdem exequutoribus et cuilibet illorum praesentatae, illas praedicto Guglielmo et singulis eius electoribus praedictis intimari personaliter, si in civitate reperientur, sin minus domi eorum habitationis

1 Videtur deesse vox *affixam* (R. T.).

1 Aptius lege *qua* pro *quae* (R. T.).

et amplius valvis ecclesiae cathedralis seu maioris loci, in quo haec agentur, affigi curent.

Decretum irritans.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod interesse habentes forsan vocati non fuerint, vel aliter, notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam ab eâdem Sede emanatis et in posterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sub poenis edictum servari mandat.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Bisuntino et episcopo Andrevellensi suffraganeo, ac dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori et officiali Bisuntino, necnon aliis quibuscumque venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis eorumque officialibus ubicumque existentibus, quibus praesentes nostrae litterae fuerint exhibitae ac praesentatae, per praesentes committimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut quoties desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant eas exequutioni omnino demandare[1], et suos plenarios obtinere effectus, iuxta earum continentiam et tenorem, non permittentes eas quovis modo impediri vel retardari, contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam praedictae ecclesiae Bisuntinae, atque etiam iuramento, confirmatione apostolicâ et quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, vel quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et ex-

1 Aptius lege *demandari* (R. T.).

pressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum, quia difficile foret earumdem praesentium litterarum notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas praesentare, eâdem auctoritate volumus et decernimus, quatenus transumptis earumdem praesentium litterarum, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides ubique tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v decembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 5 decembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXVI.

Innovatio constitutionum et decretorum in favorem sententiae asserentis animam beatae Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali praeservatam fuisse editorum [1].

**Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sollicitudo omnium ecclesiarum, quam, licet meritis et viribus longe impares, Dei optimi maximi voluntate et providentiâ gerimus, in id nos anxie tenet intentos et vigilantes, ut scandala, quae inter fideles pro humanae naturae corruptione et fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta, quam celerrime et quam diligentissime amoveantur; nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus vero praebentur praesens afferunt labendi periculum; quorum nos pro nostro pastoralis officii debito et damnum summopere dolemus, et discrimine assidue urimur.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Sane vetus est christifidelium erga eius beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii, humani generis Redemptoris, a maculâ peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium; crevitque horum numerus atque huiusmodi cultus post editas a felicis recordationis Sixto Papa IV praedecessore nostro in eius commendationem apostolicas constitutiones, quam sacrum Concilium Tridentinum innovavit atque observari mandavit; aucta rursus et prorogata fuit pietas haec et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, monasteria religiosorum Ordinum et confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut, accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam, iam fere omnes catholici eam complectantur.

§ 2. Et quia ex occasione contrariae assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quod nempe eadem beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo christiano cum magnâ Dei offensâ scandala, iurgia et dissentiones, recolendae memoriae Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, vetuit borum opinionem, praefatae sententiae contrariam, publice doceri aut praedicari. Quam prohibitionem piae memoriae Gregorius Pa-

1 Conceptionis B. M. V. disputatio quomodo sit prohibita et punita, vide ad Constit. CLXXVIII Pii V, tom. VII, pag. 872; Pauli V, Constit. CCLXXXI (al. 262), tom. XII, pag. 346; et Greg. XV, Constit. LXX (al. 68), ibid. pag. 717.

pa XV, similiter praedecessor noster, ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper in favorem eiusdem sententiae, ut in sacrosancto missae sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publice quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Supplicatio. § 3. Nihilominus, prout venerabiles fratres episcopi fere omnes Hispaniarum cum ecclesiarum suarum capitulis, datis ad nos litteris, exposuerunt (accedente etiam insinuatione carissimi in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum regis catholici, qui specialem super hoc misit ad nos oratorem venerabilem fratrem Ludovicum episcopum Placentinum, per quem etiam delatae fuerunt ad nos supplicationes regnorum earumdem Hispaniarum), pergunt aliqui contrariae illius opinionis assertores, contra praefatas prohibitiones, tum privatim tum publice praefatam sententiam aut impugnare aut vellicare, et favorem a Romanis Pontificibus cultui et festo secundum illam praestitum ita interpretari ut frustrentur; imo Ecclesiam Romanam huic sententiae et cultui iuxta illam Beatae Virgini exhibito favere negant, pios christifideles a suâ pacificâ quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala et iurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V et Gregorius XV nostri praedecessores, perdurant adhuc, et ex occasione eorumdem adversantium maiora incommoda in posterum prudenter et merito timentur. Quapropter super his tam praefati episcopi cum ecclesiarum suarum capitulis, quam memoratus Philippus rex, eiusque regna nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

Ordinationes Sixti IV, Pauli V et Gregorii XV confirmat. § 4. Nos, considerantes quod sancta Romana Ecclesia de intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit, iuxta piam, devotam et laudabilem institutionem quae a Sixto IV praedecessore nostro tunc emanavit: volentesque laudabili huic pietati et devotioni, et festo ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesiâ Romanâ post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo, favere, necnon tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi Beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratiâ a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis, amotisque scandalis, conservare, ad praefatorum episcoporum cum ecclesiarum suarum capitulis, ac Philippi regis, eiusque regnorum oblatam nobis instantiam, ac preces, constitutiones et decreta a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo V et Gregorio XV edita in favorem sententiae asserentis animam B. Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus Sancti gratiâ donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, necnon et in favorem festi et cultus Conceptioni eiusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus.

Clausulae poenales. § 5. Et insuper omnes et singulos, qui praefatas constitutiones seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae et festo seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe vel indirecte, aut quovis praetextu, etiam definibilitatis eius examinandae, sive Sacram Scripturam, sanctos Patres, sive doctores, glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu

voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo, ausi fuerint, praeter poenas et censuras in constitutionibus Sixti IV contentas, quibus illos subiacere volumus, et per praesentes subiicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscumque electionibus eo ipso absque aliâ declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum et interpretandum perpetnae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque aliâ declaratione; a quibus poenis nonnisi a nobis ipsis vel a successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis poenis nostro et eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subiicimus per praesentes, innovantes Pauli V et Gregorii XV superius memoratas constitutiones sive decreta.

Libros contra scriptos damnat.

§ 6. Ac libros, in quibus praefata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitnr, seu loquutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V supra laudatum decretum editos, aut in posterum quomodolibet edendos[1], prohibemus sub poenis et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque aliâ declaratione, pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus. Vetamus autem, Sixti IV constitutionibus inhaerentes, quempiam asserere quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romanâ Ecclesiâ et ab Apostolicâ Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, praeter poenas quibus eos subiecit Sixtus IV aliique praedecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subiicimus, quas in contrafacicntibus[1] huic nostrae constitutioni superius inflixímus.

Transgressores puniri mandat.

§ 7. Volentes quod contra huius nostrae constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis et instituti, etiam Societatis Iesu, et quomodolibet exemptos, et alias quascumque ecclesiasticas et seculares personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticae, quam secularis, ut praefertur, tam episcopi et praelati, superiores, aliique locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant et inquirant, atque in eos stricte animadvertant: nos enim iis et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi, ac poenis coërcendi et puniendi liberam facultatem et auctoritatem, iisdem auctoritate et tenore, tribuimus et impertimur, eosque, ut praefertnr, procedere, inquirere et punire districte praecipimus et mandamus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, quantumcumque qualificatis, et in quacumque etiam cardinalatus, patriarchali, archiepiscopali, episcopali, et quavis aliâ dignitate et honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel

1 Male edit. Main. legit *edita ... edenda* (R.T.).

1 Potius lege *contrafacientes* (R. T.).

excommunicari nequeant, quomodolibet concessis; quibus omnibus et eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis ipsorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales etiam idem importantes clausulas, mentio habenda aut alia exquisita forma observanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, harum serie specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Sub privatione ab ingressu ecclesiae poena hanc Constitutionem publicari et observari mandat.

§ 9. Ut autem haec nostra constitutio, et praemissa omnia, ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ privationis ab ingressu ecclesiae eo ipso incurrendâ, praecipimus et mandamus omnibus et singulis locorum Ordinariis, ac eorumdem vicariis, suffraganeis et officialibus quibuscumque, et aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat et pertinet, quatenus huiusmodi nostram constitutionem singulis suae dioecesis vel districtus praedicatoribus, et aliis, quibus expedire iudicaverint, opportune insinuent et publicent, ac insinuari et publicari faciant, ne quis in posterum quoquomodo ignorantiam de praemissis possit praetendere, aut se contra praemissa valeat excusare.

Transumptorum fides.

§ 10. Volumus, et similiter eâdem auctoritate decernimus et mandamus, quod praesentes litterae per aliquos ex nostris cursoribus in basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe de more publicentur et affigantur; quae affixio et publicatio ita omnes et singulos, ad quos spectat, afficiat et arctet, ac si illis personaliter intimatae fuissent; et quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus litteris adhiberetur, si ostensae vel exhibitae forent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII decembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 8 decembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXVII.

Confirmatio statuti, a congregatione generali Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum provinciae Conceptionis B. Mariae Virginis in Galliâ anno MDCXXI editi conformiter ad explicationem ab aliâ congregatione generali die XXV iunii proxime praeteriti factam, super praecedentiâ inter exprovinciales et exdefinitores generales dicti Ordinis[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis, definitor generalis, custos et definitores provinciae Conceptionis B. M. V. Immaculatae in Galliâ fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod aliàs in congregatione generali eiusdem Ordinis Segoviae in Hispaniâ anno MDCXXI celebratâ, pro confusione et abusibus[2] evitandis, factum fuit statutum generale pro ultramontanâ familiâ super praecedentiâ fratrum provincialatus officio functorum, ac illorum qui definitores generales fuerunt, tenoris sequentis, videlicet: Expositio.

« Deinde, qui definitores generales fuerunt, qui etiam, si antea ministri provinciales fuerunt, alios, qui eodem munere functi sunt, sin minus, illos dumtaxat, qui Decretum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Male edit. Main. legit ab usibus (R. T.).

post definitoriatus munus expletum ad ministeriatum sunt promoti ».

Quia vero statutum sic enunciatum, et inviolate servandum, a quibusdam varie explicabatur, unde quaedam litea oriebantur in supradictâ provinciâ, ad has sedandas remissa fuit explicatio dicti statuti ad definitorium generale congregationis generalis nuperrime celebratae in conventu Vallisoletano in Hispania die XXV iunii MDCLXI, quod definitorium generale denuo idem statutum stabilivit, confirmavit et explicavit per verba tenoris qui sequitur, videlicet:

Expositio decreti.

« Deinde, idest post exprovinciales, sedebunt qui definitores generales fuerunt, qui, si antea ministri provinciales fuerint, alios, qui eodem munere ministeriatus functi sunt, praecedent, sin minus, idest si definitores generales non fuerint antea provinciales, illos dumtaxat praecedent, qui post definitoriatus munus expletum ad ministeriatum sunt promoti, idest solos ministros futuros ».

Confirmat decretum.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ut paci et quieti provinciae praefatae consulatur, dicti exponentes explicationem memorati statuti, in definitorio generali congregationis generalis Vallisoletanae huiusmodi factam, apostolicae confirmationis robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii vicecommissarii generalis curiae Ordinis huiusmodi audiverunt, consilio, attentis narratis, praefatum statutum a congregatione generali habitâ in conventu Segoviensi de anno MDCXXI, ut dicitur, emanatum, conformiter ad praemissam explicationem factam ab aliâ congregatione in conventu Vallisoletano habitâ sub die XXV iunii currentis anni, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, et iuxta illius tenorem ac formam deinceps fieri servarique mandamus et praecipimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die X decembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 decembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXVIII.

Confirmatio decreti Congregationis Rituum, quo indulgetur ut in universo regno Siciliae officium S. Agathae vir-

ginis et martyris, quod ab universali Ecclesiâ sub ritu semiduplici recitatur, posthac ritu duplici recitari possit[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Motiva. § 1. Emanavit aliàs, ad instantiam dilecti filii nostri Camilli S. R. E. presbyteri cardinalis Astalii nuncupati, ecclesiae Cataniensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulis, ac dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis Cataniensis, a congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Cataniensis:

Sacrae congregationis decretum. Precibus eminentissimi domini cardinalis Astalii episcopi necnon civitatis Cataniae benigne inclinata sacrorum rituum congregatio indulsit ut in universo regno Siciliae officium S. Agathae virginis et martyris, quod ab universali Ecclesiâ sub ritu semiduplici recitatur, posthac ritu duplici recitari possit.

Die I octobris, MDCLXI,

I. episc. Sabinensis, card. SACCHETTUS.

FRANCISCUS MARIA PHOEBEUS, sacrae rituum congregationis secretarius ».

Decretum confirmat. § 2. Cum autem, sicut dicti Camillus cardinalis ac communitas et homines nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, eiusdem Camilli cardinalis votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac dictorum communitatis et homines[2] singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 decembris 1661, pontif. anno VII.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Potius lege *hominum* (R. T.).

CCCLXIX.

Breve beatificationis Francisci de Sales episcopi Genevensis.

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Spiritus Sanctus, qui suo incomprehensibili iudicio humilitatem atque infirmitatem nostram posuit regere Ecclesiam Dei, quum in divinis scripturis viros gloriosos, nimirum Sanctos, laudari praecipit, eorumque sapientiam et laudem narrari a populis et nunciari ab Ecclesiâ, docet nos atque illuminat quid nostris etiam temporibus agere debeamus. Quapropter apostolicae gubernationis curam et cogitationes in id sollicite intendimus, ut non modo eorum qui priscis, sed et qui proximis aetati nostrae seculis, sanctitate ac virtutibus eximie claruerunt, nomen et gloria ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu et honore palam venere-tur. Atque ideo tendentibus nuper in id ipsum piis catholicorum regum precibus, Prooemium.

praesulumque et principum, aliorumque Christi famulorum votis nos libenter annuimus, prout maturâ consideratione praemissâ ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae catholicae decus et praesidium in Domino salubriter expedire cognoscimus.

Motiva. § 1. Cum itaque carissimus in Christo filius noster Ludovicus rex Francorum christianissimus, unâ cum venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac universo clero, proceribus et universitatibus studiorum generalium regni Galliarum, necnon carissima in Christo filia nostra Anna Francorum christianissima et Henriceta Angliae illustris, reginae viduae, ac dilectus filius nobilis vir Carolus Emanuel Sabaudiae dux, et Pedemontii princepe, atque universus Ordo monialium Visitationis Beatae Mariae Virginis, a servo Dei Francisco de Sales episcopo Genevensi institutus, praesertim vero dilectae in Christo filiae superior et moniales monasterii oppidi Annesii, Genevensis dioecesis, impetraverint aliàs ad hac Sanctâ Sede facultatem, ut processus fierent super non cultu, ac super inquisitione de vitâ et moribus heroicisque virtutibus, ac de miraculis, quibus praedictus servus Dei Franciscus de Sales fulgere asserebatur;

Sequuntur motiva. § 2. Cumque postmodum processus huiusmodi confectos congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praeposita mature acerrimeque discusserit, ac de eorum validitate ac relevantiâ constare declaraverit, nempe de huius servi Dei vitae eximiâ sanctitate, et de assiduo virtutum theologicarum, cardinalium, ceterarumque omnium exercitio; immo, ultra multiplicem et miram haereticorum ad veritatem fidei catholicae conversionem, cum novem miracula insigniora eius obitum consequuta, communi quasi voce sanctitatem eius testantia, plene probari censuerit, quae selecta ex processibus intercessione memorati Francisci ab omnipotenti Deo edita recenserunt, ac praecipue duorum mortuorum suscitatio, caecinati illuminatio, contractorum ac praeclusorum a nativitate subita ac perfecta sanatio, nosque declarationes hasce approbaverimus; ideoque, cum ipsi iidem cardinales coram nobis congregati, praeviis etiam consultorum suffragiis, unanimes affirmaverint posse, quandocumque nobis visum fuerit, ad solemnem huius servi Dei canonizationem tuto procedi, atque interim indulgeri ut idem Franciscus nuncupetur Beatus, ac aliquibus in locis de eo tamquam de Confessore Pontifice officium et missa recitari ac solemniter celebrari possint:

§ 3. Hinc est quod nos, piis supplicationibus inclinati regis, reginarum, ac praesulum, qui etiam ad nos venerabilem fratrem Henricum episcopum Aniciensem hac super re nuper ablegarunt, necnon carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae regis Francorum coniugis christianissimae, ac Sabaudiae ducis, aliorumque praefatorum, illis propensâ benignitate libenter annuimus; ac, de praefatorum cardinalium consilio et unanimi assensu, auctoritate apostolicâ, tenore litterarum praesentium, indulgemus ut Dei servus Franciscus de Sales, olim episcopus Genevensis, in posterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eo celebretur officium et missa de Confessore Pontifice singulis annis iuxta rubricas breviarii et missalis romani, die scilicet XXIX ianuarii, qua eius corporis depositio in ecclesiâ monialium SS. Visitationis Annesii in Sabaudia celebrata fuit. Confirmatur prout in rubricis.

Concedit officium aliquibus locis.

§ 4. Haec vero concedimus in locis dumtaxat infrascriptis: nempe in omnibus ecclesiis monialium dicti Ordinis SS. Visitationis, quem beatus Franciscus instituit; in cathedrali templo Lugduni, ubi diem clausit extremum; in cathedrali Annesiensi, ubi sedit antistes; in matrice ecclesiâ loci de Sales, ubi natus est; et quidem sub ritu duplici maiori: in oppido vero Annesii, totâque dioecesi Genevensi, sub duplici minori; ac tam a secularibus quam a regularibus utriusque sexus, ac etiam a sacerdotibus quibuscumque, eo confluentibus, quantum ad missas attinet. Praeterea, praesenti dumtaxat anno a datis hisce litteris inchoando, in supradictis atque in singulis cathedralibus ecclesiis regni Galliarum, ac Sabaudiae et Pedemontii ditionis, solemnia beatificationis huius cum officio et missâ, sub ritu duplici maiori, die a locorum Ordinariis constitutâ et intra sex menses promulgandâ, celebrandi facultatem impertimur: Romae vero in ecclesiis S. Ludovici Gallicanae et S. Sindonis Sabaudiae ac Pedemontanae nationum, ac SS. Trinitatis in Monte Pincio, solemnia huiusce beatificationis intra bimestre proximum, postquam tamen illa in basilicâ Principis Apostolorum celebrata fuerint, pariter celebrari concedimus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibuscumque decretis super non cultu, seu aliàs, latis aut promulgatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu secretarii praedictae congregationis cardinalium sacris ritibus praepositorum subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 decembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXX.

Pro divisione Congregationis Clericorum regularium de Somoscha in tres provincias [1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad pastorale fastigium, superni dispositione consilii, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, evecti, in eam praecipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut congregationes religiosorum virorum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutae, ac uberes bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre iugiter satagentes, prospere salubriterque dirigantur; quo laudabilibus institutis suis inhaerentes, amotâ quacumque controversiarum et dissidiorum occasione, felicioribus in dies, divinâ largiente gratiâ, proficiant incrementis.

Motiva.

§ 1. Itaque, ut in Congregatione clericorum regularium de Somascha pax et religiosa unitas conservetur, et dignitates atque officia pro meritis personarum aequaliter distribuantur, providere cupientes, de voto congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae a nobis institutae deputatorum,

1 Clerici regulares de Somascha gaudent omnibus privilegiis Ordinibus Mendicantibus concessis et concedendis ex Pauli V Const. *Ex quo divina*, tom. XI, pag. 450 Eorumdem privilegia confirmavit Clemens VIII, Const. LX (*al.* 57) *Decet*, tom. X, pag. 42.

Divisio provinciae. § 2. Motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, statuimus et decernimus ut praedicta Congregatio clericorum regularium de Somascha divisa sit in tres provincias, videlicet Lombardiae, Venetiarum et Romanam nuncupatas[1]. Et provincia quidem Lombardiae contineat omnia loca, quae in statu Mediolanensi et ditionibus adiacentibus dilectorum filiorum nobilium virorum ducum Sabaudiae, Mantuae et Parmae, ac dominii Helvetiorum, possidet vel possidebit dicta Congregatio; provincia vero Veneta complectatur omnia loca, quae continentur seu continebuntur in dominio Reipublicae Venetorum et principatu Tridentino; provincia autem Romana comprehendat loca omnia posita vel ponenda in reliquis Italiae ditionibus.

Sequuntur ordinationes. Porro quaelibet ex his provinciis locum unum probationis habeat communem omnibus nationibus, ex quibus provincia coalescit, cum professoriis, quae sufficiant pro educatione iuventutis professae.

§ 3. Ad haec, quaelibet provincia habeat quatuordecim vocales capituli generalis, et, si aliqua ex his de praesenti plures habet, qui electi sunt, retineant ius acquisitum; ceterum non deveniatur ad electionem novorum vocalium pro huiusmodi provinciâ, nisi postquam eius vocales infra quatuordecim fuerint; similiter quaelibet provincia mittat tres socios seu discretos ad capitulum generale.

§ 4. Praepositi vero generalis dignitas per turnum detur non quidem nationum, sed praedictarum provinciarum, et hic turnus incipiat anno proxime venturo MDCLXII a provinciâ Romana, a qua transeat ad Venetam; dignitates autem ex quibus constat definitorium, cum omnes sint numero tredecim, aequaliter dividantur, itaut quaelibet provincia quatuor ex illis habeat; illa vero, cui per turnum praepositus generalis continget, quinque.

§ 5. Praeterea, ubi nunc inter dignitates definitorii sunt duo consiliarii et quatuor definitores, ut aptius divisio fiat, eligantur tres definitores, itaut quaelibet provincia suum habeat consiliarium et suum definitorem.

§ 6. Dignitates autem praepositi generalis, vicarii generalis et procuratoris generalis hoc ordine distribuantur, ut cuilibet provinciae per turnum semper una ex his conferatur. Procurator vero generalis functus officio sit ipso iure per subsequens triennium consiliarius suae provinciae, nisi eligatur praepositus generalis, aut vicarius generalis, aut provincialis.

§ 7. Porro nemo possit esse superior in aliquâ provinciâ, qui filius eius non sit. Et quidem, qui iam professi sunt, intelligantur esse filii eius provinciae in qua nati sunt, sed qui in posterum professionem emittent, eius provinciae filii censeantur et sint in qua ad religionem admittentur, et in qua professionem emittent. Quilibet tamen sine ullo discrimine subditus esse possit in qualibet cuiusvis provinciae domo, salvâ eius capacitate.

§ 8. Nemo quoque ullo modo possit esse superior in eâdem domo nisi per triennium, quo elapso alterum integrum triennium elabi debeat, priusquam ad eiusdem domus regimen sub quovis titulo sive superioris sive vicarii admoveatur. Qui vero in proximo capitulo generali anni MDCLXII reperientur aliquam domum gubernasse per triennium, aut ultra, quovis demum titulo superiores fuerint, a praedictae domus regimine removeantur.

§ 9. Ceterum patres definitorii ceteris quibuscumque praecedant, et, si quando contingat eos subditos esse in aliquâ domo, immediate post superiorem domus

1 Forsan *nuncupandas* (R. T.).

sedeant. Visitatores vero provinciarum in posterum praepositi provinciales appellentur, et quilibet habeat potestatem ordinariam super quamlibet domnm suae provinciae.

Clausulas apponit.

§ 10. Decernentes pariter easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari seu attentari, ant impetrato, vel etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque indices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrae et cancellariae apostolicae regulâ de non tollendo iure quaesito, aliisve constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae Congregationis clericorum regularium de Somascha, eiusque provinciarum et domorum, collegiorum et locorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi, eiusque provinciis, domibus, collegiis et locis, ac superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbnm, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 12. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII de-

cembris MDCLXI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 decembris 1661, pontif. anno VII.

CCCLXXI.

Ut capitulum generale Congregationis Eremitarum Camaldulensium de quadriennio in quadriennium, et dieta biennio post celebrationem capituli huiusmodi respective haberi et celebrari debeant[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Debitum pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, postulat ut felici prosperoque congregationum virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris religionis iugo mancipatorum regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, providere ingiter satagamus.

Supplicatio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii definitores dietae generalis congregationis Eremitarum Camaldulensium, quod multorum annorum experimento compertum est magno incommodo et detrimento esse eidem Congregationi, quod, singulis bienniis, capitulum quidem generale uno anno, dieta vero generalis ipsius Congregationis altero respective celebrentur; nam, cum dicti eremitae solitudini sint addicti, maxime dedecet eos videri totum annum per diversoria vagantes ex causâ similium dietarum et capitulorum, in quibus plurimae fieri solent mutationes religiosorum et priorum, qui, quod se in eodem gubernio diu non permansuros vident, utilitati eremorum segnius dant operam, saepeque contingit ut quod unus inceperit, successor dissolvat, aut non prosequatur, quia sic[2] opus ab aliis inchoatum; accedit quod tam frequens dietarum et capitulorum huiusmodi celebratio totam Congregationem praefatam, et praesertim eremum Camaldulensem, gravibus sumptibus onerat; quodque superiores maiores tam modici temporis spatio notitiam eremorum[1] et negotiorum tam spiritualium quam temporalium dictae Congregationis capere nequeunt; quinimo, cum eadem Congregatio non solum in Italia, sed etiam in Polonia, regione valde remotâ, benedicente Domino, propagata reperiatur, nec possunt eremi Poloniae singulis bienniis visitari, nec illarum priores ad capitulum generale venire, quod tamen fieri posset, si illud de quadriennio in quadriennium haberetur: quare dicti exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat ut in rubrica. § 2. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero capitulum quidem generale de quadriennio in quadriennium, dieta vero Congregationis Camaldulensis praefatae demum biennio post celebrationem capituli generalis huiusmodi respective haberi et celebrari debeant, itaut primum quadriennium a dominicâ tertiâ post Pascha Resurrectionis Dominicae proxime praeteritum computetur, et tertiâ dominicâ post Pascha eiusdem Resurrectionis Dominicae anni

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Forsan *sit* pro *sic* legendum (R. T.).

1 Edit. Main. legit *eremum* (R. T.).

MDCLXV expiret, ac tam moderni quam futuri eiusdem Congregationis superiores, qui in capitulo generali eligi solent, in suis respective muneribus quadriennio durent, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus, ac perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, ac aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 ianuarii 1662, pontif. an. VII.

CCCLXXII.

Ut servetur Breve Sanctitatis Suae super ingressu patrum provinciae Turoniae Ordinis sancti Francisci de Observantiâ in definitorium, etc. [1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Aliâs pro parte dilectorum filiorum fratrum omnium provinciarum in regno Franciae constitutarum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis exposito, quod antea, postquam a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanaverat constitutio specialis, pro provinciis Hispaniarum et Indiarum Ordinis praefati dumtaxat, omnes patres, provinciae, excepto exprovinciali, ab ingressu definitorii excludens, recolendae memoriae Urbanus Papa VIII etiam praedecessor noster constitutionem huiusmodi ad totam familiam ultramontanam dicti Ordinis per suas in simili formâ Brevis litteras extenderat, ac in definitorium etiam patrem provinciae antiquiorem admitti ordinaverat, idque instante capitulo generali memorati Ordinis de anno MDCXXXIX in almâ Urbe celebrato, cui vocales praefatarum provinciarum regni Franciae ob expressam prohibitionem eis a tunc existente Francorum rege christianissimo factam non interfuerant, prout nec capitulo generali eiusdem Ordinis successive de anno MDCXLV Toleti habito, unde adversus praemissa reclamare, maximumque praeiudicium et detrimentum per extensionem Expositio.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

huiusmodi memoratis provinciis regni Franciae, in quibus (uti praefati exponentes asserebant) ab immemorabili tempore omnes, qui per triennium ministri provincialis munere functi fuerant, voce activâ in definitorio ipsarum provinciarum perpetuo fruebantur, omnibusque congregationibus et capitulis tamquam definitores perpetui intererant, illatum ostendere eatenus non valuerant; et in eâdem expositione subiuncto, quod exposito subinde in capitulo generali dicti Ordinis in eâdem Urbe anno MDCLI celebrato per vocales dictarum provinciarum regni Franciae præiudicio et detrimento huiusmodi, per statuta generalia Ordinis praefati tunc edita, et a tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum congregatione confirmata, decretum fuerat, ut ab extensione, sicut praemittitur, a praefato Urbano praedecessore factâ, exciperentur dicti Ordinis provinciae, quae leges municipales auctoritate apostolicâ firmatas vel consuetudines immemorabiles in contrarium obtinentes habebant: nos, supplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, praefatas Urbani praedecessoris litteras non comprehendere provincias fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ regni Galliae, et, quia illae haberent in contrarium leges municipales auctoritate apostolicâ firmatas, seu immemorabiles consuetudines, ac propterea in dictis provinciis omnes patres provinciae gaudere debere voce activâ in omnibus capitulis et congregationibus provincialibus quemadmodum eatenus ab immemorabili gavisi fuerant, auctoritate apostolicâ decrevimus, statutumque in dicto capitulo generali de anno MDCLI celebrato editum super ingressu patrum provinciae in definitorium confirmavimus et approbavimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris die IX novembris MDCLVII desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Recensetur decretum aliàs editum a Pontifice.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Alexius Mocet, frater ac procurator specialis provinciae Turoniae Pictaviensis dicti Ordinis nobis nuper exponi fecit, licet nemini fas esse deberet[1] quicquam in contrarium praemissorum attentare; nihilominus dilecti etiam filii Ægidius Nuble et Iulianus Brault, necnon pauci alii dictae provinciae Pictaviensis fratres, qui ab aliquot annis eamdem provinciam sub diversis frivolis praetextibus perturbare non desistunt, non obstantibus diversis congregationis memoratorum cardinalium decretis pro stabiliendâ pace in dictâ provinciâ editis et per nos confirmatis, ausi fuerint noviter contra praefatas nostras litteras insurgere, et novam litem desuper contra suos superiores movere, meritoque timendum sit ne exinde graves dissensiones et controversiae in eâdem provinciâ oriantur, in non leve religionis dedecus et regularis disciplinae detrimentum; nobis propterea dictus Alexius humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Alexium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, ha-

Decretum hoc sub poenis servari mandat.

1 Edit. Main. legit *debere* pro *deberet* (R. T.).

rum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium, qui relationem dilecti filii commissarii generalis curiae Ordinis huiusmodi praesertim circa memoratam consuetudinem in provinciâ Pictaviensi regni Galliae hucusque servari solitam audiverunt, consilio, attentis narratis, dilecto filio superiori provinciali dictae provinciae per praesentes committimus et iniungimus, ut, quoad praetensam ipsius, quemadmodum et aliarum Galliae provinciarum dicti Ordinis ab observantiâ memoratarum Urbani praedecessoris litterarum a nobis indultam exemptionem, praefatas nostras in simili formâ Brevis litteras omnino servari sub censuris aliisque sibi benevisis poenis auctoritate nostrâ apostolicâ mandet et praecipiat; contradictores et repugnantes quoscumque eisdem poenis effective subiiciendo; et praemissa exequatur.

Contrariis derogat. § 3. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in eisdem litteris nostris concessimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 ianuarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXIII.

Contra nonnullos monachos Cistercienses in Gallia Abstinentes nuncupatos, tentantes introducere in monasteria abstinentiam a carnibus, quarum esus certis diebus a Sede Apostolicâ concessus est, et nolentes obedire constitutionibus apostolicis, eiusdemque Ordinis [1].

1 De hac materiâ vide ad Constitut. CLXXVIII, huius Pont., supra pag. 312 *In supremi*, et Const. CCCXLVI, *Nuper*, supra pag. 695.

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Expositio. § 1. Aliàs pro parte dilecti filii procuratoris generalis Ordinis Cisterciensis nobis exposito, quod, licet omnes monachi dicti Ordinis tam stricte ad observantiam paupertatis teneantur, ut capitulum generale eiusdem Ordinis anno MDCV celebratum revocaverit omnes et quascumque licentias et dispensationes cuiuscumque privati rerum et bonorum usus, proprietatis, possessionis et dominii per quoscumque superiores dicti Ordinis ex quibuscumque causis concessas, eamque revocationem ipsius Ordinis capitulum generale anno MDCLI revocaverit [1], cum iniunctione observationis exactae decreti Concilii Tridentini, sess. XXV *De reform.*, cap. II *De regularibus*, sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendae opponentibus sese huic executioni et observantiae, et inhabilitatis ad quaevis officia, gradus et dignitates; ac insuper contractus a quibusdam abbatibus regularibus cum suis monachis initos pro separatione mensae conventualis ab abbatiali censuerit esse rescindendos, tamquam paupertati religiosae contrarios, eosque in posterum a quocumque attentari prohibuerit; nullusque sit in regno Galliae praedicti Ordinis professor, qui in suo novitiatu ad vitam communem et praefatam paupertatis observantiam non fuerit instructus, educatus et obligatus,

§ 2. Nihilominus nonnulli religiosi eiusdem Ordinis in Galliâ dicti Abstinentes, seu strictioris observantiae, sub praetextu introducendi in monasteria abstinentiam a carnibus, quarum esus certis diebus a Sede Apostolicâ concessus est, certos inibant contractus, transactiones et concordata cum antiquis Ordinis huiusmodi religiosis, quibus certas pensiones in pecuniis et fructibus promittebant et distribuebant,

1 Videtur legendum *renovaverit* (R. T.).

eosque a maiori et praecipuo onere chori aliisque observantiis, ad quas ex professione tenentur, liberantes, evidenti relaxationis et perditionis periculo exponebant, dummodo eis solis, privative quoad alios, monasteriorum administrationem et regimen, tam in spiritualibus quam in temporalibus, liberamque officialium et superiorum electionem, tam quoad vocem activam quam passivam, cederent;

§ 3. Et in eâdem expositione subiuncto, quod contractus, transactiones et concordata huiusmodi, non in aedificationem, sed in evidentem religiosorum ruinam spiritualem vergebant, dictusque procurator generalis propterea de opportuno in praemissis remedio a nobis provideri summopere desiderabat: nos, supplicationibus ipsius procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem diligenter et mature discusserant, consilio, attentis narratis, contractus, transactiones et concordata, de quibus supra agitur, fuisse et esse illicita, ideoque eo usque inita nulla et invalida fuisse, auctoritate apostolicâ declaravimus et decrevimus, prohibuimusque ne in futurum sub eiusdem nullitatis et invaliditatis, necnon excommunicationis, ac privationis vocis activae et passivae, officiorumque graduum et dignitatum quarumcumque, et perpetuae inhabilitatis ad ea et quaelibet alia in posterum obtinenda, per huiusmodi contrahentes, transigentes et concordantes eo ipso incurrendis poenis, talia concordata, transactiones et contractus ullatenus celebrentur.

Talia inposte illicita sub poenis prout in rubrica prohibentur.

Sequitur expositio.

§ 4. Et postmodum pro parte dilectorum filiorum Reipublicae Helvetiorum nobis nuper pariter exposito, quod, cum dilecti filii abbates dicti Ordinis Cisterciensis in eiusdem Reipublicae ditione existentes, convocati ad capitulum generale Cistercii in Gallia celebrandum, sese accingerent et praepararent ad iter, occulto rumore perceperant quosdam religiosos Gallos eiusdem Ordinis dictos Abstinentes, contra antiqua ipsorum iura, nunquam catenus controversa, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris toti Ordini concessa, velle sese praevalere quibusdam sententiis a bonae memoriae Francisco dum vixit S. R. E. cardinali de la Rochefoucauld nuncupato emanatis, qui, cum a felicis recordationis Gregorio Papa XV et Urbano VIII praedecessoribus pariter nostris commissionem habuisset ad visitanda, et, iuxta statuta eiusdem Ordinis a Romanis Pontificibus confirmata, reformanda monasteria dicti Ordinis, quae in Gallia indigerent reformatione, et tamen ea nullatenus visitasset, nihilominus dicti Abstinentes contra formam litterarum apostolicarum et statuta apostolica duas sententias ab eo obtinuerant, quibus omnes abbates et religiosos communis observantiae, qui scilicet utuntur dispensatione apostolicâ circa esum carnium ubique acceptatâ, atque a nobis per nostras in simili formâ Brevis litteras die x novembris MDCLVII expeditas approbatâ, inter alia signanter praetendebant esse privatos voce activâ et passivâ in electionibus abbatis generalis, et quatuor primorum abbatum, vicariorum provincialium, procuratoris generalis in curiâ, et aliorum publicorum officialium, administratione collegii Parisiensis communis studii dicti Ordinis, receptione novitiorum ad communem observantiam, aliisque iuribus pertinentibus ad abbates et capitulum generale, et in vim dictarum sententiarum ipsos solos Abstinentes redditos capaces dignitatum et officiorum dicti Ordinis, ac independentes a iurisdictione ordinariâ superiorum et capituli generalis esse praesumebant;

§ 5. Atque in expositione subiuncto, quod, licet huiusmodi sententiae fuissent per iudices delegatos cassatae, atque a recolendae memoriae Innocentio Papa X praedecessore nostro, super praetensis iuribus, Abstinentibus praedictis perpetuum impositum silentium; attamen iidem Abstinentes semper dictas sententias validas autumabant, et pro earum observatione diversos recursus habuerant, propter quas praesumptiones prorogatum fuerat capitulum generale dicti Ordinis, donec nos super hac vexatione fuissemus consulti:

§ 6. Idcirco nos, pro commissâ nobis caelitus pastoralis officii curâ, memorati Ordinis quieti consulere cupientes, ac causae et causarum huiusmodi statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, et alia etiam speciali expressione digna pro plene et sufficienter expressis habentes, necnon causam et causas praedictas ad nos avocantes, ac declarationem, approbationem et novam concessionem a nobis per praefatas litteras die x novembris MDCLVII emanatas, circa esum carnium factas, confirmantes, habitâ relatione de praemissis,

Confirmatur prout in rubricâ.

§ 7. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, districte prohibuimus, ne abbates et alii quicumque dicti Cisterciensis Ordinis communis observantiae religiosi, eiusmodi[1] apostolicâ dispensatione circa esum carnium utentes, super libertate vocis activae et passivae in electionibus abbatis Cistercii generalis, aliorumque quatuor praecipuorum abbatum, vicariorum provincialium, procuratoris generalis curiae et aliorum publicorum officialium, in administratione et regimine collegii Parisiensis communis studii dicti Ordinis, in novitiorum ad communem observantiam cum usu talis dispensationis circa esum carnium, servatis servandis, receptione eorumque educatione, nec in omnimodâ iurisdictione, quam ab initio eiusdem Ordinis habuerunt, et[1] quibuslibet aliis iuribus, quae ex vi regulae et saepedicti Ordinis constitutionum apostolicâ auctoritate confirmatarum illis et capitulo generali competunt, ullatenus prohiberentur vel molestarentur, prout non molestari, prohiberi, seu perturbari mandavimus et praecepimus, circumscriptis memoratis sententiis die XXVII iulii MDCXXXIV, et die XX augusti MDCXXXV a praedicto apostolico visitatore, ut dicitur, emanatis, necnon quorumlibet aliorum iudicum, qui circa praemissa quidquam secus statuere vel decernere tentaverant, aut praesumpserant, cum omnibus inde secutis, et aliàs, prout in binis nostris in simili formâ Brevis litteris, unis die VIII martii MDCLX, et alteris die II iulii MDCLXI respective desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 8. Cum autem dilectus filius Claudius Vaussin, abbas Cistercii et totius Ordinis Cisterciensis praefati generalis, ad nos supplex accesserit pro canonice promovendâ Ordinis sui per diversa mundi regna diffusi reformatione, salvâ eiusdem Ordinis unione et integrâ subordinatione: nos, eiusdem Claudii abbatis generalis zelum, sollicitudinem et laborem plurimum in Domino laudantes, eumque specialis favoris gratiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumta-

1 Male ed. Main. habet *eiusdem* pro *eiusmodi* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus ex loco parallelo (R. T.).

xat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de voto particularis congregationis ad examinandum, informandum et referendum a nobis deputatae, quae scripturas hinc inde datas vidit et examinavit, causam istius reformationis in statu et terminis, in quibus ad praesens reperitur (illius statum et merita, nominaque et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specialem et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus itidem pro plene et sufficienter expressis habentes) a quocumque tribunali ad nos denuo, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, avocamus.

Ordinationes. § 9. Praeterea mandamus dicto Claudio abbati generali, ut advocet seu moneat viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia, quam aliunde, ad exhibendum infra tres menses dictae congregationi particulari deputatae articulos concernentes dictam reformationem a nobis instituendam. Et quantum ad controversias in variis tribunalibus, etiam coram commissariis apostolicis, a multis annis agitatas circa reformationem dicti Ordinis, sive in Gallia, sive extra Galliam, volumus et ordinamus, sub poenâ excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, a qua nemo a quoquam, nisi a nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, ut observentur dispositiones a nobis immediate emanatae per praefatas nostras in formâ Brevis litteras, die VIII martii MDCLX et die II iulii MDCLXI respective expeditas.

Clausulae. § 10. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 11. Non obstantibus quacumque litis seu litium pendentiâ, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare; ceterisque quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 ianuarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXIV.

Confirmatio decreti congregationis episcoporum et regularium circa reductionem numeri fratrum quorumcumque conventuum provinciae S. Thomae apostoli Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci in Pedemontio[1].

Alexander Episcopus,
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum provinciae S. Thomae apostoli in Pedemontio Ordinis Minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod ex viginti quatuor conventibus, quibus dicta provincia constat, sex reperiantur ad oram maritimam ultra montes inter provinciae dominiique Reipublicae Genuensis confinia positi, in quibus habitant fratres in illis partibus nati, inter quos et fratres Pedemontanos tanta est morum ingenio- Expositio.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

rumve diversitas, ut, dum insimul habitant, gravia nonnunquam inconvenientia sequantur, quodque homines dictarum partium sint rudes, inopes, negligenterque educati, ex quibus multi ad habitum fratrum dicti Ordinis admitti petere solent, et nonnunquam contingit ut aliquis minister provincialis ex eisdem partibus ortus tot ex illis ad habitum huiusmodi recipiat, ut ex aliis magis idoneis locus praecludatur, et ipsi a conventibus nequeant sustentari; ideoque praefatae congregationi supplicato ut certum numerum fratrum ex partibus supradictis in praefatos sex conventus, videlicet, Niciae, Cespitelli, Lantuscae, Marri, Mentoni et Saurgii recipiendorum et ad habitum huiusmodi admittendorum praescriberet, qui excedi non posset: emanavit ab eâdem congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum sacrae congregationis.

« Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum sanctae Romanae Eclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis narratis, ac auditâ relatione procuratoris generalis Ordinis huiusmodi, censuit committendum et iniungendum, prout praesentium vigore committit et iniungit superioribus regularibus pro tempore dicti Ordinis et provinciae, ad quos spectat seu spectabit, ut in quolibet memoratorum conventuum, videlicet Niciae, Cespitelli, Lantuscae, Marri, Mentoni et Saurgii non plures dictarum regionum oriundos ad habitum posthac recipiant, seu recipi faciant, aut permittant, quam quibus eosdem respective conventus alimenta et cetera ad victum necessaria subministrare pro viribus in dies posse constiterit, quique, factâ eorum ex omnibus dictis conventibus collectione, centum ad summum pro tempore numerentur. Quod si etiam[1] receptis aliqui supersint, ab aliorum admissione, quousque ad huiusmodi numerum iuxta praemissam declarationem accipiendum deveniatur, et nonnisi in locis infra ipsum vacaturis, abstineant. Et praedicta omnia exequantur sub poenis eo ipso incurrendis privationis utriusque vocis et officiorum ac perpetuae inhabilitatis ad ea et alia quaecumque in posterum obtinenda: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae XVI decembris MDCLXI.

M. cardinalis GINETTUS ».

Decretum praeinsertum confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut praefati exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observatione, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem illis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate dictae congregationis cardinalium.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a

[1] Videtur legendum *ex iam* pro *etiam* (R. T.).

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praefatorum Ordinis, provinciae et conventuum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 ianuarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXV.

Declarat nullum praeiudicium fuisse illatum superioritati vicarii generalis in unione conventus terrae Rocca di Papa *conventui S. Ioannis de Urbe sub obedientiâ procuratoris generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum*[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. § 1. Aliàs conventum B. Petri de Nolasco[2], olim fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum in terrâ *Rocca di Papa* nuncupatorum Tusculanae dioecesis positum, cum illius ecclesiâ ac bonis et oneribus universis, Congregationi fratrum Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum dicti Ordinis (ita ut conventus huiusmodi de cetero conventui S. Ioannis de Urbe eiusdem Congregationis sub obedientiâ dilecti filii procuratoris generalis ipsius Congregationis, qui in dicto conventu S. Ioannis residere solet, subiaceret, et dictus procurator generalis superiorem et familiam sex saltem presbyterorum et duorum conversorum fratrum Discalceatorum Reformatorum Congregationis huiusmodi in primodicto conventu collocare deberet) auctoritate apostolicâ perpetuo applicavimus et approbavimus, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris die XV octobris MDCLX desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, plenius continetur.

Expositio. § 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, licet ratione subordinationis, quam ipse procurator generalis ad dilectum filium vicarium generalem superiorem maiorem dictae Congregationis habet, credat praemissa et inde sequuta sine ullo praeiudicio iurisdictionis et superioritatis dicti vicarii generalis emanasse, nihilominus, ad removenda omnia dubia et inconvenientia quae exoriri possent, idem procurator generalis opportune a nobis hac in re provideri summopere desideret:

Confirmat ut in rubrica. § 3. Nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis incli-

[1] De concessione et unione huius conventus vide supra ad constitutionem CCCXVI, *Sacrosancti*, sup. pag. 625.

[2] Male edit. Main. legit *de Nola* (R. T.).

nati, de congregationis super statu regularium deputatae consilio, ex memoratis nostris litteris, qua parte praenominatus conventus B. Petri de Nolasco subiicitur obedientiae dicti procuratoris generalis qui superiorem et familiam in eo collocare debeat, nullum praeiudicium fuisse illatum superioritati ac iurisdictioni memorati vicarii generalis, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, declaramus.

Clausulas additis.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus praedictis nostris litteris, necnon omnibus et singulis illis, quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII ianuarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 27 ianuarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXVI.

Licentia nationibus Congregationis Eremitarum Camaldulensium recipiendi et admittendi ad professionem eum conversorum numerum, quo opus respective habuerint, non obstante statuto dictae per Brevis Sanctitatis suae confirmato[1].

Alexander Papa VII,
ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii visitatores Congregationis Eremitarum Camaldulensium, quod ante sexennium, cum crederetur dictae Congregationi utilius fore ministerio oblatorum quam conversorum uti, in quadam dietâ eiusdem congregationis statutum fuit ne de cetero fratres conversi in ipsam Congregationem reciperentur; quod statutum subinde, quia dictae dietae facultas sic statuendi non competebat, a nobis per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras confirmari obtinuerunt.

Motiva.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Congregatio praefata ab inde citra magno tam in spiritualibus quam in temporalibus affecta fuerit detrimento, idque ex eo quod, cum oblati ad professionem non admittantur, sed semper dimitti possint, interea in eamdem Congregationem ad praestanda viliora ministeria nemo receptus fuit, qui onestae civilisque conditionis foret, et artem aliquam mechanicam calleret; cumque dictum statutum antiquo memoratae Congregationis instituto adversetur: nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur;

Concedit licentiam petitam.

§ 3. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis nationibus dictae Congregationis, ut eum fratrum conversorum numerum, quo respective opus habuerint, servatis aliâs servandis, in eamdem Congregationem recipere, et suo tempore ad professionem

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

regularem admittere libere, licite et valide possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulae appon.it. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 februarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXVII.

Applicatio ducentorum ducatorum annuatim ex fructibus quarumdam parochialium ecclesiarum militiae sanctae Mariae de Montesia prioratui Valentino eiusdem militiae[1].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. § 1. Nomine carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis per dilectum filium nobilem virum Ludovicum de Guzman Ponce de Leon, ipsius Philippi regis apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, nuper expositum fuit, quod, cum dilectus filius Paulus Ingles, modernus prior domorum regiarum templi Ordinis militaris B. Mariae de Montesia civitatis Valentinae, cuius Ordinis idem Philippus rex administrator perpetuus auctoritate apostolicâ depotatus existit, ipsi Philippo regi eam esse redditnum prioratus sui tenuitatem ostenderit ut ipse Paulus ex eiusdem prioratus, licet una ex praecipuis dicti Ordinis dignitatibus existat, redditibus se exhibere nequeat, memoratus Philippus rex, his mature consideratis, ut tam eidem Paulo quam eius in dicto prioratu successoribus de congruâ sufficientique proventuum quantitate provideatur, summam ducentorum ducatorum, ad rationem undecim regalium monetae Valentinae pro quolibet ducato huiusmodi, annuatim super fructibus, redditibus et proventibus infrascriptarum parochialium ecclesiarum Ordinis praedicti respective, singularum nempe pro ratis infra expressis quae habitâ ratione valoris fructuum ac onerum ipsarum ecclesiarum determinatae fuerunt, ex nunc prout ex tunc postquam quaelibet ecclesiarum huiusmodi vacaverit, memorato prioratui in perpetuum applicari desiderat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, applicatio huiusmodi, si fiat, priori quidem dicti prioratus pro tempore existenti congruum sustinendae eo, quo par est, decore dignitatis suae subsidium allatura, dictis vero parochialibus ecclesiis earumque futuris rectoribus non multum oneris impositura sit, sed pro singularum parochialium ecclesiarum huiusmodi rectoribus centum ducati respective pro eorum congruis sint remansuri: nobis propterea pro parte Motiva.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

praedicti Philippi regis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit petitis. § 3. Nos igitur eiusdem Philippi regis desiderio hac in re favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, necnon tam dicti prioratus, quam cuiuslibet ex parochialibus ecclesiis huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, secundum communem aestimationem, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, super villae de Montesia centum decem, super villae de Vallada sexagintasex, super villae S. Matthaei centum trigintaduos, super villae de Canet quadragintaquatuor, super villae de Catig itidem quadragintaquatuor, super villae de Cbert centum decem, super villae de Albocazer trigintatres, super villae de las Cuevas itidem trigintatres, super loci de Sveca ducentos sexagintaquatuor, super loci de Silla sexagintasex, super loci de Moncada centum quinquagintaquatuor, super loci de Caipesa centum trigintaduos, super villae de Onda centum decem, super villae de Alcala octuagintaocto, super villae de Benicarlo centum trigintaduos, super villae de Vinaroz centum decem, super villae de Iana quadragintaquatuor, super villae de Rosel itidem quadragintaquatuor, super villae de Benasal octuagintaocto, super villae de Aros itidem octuagintaocto, super villae de Culla quadragintaquatuor, super villae de Vistabella centum decem, super villae de Arzeneta sexagintasex, ac super villae de Coruera parochialium ecclesiarum praefati Ordinis militaris sanctae Mariae de Montesia respective fructibus, redditibus et proventibus octuaginta octo regales dictae monetae Valentinae, qui summam praefatorum ducentorum ducatorum simul constituunt, annuatim praefato prioratui domorum regiarum templi Ordinis militaris huiusmodi, ac dicto Paulo eiusque successoribus dictum prioratum pro tempore obtinentibus, per modernorum earumdem parochialium ecclesiarum rectorum successores respective solvendos, dummodo tamen, deductis huiusmodi ratarum aliisque dictarum parochialium ecclesiarum respective oneribus, centum ducati pro singularum parochialium ecclesiarum huiusmodi rectoribus remaneant, ex nunc prout ex tunc postquam eaedem parochiales ecclesiae et earum quaelibet per obitum modernorum illarum rectorum aut aliàs quomodolibet ex eorum personis respective vacaverint, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuò applicamus.

Decretum irritans. § 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac dicto Paulo eiusque in prioratu huiusmodi successoribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium applicationum et unionum, etiam effectum non sortitarum, seu aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per quascumque litteras et constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam per nos vel quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum cuiuslibet eorum assumptionis ad summi apostolatus apicem, ac per Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet pro tempore factis et concessis, unquam comprehendi aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum resti-

tutas, repositas et plenario reintegratas, ac etiam de novo sub posteriori datâ per praedictos Paulum eiusque successores dicti prioratus priores pro tempore existentes eligendâ concessa esse et intelligi, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis de unionibus et applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac, quatenus opus sit, illâ de praestando consensu in pensionibus, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissi fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum Ordinis et parochialium ecclesiarum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 4 februarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXVIII.

Deputatio eminentissimi cardinalis Chisii in protectorem fratrum Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula.

Dilecto filio nostro Flavio, tituli S. Mariae de Populo S. R. E. cardinali Chisio nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum per obitum bonae memoriae Bernardini, dum vixit, S. R. E. cardinalis Spadae nuncupati, Ordinis fratrum Minimorum sancti Francisci de Paula apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, nuper apud Sedem praefatam defuncti, Ordo praedictus protectore destitutus manserit: Motiva.

§ 2. Nos, eidem Ordini de idoneo protectore providere volentes, ac de tuae circumspectionis singulari prudentiâ, doctrinâ et integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, te, ex cuius protectione, ob tuas eximias virtutes, Ordinem praedictum plurimum commodi et ornamenti suscepturum esse confidimus, praedicti Ordinis illiusque domorum regularium et religiosorum quorumcumque apud nos et Sedem praefatam protectorem, cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus et oneribus solitis et consuetis, et quibus alii ante te dicti Ordinis protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, ad tui vitam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus et deputamus. Confirmat ut in rubrica.

Clausulae. § 3. Volumus autem, ac tibi in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri potest, conservare cures; et propterea, cum ipsi superiores eorum officii debito satisfecerint, ac gubernio et regimini subditorum sufficienter incubuerint, tum in negotiis eorumdem religiosorum te non immisceas.

§ 4. Quando autem ab iisdem superioribus requisitus fueris ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris ut eamdem auctoritatem tuam in ipsis negotiis exerceas, tum id libere faecre possis, sed, quoad potueris, per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in eisdem negotiis seu causis, loco notarii, aliquo ex regularibus dicti Ordinis.

§ 5. Mandantes propterea dilectis filiis correctori generali ac visitatoribus et aliis superioribus, necnon universis fratribus et personis quibuscumque dicti Ordinis, in virtute sanctae obedientiae, ut te in eorum protectorem, iuxta tenorem praesentium recipientes, eâ qua debent reverentiâ prosequantur.

§ 6. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Ceterum te in Domino hortamur ut huiusmodi protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum, bonorum operum retributorem, aeternum[1] praemium, et a nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. dia 6 februarii 1662, pontif. anno VII.

1 Edit. Main. legit *aeternorum* pro *aeternum* (R. T.).

CCCLXXIX.

Confirmatio concessionis iurisdictionis criminalis in feudum perpetuum ab archiepiscopo Tarraconensi factae Fabritio Pons et Castellui eiusque successoribus[1].

Venerabili fratri episcopo Dertbusensi, ac dilecto filio decano ecclesiae Derthusensis,

Alexander Papa VII.

Venerabilis frater, et dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Franciscus archiepiscopus Tarraconensis, quod in principatu Cataloniae et dioecesi Tarraconensi reperitur locus nomine Mans Ricart, dominio temporali dilecti filii Fabritii Pons et Castellui ipsius loci domini subiectus, in quo temporibus praeteritis viginti vel circiter personae habitare solebant, et iurisdictio civilis quidem a domino dicti loci, criminalis vero ab archiepiscopo Tarraconensi pro tempore existente exercebatur. Verum praeteritorum bellorum occasione, quae per tot annos in illis partibus viguerunt, idem locus dirutus et desertus, ac habitatoribus omnino vacuus remansit, unde nulla in eo iurisdictio civilis vel criminalis exerceri[2] potest, nec spes ulla affulget fore, ut in pristinum statum reducatur. Supplicatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Franciscus archiepiscopus, praemissis attentis, ut suam suaeque ecclesiae Tarraconensis conditionem efficeret meliorem, iurisdictionem criminalem praefatam memorato Fabritio pro se suisque successoribus dicti loci dominis in feudum sub annuo canone centum solidorum monetae earumdem partium ipsi Francisco eiusque successoribus archiepiscopis Tarraconensibus Motiva

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Edit. Main. legit *exercere* (R. T.).

in perpetuum die festo Ss. Petri et Pauli solvendo de consensu dilectorum filiorum capituli et canonicorum dictae ecclesiae, ac reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, perpetuo concesserit, cum aliis conditionibus licitis et honestis, prout in publico desuper confecto instrumento uberius dicitur contineri; nobis propterea dicti Franciscus archiepiscopus et Fabritius, asserentes concessionem huiusmodi in evidentem praedictae ecclesiae cedere et cessuram esse utilitatem, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit petitis. § 3. Nos igitur, illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater episcope, qui, ut asseritur, Ordinarius vicinior existis, ac discretioni tuae, fili decane, per praesentes committimus et mandamus, quatenus, si et postquam, vocatis qui fuerint evocandi, ac praemissis omnibus et singulis, illorumque circumstantiis universis prius coram vobis specificatis, de concessione huiusmodi, quodque illa in evidentem memoratae ecclesiae cedat et sit cessura utilitatem, vobis coniunctim procedentes[1] legitime constiterit, super quo vestram dictique Francisci archiepiscopi conscientiam oneramus, eamdem concessionem in feudum dicto Francisco eiusque successoribus a memorato Francisco archiepiscopo, sicut praemittitur, factam, confectumque desuper instrumentum, cum omnibus et singulis in eo contentis, aliàs tamen licitis et honestis, dictaeque ecclesiae utilibus et proficuis, auctoritate nostrâ apostolicâ confirmetis et approbetis, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiiciatis, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, eâdem auctoritate suppleatis.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Pauli V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, praedictae ecclesiae Tarraconensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 februarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXX.

Confirmatio decreti in ultimo capitulo generali Ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae in regno Portugalliae facti, ut in posterum amoveantur discreti vocales nuncupati, qui pro quolibet conventu eiusdem Ordinis concurrere et vocem in capitulo habere solebant[1].

Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Expositio. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae in regno Portugalliae consistentis, quod in capitulo generali dicti Ordinis novissime celebrato

1 Potius lege *procedentibus* (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

factum fuit decretum, ut in posterum amoveantur discreti vocales nuncupati, qui pro quolibet conventu eiusdem Ordinis concurrere et vocem in capitulo habere solebant; idque ad tollendas confusiones et inconvenientia, quae inde proveniebant.

Decretum confirmat de quo in rubrica.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus procurator generalis decretum huiusmodi apostolicae confirmationis robore communiri summopere desideret, nos, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praefatum, in capitulo generali huiusmodi, sicut praemittitur, factum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis praedicti eiusque conventuum quorumvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 11 februarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXXI.

Conservatoria Carthusiae S. Laurentii de Padula Caputaquensis dioecesis in personis episcoporum Caputaquensis et Marsicensis, ac reverendi patris domini nuncii apostolici in regno Neapolis, et eorum cuiuslibet[1].

Venerabilibus fratribus Caputaquensi et Marsicensi episcopis, ac dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nuncio,

Alexander Papa VII.

Venerabiles fratres, ac dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Militantis Ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino, praesidentes, circa curam ecclesiarum, personarum omnium solertiâ reddimur indefessâ solliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, ac profectibus, di- Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

vinâ cooperante clementiâ, favorabiliter intendamus.

Motiva. § 1. Sane dilectorum filiorum prioris et monachorum Carthusiae S. Laurentii de Padula Ordinis Carthusiensis, Caputaquensis dioecesis, conquestione percepimus, quod nonnulla castra, villae et alia loca, terrae, domus, possessiones, aquae et decursus aquarum, iura, iurisdictiones, fructus, census, redditus, proventus et nonnulla alia, mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, bona in Caputaquensi et aliis dioecesibus consistentia [1] spectent et pertineant, et nonnulli etiam civitatum et dioecesum, ac partium praefatarum non formident eadem castra, villas, loca et terras, domos, possessiones, aquas, ac decursus aquarum, iura, iurisdictiones, fructus, census, redditus et proventus eorumdem occupare, vel super eisdem et quibuscumque aliis bonis, mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, aquis et aliis rebus, iisdem monachis multiplices molestias et iniurias inferre et iacturas. Quare dicti prior et monachi nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, cum sibi valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem Apostolicam habere recursum, providere [2] ipsis super hoc paternâ diligentiâ curaremus.

Ordinationes. Nos igitur, adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes ipsis priori et monachis remedio subvenire, quo ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia praecludatur, vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et iudices, praefatis priori et monachis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eos super his et quibusvis aliis bonis et iuribus, ad dictam Carthusiam spectantibus, a quibusvis etiam archiepiscopali, episcopali, vel aliâ ecclesiasticâ dignitate fungentibus, necnon clericis, ac ecclesiasticis personis, tam religiosis quam secularibus, necnon marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus et laicis, communitatibus civitatum, universitatibus oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac aliis singularibus personis civitatum et dioecesum, ac partium aliarum, indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna vel iniurias irrogari, facientes dictis priori et monachis, cum ab eis vel eorum procuratoribus fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, iurium et bonorum mobilium et immobilium, redditnum quoque et proventuum, et aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet violentiis, iniuriis et damnis praesentibus et futuris, in illis videlicet quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum, occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostrâ per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, in quibus cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad Contrariis derogat.

1 Desunt verba *ad eos* (R. T.).

2 Male edit. Main. habet *provideri* (R. T.).

iudicium evocetur, seu ne conservatores et iudices a dictâ Sede deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine suae dioecesis transferre praesumant, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis quam manifestis iniuriis et violentiis, ac aliis quae iudicialem requirunt indaginem, poenis in eos si secus egerint et in procuratores adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliàs editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviaro; seu si aliquibus communiter aut divisim a praefatâ sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali cuiuscumque tenoris existant[1] per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua euiusque toto tenore habenda sit mentio specialis. Et insuper volumus, et dictâ auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praeditus, quodque a datâ praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore, eâque firmitate possitis in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et quo praefatis[1], procedere, ac si praefata omnia et singula etiam coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra, et cuiuscumque vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset.

1 Forsan legendum *existat* (R. T.).

Obstantia tollit. § 3. Constitutione praedictâ[2] super conservatoribus et aliâ qualibet in contrarium editâ non obstantibus, eisdem praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 17 februarii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXXII.

Super concessione ecclesiae et conventus S. Pancratii extra et prope muros Urbis factâ fratribus Carmelitis Discalceatis Ordinis beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo, necnon super translatione, sive novâ erectione seminarii missionum eiusdem Congregationis in praefatis ecclesiâ et conventu[3].

Alexander Papa VII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Inscrutabili divinae providentiae arcano universalis Ecclesiae regimini praesidentes, ad illa, quae in fidei catholicae religionisque propagationem et incremento ce-

1 Aptius lege *et quoad praefata* (R. T.).
2 Male ed. Main. *constitutionem praedictam* (R. T.).
3 Vide ad constitutionem XXXVIII, *Decet Romanum*, huius Pontificis, sup. pag. 69, quae agitur de dominio et gubernatione huiusmodi seminarii.

dere et cessura esse noscuntur, propensis studiis intendimus, eorumque firmitati, robori et efficaeiae libenter consulimus, ac aliàs sollicitudinis nostrae pastoralis partes desuper interponimus, prout omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis ad omnipotentis Dei gloriam animarumque salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Motiva huius Constitutionis.

§ 1. Aliàs siquidem nos, certis ex causis tunc expressis adducti, auctoritate apostolicâ statuimus, decrevimus et ordinavimus conventum seu seminarium S. Pauli, sive S. Mariae de Victoria nuncupatum, de Urbe Ordinis fratrum eiusdem sanctae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, esse debere provinciae Romanae eiusdem Ordinis provinciali Romano subiectum in omnibus et per omnia, etiam quoad conventualitatem fratrum non seminaristarum, ad instar aliorum dictae provinciae conventuum, ac officiales, a capitulo generali seu definitorio generali electos, et ibidem constitutos, dimittendos, videlicet priorem, subpriorem, seu vicarium, et ad capitulum provinciale eiusdem provinciae Romanae in futurum spectare electionem prioris (cum participatione tamen et approbatione quoad hunc congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propapapandae Fidei praepositorum) necnon etiam subprioris, seu vicarii, aliorumque officialium conventus, seu seminarii huiusmodi, ad formam constitutionis praedictae religionis, remanentibus tamen ibidem seminario et seminaristis, eorumque controversiarum et linguarum orientalium lectoribus, et magistris tunc existentibus, et pro tempore futuris, quorum electio et amotio, cum participatione praepositi generalis dicti Ordinis, ad congregationem cardinalium praedictorum in futurum spectaret et pertineret. Insuper administrationem omnium et singulorum bonorum, redditum et proventuum, tam a quondam Francisco Cimino barone de Caeurri, quam ab aliis relictorum datorum, seu donatorum, et imposterum reliquendorum, dandorum, seu donandorum, videlicet pro missionibus faciendis, curae et diligentiae dictae congregationis cardinalium, amotis syndicis et procuratoribus quibuscumque praedicti Ordinis, commisimus. Praeterea, quamvis conventus praefatus esset et esse deberet, ut supra, provinciae Romanae, voluimus nihilominus, ut in illo, ut ante dictum est, seminaristae, eorumque lectores et magistri unà cum fratribus eiusdem provinciae libere cohabitare et convenire valerent; pro alimentis vero, sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque necessariis seminaristarum eorumque lectorum solverentur praedicto conventui, seu eius priori, aut procuratori, per congregationis supradictorum cardinalium ministros ex redditibus dicti seminarii, vel pro missionibus, ut supra, relictis, seu in posterum relinquendis, annua scuta quadragrinta pro quolibet seminaristâ, vel lectore, pro tempore et ratâ temporis, quo quilibet lector et seminarista ibi resideret, ac cohabitaret et conviveret, remanentibus ad conventus commodum eleemosynis seu emolumentis pro missis a praedictis seminaristis, lectoribus et magistris celebrandis quomodolibet resultantibus. At si lector pro studio linguarum foret secularis, vel religiosus alterius Ordinis, competens ei stipendium ex dicti seminarii redditibus, eiusdem congregationis cardinalium arbitrio, assignaretur, et aliàs prout in nostris in simili formâ Brevis litteris, die XXIV septembris MDCLV desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Dominicus a SS. Trinitate praepositus generalis congregationis Italiae fratrum Di- Expositio.

scalceatorum dicti Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo nobis nuper exponi fecit, dilectus filius noster Franciscus S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis Maidalchinus nuncupatus, qui monasterium abbatiam nuncupatum S. Pancratii prope et extra moenia Urbis olim suppressi Ordinis fratrum Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtineat[1], ecclesiam eiusdem S. Pancratii, ac fabricas illi adiacentes, et viridarium, necnon terras illi contiguas, ac annexas et connexas circumcirca ecclesiam et monasterium huiusmodi eisdem Dominico praeposito generali, ac congregationi Italiae, ad hoc ut seminarium praedictum commodius illuc transferri, seu ibidem de novo erigi valeat, reservato tamen nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, concesserit, cum diversis pactis et conditionibus, et aliàs, prout latius continetur in publico desuper confecto instrumento tenoris qui sequitur, videlicet:

Instrumentum cessionis.

§ 3. In nomine Domini. Amen. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum quod anno ab eiusdem Domini nostri Iesu Christi nativitatis MDCLXII, indictione XV, die vero VII ianuarii, pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris et D. N. domini Alexandri divinâ providentiâ Papae VII, anno eius VII, in mei, Antimi Curti curiae causarum camerae apostolicae, ac domini Innocentii Meuli, notariorum publicorum, insolidum rogati, testiumque infrascriptorum, ad haec omnia et singula vocatorum, habitorum, atque rogatorum, praesentiâ, praesens et personaliter constitutus perillustris et excellentissimus dominus Iulius Caesar Serronus, in romanâ curiâ advocatus, nobis, etc. cognitus, procurator ad infrascripta peragendum specialiter constitutus ab eminentissimo et reverendissimo domino Francisco tituli S. Mariae in porticu diacono cardinali Maidalchino nuncupato, ac perpetuo commendatario abbate nuncupato monasterii abbatia nuncupati S. Pancratii prope et extra moenia Urbis olim suppressi Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus, ut de eius mandato procurae constat in actis mei Curti sub hodiernâ die ad hoc, cui eminentissimo domino cardinali nihil magis curae est, ut quantum per vires licet catholica religio ubique terrarum orbis, semotis haereticorum et infidelium falsis dogmatibus, propagetur, ac in ecclesiis monasteriorum eius regimini et gubernio ex benignitate Sedis Apostolicae commissis divinus cultus ac ministrorum ecclesiasticorum numerus augeatur, inibiquo divina officia maiori qua potest veneratione peragantur, ac exoptatum finem aliquâ in parte consequi sperans si per ipsum ecclesia praedicta, ac fabricae illi adiacentes, et viridarium, necnon terrae illi contiguae, ac annexae et connexae, circumcirca ecclesiam ac monasterium huiusmodi, ad hoc ut commodius seminarium missionum sub titulo S. Pauli fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo ad praesens existens in domo regulari, seu conventu, S. Mariae de Victoria nuncupatâ de Urbe eiusdem Ordinis, ad praedictum monasterium S. Pancratii apostolicâ auctoritate transferri, seu in eo denuo erigi valeat, quantum in se est, concederentur et assignarentur;

Quapropter ex causis supradictis dictus dominus Iulius Caesar Serronus, procuratorio nomine ut supra, reservato in primis et ante omnia beneplacito apostolico, et non aliàs, aliter, nec alio modo, etc., sponte, etc., omni meliori modo, etc., ecclesiam, ac fabricas et viridarium, nec-

1 Aptius lege *obtinet* (R. T.).

non terras praedictas, in eodem statu et esse in quo ad praesens reperiuntur, pro dicto seminario ad effectum illius translationis, sive novae erectionis, ut praefertur, absque alio praeiudicio ipsius eminentissimi domini cardinalis, eiusque in dicto monasterio successorum, praeposito ac definitoribus generalibus, aliisque superioribus praesentibus et pro tempore existentibus dicti Ordinis, ceterisque religiosis eiusdem Ordinis, licet absentes [1], reverendissimo patri Dominico a Sanctissimâ Trinitate praeposito generali dicti Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, necnon admodum reverendo patri Philippo a SS. Trinitate et reverendo patri Balthassare a S. Catherinâ Senensi, definitoribus generalibus praedicti Ordinis Congregationis Italiae, praesentibus et acceptantibus etiam pro administratoribus reverendis patribus Ioanne a S. Hieronymo et Paulo a SS. Sacramento etiam definitoribus generalibus Ordinis et Congregationis praedictae absentibus, pro quibus, et quatenus opus sit, de rato in formâ promittentibus; ita quod, etc., aliâs, etc., in perpetuum concessit et assignavit, cum clausulâ et effectu constituti in formâ, nullo iure, etc., nisi infrascriptis legibus, conditionibus et reservationibus inter ipsum eminentissimum dominum cardinalem et praedictos reverendum patrem praepositum generalem et administratores reverendos patres definitores nomine proprio ac totius Ordinis huiusmodi sub eodem beneplacito apostolico conventis et statutis, videlicet:

Conditiones appositae.

Quod titulus et denominatio abbatiae praedictae, ac fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta, res, bona, dona, proprietates, praedia, iurisdictiones, actiones, annexa et connexa, pertinentia, dependentia, adiacentia, praeter praemissa, census, canones, responsiones et alia quaecumque in quibusvis rebus consistentia bona ad monasterium praedictum quomodolibet et quocumque titulo spectantia et pertinentia, ad praedictum dominum cardinalem et eius in dicto monasterio successores libere ac pleno iure, perinde ac si concessio praedicta facta non fuisset, perpetuo reservata existant; itaut eadem concessio semper intelligatur facta et esse debeat de solis et nudis muris ipsius ecclesiae, illiusque domorum, ac de viridario et terris praedictis, ac omnia et singula alia superius expressa praeter haec praemissa a praedictis ecclesiâ et monasterio, etiam perpetuo, penitus et omnino seiuncta, disiuncta, divisa, separata et segregata esse debeant et intelligantur, itaut praepositus generalis et alii superiores ac fratres seminarii et Ordinis huiusmodi, ad quorum favorem haec concessio fit, nil aliud unquam perpetuis futuris temporibus quovis praetextu, etiam inopinato et ex quavis causâ, etiam ratione onerum praedictae ecclesiae incumbentium et illorum adimplementi, etiamsi aliquid ex praemissis pro adimplemento onerum specialiter donatum seu relictum fuisset, habere et praetendere non possint, praeterquam nudam ecclesiam, fabricas, viridarium et terras praedictas, necnon etiam eidem eminentissimo domino cardinali, ac eius in praedicto monasterio successoribus tres stantiae in dicto monasterio prope portariam ad eorum dumtaxat usum et habitationem pro illorum personis tantum reserventur et reservatae existant et intelligantur, et praedicti praepositus et definitores generales, et pro tempore existentes superiores et alii religiosi dicti Ordinis teneantur et obligati existant, prout supradicti reverendissimi pater praepositus et patres Philippus et Balthassar definitores et pro aliis definitoribus ut supra obligarunt et promiserunt, quamdiu

1 Forsan legendum *absentibus* (R. T.).

seminarium praedictum in aedibus praedictae ecclesiae permanserit, proprii seminarii seu congregationis aut Ordinis huiusmodi sumptibus, et absque eo quod a praedicto eminentissimo domino cardinali sive eius in dicto monasterio successoribus aliquid unquam pro tempore consequi seu praetendere valeant, in praedicto monasterio sacerdotes habere et tenere, qui missas in praedictâ ecclesiâ celebrent et divina officia peragant, ac omnia et singula onera, dictaeque ecclesiae quomodolibet incumbentia, tam ea quae ad praesens in lucem prodierunt, quam alia quaecumque, quae forsan tractu temporis detegerentur, ad amussim et unguem adimpleant, confecto per eos libro, in quo onera praedicta, quorum notitia ad praesens habetur, adnotentur, et etiam simili modo alia, quae forsan in futurum apparere contingat, quem librum tertio quoquo anno ad dictum eminentissimum dominum cardinalem et commendatarium pro tempore existentem teneantur deferre, ut videre possint, an onera sint adimpleta, necnon omnes reparationes necessarias, tam in dictâ ecclesiâ quam aedibus praedicti monasterii propriis sumptibus facere; itaut praedictus eminentissimus dominus cardinalis, et eius in dicto monasterio successores aliquid occasione reparationum praedictarum contribuere minime teneantur, nisi casu, quo tractu temporis ecclesia seu monasterium huiusmodi in totum vel in notabili parte rueret, tunc enim ecclesiae seu monasterii huiusmodi refectio ad praedictum eminentissimum dominum cardinalem, et eius in dicto monasterio successores spectet et pertineat; neque liceat praeposito generali, aliisque superioribus et religiosis dicti Ordinis, perpetuis futuris temporibus, ecclesiam seu fabricas et viridarium et terras praedictas cuicumque alii religioni seu personae cuiuscumque gradus, status et conditionis, etiam speciali notâ dignae, quocumque titulo, praetextu, causâ et occasione, neque in toto, neque in parte etiam minimâ, concedere, neque ad effectum concessionis huiusmodi licentiam et facultatem a Sede Apostolicâ petere et obtinere; liceat tamen quascumque commoditates eisdem patribus placitas et benevisas in ecclesiâ et monasterio praedictis pro eorum arbitrio peragere, debeantque religiosi dicti Ordinis, qui in dicto monasterio permanserint, ornamenta altarium et paramenta ecclesiastica ac supellectiles sacras in meliorem statum reducere, et ut bona mobilia et supellectilia ecclesiae et monasterii huiusmodi maiori, qua potest, curâ conserventur et manuteneantur, debeantque etiam conficere inventarium, in quo mobilia et supellectilia praedicta cum eorum qualitatibus et statu, in quo ad praesens reperiuntur, adnotentur, et de illis teneantur religiosi praedicti, prout dicti patres definitores praesentes, nominibus quibus supra, promiserunt et se obligarunt, bonum et fidele computum reddere praedicto eminentissimo domino cardinali et eius in dicto monasterio successoribus; ac si tractu temporis seminarium praedictum a praedicto monasterio amoveatur, seu amplius non subsistat, ac religiosi dicti Ordinis dictum locum relinquant, tunc et eo casu etiam teneantur et obligati existant ecclesiam, fabricas, viridarium et terras praedictas, cum omnibus et singulis reparationibus, melioramentis, commoditatibus et ornamentis per religiosos dicti Ordinis in eisdem ecclesiâ, fabricis, viridario et terris quomodolibet factis, praedicto eminentissimo domino cardinali, sive eius in dicto monasterio successoribus, libere restituere, absque eo quod aliquid propterea a praedicto eminentissimo domino cardinali, sive eius in dicto monasterio suc-

cessoribus habere, seu quocumque titulo praetendere possint et valeant; itaut praedictus eminentissimus dominus cardinalis, sive eius in dicto monasterio successores, praemissorum omnium et singulorum possessionem propriâ auctoritate et de facto absque iudicis sententiâ sive ministerio apprehendere et retinere possint et valeant, expresso ad id praepositi generalis et definitorum praedictorum proprio et totius Ordinis huiusmodi nomine accedente consensu; declarantes et constituentes se precario nomine commendatarii pro tempore existentis praedicti monasterii ecclesiam, fabricas, viridarium ac terras praedictas possidere, quam clausulam, ut vocant, constituti volunt et intendunt ut nunquam tractu temporis expiret, sed semper et perpetuo duret; liceat tamen eo casu religiosis praedictis bona mobilia et supellectilia, cuiuscumque generis sint vel speciei, ad usum ecclesiae, sive eius sacristiae aut monasterii huiusmodi quomodolibet spectantia et pertinentia, quae religiosi praedicti de eorum proprio comparaverint, seu quomodolibet eis donata, elargita aut concessa fuerint, nullo dicti eminentissimi domini cardinalis, eiusque in dicto monasterio successorum ad hoc requisito consensu, levare et secum asportare, relictis tamen mobilibus et supellectilibus ecclesiae et monasterii huiusmodi in eisdem statu et terminis in quibus ad praesens reperiuntur; ita ut si usu consumpta fuerint, alia in eorum loco submittere et subrogare teneantur et obligati existant.

Teneanturque denique religiosi praedicti, prout dicti definitores promiserunt, intuitu concessionis huiusmodi tradere et consignare dicto domino cardinali, statim obtento beneplacito apostolico super approbatione et confirmatione praemissorum et infrascriptorum, tabulam depictam cum effigie S. Pancratii, ut vulgo dicitur *un quadro di san Pancrazio*, et deinde futuris perpetuis temporibus in die festo eiusdem S. Pancratii eidem eminentissimo domino cardinali, eiusque in dicto monasterio successoribus, tradere unam intorticiam cerae albae librarum trium; ac etiam praepositus et definitores generales praedicti, eorum propriis et totius Ordinis et seminarii huiusmodi nomine[1] concessionem et assignationem praedictam modo et formâ praemissis factas, reservato, ut praefertur, dicto beneplacito apostolico, et non aliàs, acceptarunt et emologarunt, non solum praemisso, sed et omni meliori modo.

Quae omnia et singula supradicta supradicti praepositus et definitores, propriis et quibus supra nominibus, et dictus dominus Iulius Caesar procuratorio nomine dicti domini cardinalis promiserunt habere rata, grata, valida et firma, et contra non facere sub quovis praetextu, etc., aliàs, etc., de quibus, etc., quod iuramentum, etc., pro quibus dicti patres praepositus et definitores, propriis et quibus supra nominibus, sub eâdem beneplaciti reservatione, bona dicti eorum monasterii et Ordinis, seu congregationis, religiosos et successores quoscumque in eis, et dictus dominus Iulius Caesar procuratorio nomine, quo supra, dictum eminentissimum dominum cardinalem, bona, etc., in formâ camerae apostolicae eum solitis clausulis, etc., citra, etc., obligarunt, etc., renunciarunt, etc., consenserunt, etc., unica, etc., et tactis pectoribus, more, etc., et scripturis, respective iurarunt, etc.; super quibus omnibus et singulis praemissis petitum fuit a me curiae causarum camerae apostolicae notario publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum seu publica conficerem atque traderem instrumentum et instru-

[1] Legendum *nominibus* (R. T.).

menta, prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romae, in palatio solitae habitationis illustrissimi et reverendissimi domini Fagnani in Monte Piceno, praesentibus ibidem, audientibus et intelligentibus reverendissimis dominis Hieronymo filio quondam Ioannis Dominici Erminei Urbevetano, et domino Ioanne Carolo Pasquetto quondam Archangeli de Pedeluco Interamnensis dioecesis, testibus ad praedicta omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis. Ego Antimus Curtus curiae causarum camerae apostolicae notarius, de praemissis rogatus, praesens instrumentum subscripsi et publicavi requisitus.

Pontifex confirmat praedicta.

§ 4. Nobis propterea praedictus Dominicus praepositus generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, dictum Dominicum praepositum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac quarumvis litterarum apostolicarum, praesertim felicis recordationis Pauli V ac Urbani VIII et Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in simili formâ Brevis, super institutione dicti seminarii ac ordinationibus illud quovis modo concernentibus respective emanatarum, necnon decretorum praefatae congregationis cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum, ac capituli generalis Ordinis, seu congregationis Italiae huiusmodi, concordiarum, testamentorum, codicillorum, legatorum, et aliarum dispositionum quarumcumque tenores et datas etiam veriores, ac alia etiam speciali et individuâ mentione et expressione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictae ecclesiae S. Pancratii et fabricarum illi adiacentium et viridarii, necon terrarum illi vicinarum, ac annexarum et connexarum, circumcirca ecclesiam et monasterium huiusmodi, praedictis Dominico praeposito generali et congregationi Italiae fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo a praedicto Francisco cardinale sicut praemittitur factam, ac confectum desuper instrumentum praeinsertum, cum omnibus et singulis in eo quomodolibet contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et perpetuae firmitatis apostolicae robur et efficaciam adiungimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum et alios quoslibet etiam substantiales et formales defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quovis modo intervenerint, aut intervenisse dici, censeri praetendi vel intelligi unquam possent, supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus. Praeterea in praedictis fabricis ad usum monasterii factis, et quae ad eum effectum ante suppressionem praedicti Ordinis Ss. Barnabae et Ambrosii ad Nemus serviebant, novum conventum fratrum Discalceatorum nuncupatorum dictae congregationis Italiae Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, sub titulo seu invocatione S. Pancratii, cum ecclesiâ eiusdem S. Pancratii, ac viridario et terris supradictis itidem perpetuo erigimus et instituimus. Ac praedictum seminarium S. Pauli, in praedicto conventu S. Mariae de Victoria aliâs apostolicâ

auctoritate erectum et institutum, a conventu huiusmodi in conventum S. Pancratii sic noviter erectum pariter perpetuo transferimus et transportamus, seu ipsum seminarium, sub denominatione seu invocatione eiusdem S. Pauli, in dicto novo conventu S. Pancratii (itaut idem seminarium regimini et gubernio memorati Dominici moderni et pro tempore existentis praepositi ac definitorii generalis memoratae congregationis Italiae fratrum Discalceatorum in omnibus et per omnia immediate subsit, et in illo assidue commorari debeant duodecim saltem seminaristae, in sacro presbyteratus Ordine constituti, ac regulares dictae Congregationis ex illius provinciis assumendi, qui bonis moribus, pietate, zelo, prudentiâ, doctrinâ, aliisque virtutibus, necnon corporis sanitate praediti sint, et studium sacrae theologiae compleverint, ac intra octiduum, a die ingressus cuiuslibet eorum in dictum seminarium, votum seu iuramentum eundi ad missiones sibi iniungendas in manibus dicti praepositi generalis seu superioris novi conventus huiusmodi pro tempore existentis emittere debeant sub hac formâ, videlicet: Ego N. promitto me ad quamlibet missionem pro conversione infidelium seu haereticorum iturum, cum obedientia id mihi iniunxerit; nec ab hoc voto seu iuramento absolvi unquam possint) auctoritate et tenore praefatis itidem perpetuo de novo erigimus pariter et instituimus.

Forma iuramenti.

Volentes et decernentes quod praefatus modernus pro tempore existens praepositus generalis antedictae congregationis Italiae semper teneatur eosdem seminaristas ad eas missiones destinare seu amandare, quae ei a praefatâ cardinalium congregatione negotio propagandae fidei praepositâ ordinatae fuerint, iuxta modum seu capacitatem redditnum seminarii huiusmodi ad rationem annuorum quinquaginta scutorum pro quolibet missionario.

Ordinationes.

§ 5. Quod si dictus praepositus generalis in aliquo casu particulari existimaverit non expedire mitti aliquem ex dictis seminaristis, eo casu obligatus sit alium ab eâdem cardinalium congregatione approbandum mittere. Postquam vero quilibet seminarista ad seminarium huiusmodi advenerit, debeat superior ipsius seminarii pro tempore existens, eum ad dilectum filium secretarium praedictae congregationis cardinalium ducere, ac in illius manibus notam diei adventus ipsius seminaristae, necnon iuramenti seu voti praedicti per eum praestiti exhibere, ac insuper quotannis ineunte mense novembri notam omnium seminaristarum tunc viventium, tam in seminario tunc actu existentium, quam eorum, qui in missionibus fuerint, ac denique eorum, qui iuramentum seu votum huiusmodi praestiterint, et tunc temporis nec in seminario nec in missionibus fuerint, memorato secretario tradere, cum expressione aetatis uniuscuiusque illorum, necnon temporis, quo iuramentum seu votum praedictum emiserint, et quoad missionarios a quo tempore reperiantur in missionibus, a quibus nemo possit amoveri aut revocari absque participatione praefatae congregationis cardinalium. Praeterea statuimus et ordinamus ut novus conventus et seminarium huiusmodi subiaceant curiae unius rectoris et unius vicerectoris fratrum Discalceatorum dictae Congregationis Italiae ponendorum et amovendorum ad nutum praepositi generalis et definitorii praefatorum, cum participatione tamen et approbatione, quantum quidem ad rectorem attinet, dictae congregationis cardinalium in scriptis faciendâ; ipse vero novus conventus ita servire debeat usui seminarii supradicti, ut in eo nemo commorari possit, praeter seminaristas eorumque

magistros et lectores controversiarum ac linguarum orientalium, aliosque religiosos ministerio ecclesiae et servitio domestico ipsius seminarii necessarios, quorum electio et amotio in futurum spectet ad memoratum praepositum generalem, cum participatione tamen praefatae congregationis cardinalium, quantum ad seminaristas, eorumque lectores attinet. Ad haec, administrationem omnium et singulorum bonorum, redituum et proventuum supradicto seminario, eiusque missionibus hactenus, tam a praefato Francisco Cimino barone, quam ab aliis quibuslibet relictorum, datorum seu donatorum, et in posterum quovis modo dandorum, relinquendorum et donandorum, curae et diligentiae praepositi generalis et definitorii praefatorum ad quinquennium committimus et supponimus, quae administratio, finito quinquennio huiusmodi, eis prorogari seu renovari possit, si praefatae cardinalium congregationi ita videbitur, eâ lege ut iidem praepositus generalis et definitorium constituant syndicum ad exigendos expendendosque redditus praefatos, qui syndicus semel vel bis annis singulis fidelem eorumdem redituum rationem tam praefato definitorio generali quam memoratae cardinalium congregationi reddere, ac pro alimentis et sustentatione, vestitu, famulatu, aliisque rebus necessariis dictorum seminaristarum, eorumque lectorum, memorato novo conventui, eiusque superiori, ex redditibus ipsi seminario tam hactenus relictis quam in posterum relinquendis, scuta quinquaginta monetae annuatim pro quolibet seminarista et lectore, ad rationem annuorum quinquaginta scutorum monetae huiusmodi, pro ratâ temporis, quo quilibet seminarista, seu lector in eodem seminario resederit, ibique aliis cohabitaverit et convixerit, respective solvere teneantur.

Sequuntur ordinationes.

§ 6. Quod si lector pro studio linguarum fuerit secularis vel religiosus alterius Ordinis, competens ei salarium seu stipendium ex redditibus dicti seminarii memoratae congregationis cardinalium arbitrio assignetur. Demum eidem seminario sic a nobis translato, seu de novo erecto, omnia et singula bona, redditus, proventus, iura, actiones et alia quaecumque cuiusvis generis, speciei et qualitatis sint, ac ubicumque locorum consistant, tam illa, quae a praefato Francisco Cimino, aliisve personis quibuslibet, seminario antedicto, eiusque missionibus quovis modo hactenus relicta, donata, data et elargita fuerant, quam in posterum quandocumque et quomodocumque relinquenda, donanda, danda et elargienda (itaut liceat praefatis praeposito generali et definitorio eiusdem seminarii nomine illorum omnium et singulorum, veram, realem et corporalem possessionem, seu quasi, apprehendere et adipisci, ac apprehensam et adeptam retinere), auctoritate et tenore praefatis, itidem perpetuo applicamus, assignamus et appropriamus. Ac eisdem novo conventui et seminario, necnon seminaristis et fratribus dictae Congregationis Italiae in illis pro tempore commorantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, gratiis, indultis, antelationibus, praeeminentiis, facultatibus et favoribus, quibus alii conventus congregationis et Ordinis praefatorum, ac personae in eis degentes, de iure, usu, consuetudine et aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus.

Clausulas apponit.

§ 7. Decernentes easdem praesentes

litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, aut aliàs speciali et individuâ mentione digni existant, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, vel ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ, piâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu interesse habentium consensus aliove quolibet quantumvis magno ac formali et substantiali necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium confirmationum, erectionum, translationum, applicationum, assignationum, appropriationum, concessionum, indultorum et gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque Apostolicam, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuslibet clausulis et decretis, quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore datâ per praefatos praepositum generalem, et definitorium ac superiorem, seminaristas et fratres novi conventus et seminarii huiusmodi pro tempore existentes eligendâ concessas intelligi, semperque firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, necnon praefatis nostris, ac memoratorum Pauli, Urbani et Innocentii praedecessorum etiam in simili formâ Brevis litteris et concordiis, legatis, testamentis, codicillis et dispositionibus ex quacumque causâ, occasione et tempore hactenus factis, conditis, emanatis, publicatis, exequutis et observatis respective, et aliis etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, et, quatenus opus sit, illâ de unionibus et applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpe- *Derogatio contrariorum.*

tuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibenti[1], necnon recolendae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praefatorum monasterii et ecclesiae S. Pancratii, conventus S. Mariae de Victoria, et seminarii, necnon provinciae Romanae, congregationis Italiae et Ordinum[2] huiusmodi, aliisve quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, aliisque omnibus et singulis, quae in supradictis litteris nostris voluimus non obstare; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas et occasiones, praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis, expressis et servatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse, ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 martii 1662, pontif. anno VII.

1 Edit. Main. legit *prohibendo* (R. T.).

2 Legerem *Ordinis* (R. T.).

CCCLXXXIII.

Super unione Congregationum monachorum Vallis Umbrosae et Silvestrinorum nuncupatorum, sub regulâ S. Benedicti militantium, in unam Congregationem, quae Vallis Umbrosae et Silvestrina Ordinis sancti Benedicti nuncupabitur[1].

Alexander Papa VII.
ad perpetuam rei memoriam.

Omnipotentis Dei, cuius ineffabili bonitate et providentiâ stant et reguntur universa, vices (licet immeriti) gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiae nostrae curas propensissimâ charitate convertimus, quae felici prosperoque statui et regimini congregationum virorum sub suavi Christi iugo laudabilibus vitae monasticae institutis incumbentium, uberesque bonorum operum fructus, aspirante divinâ gratiâ, proferre iugiter satagentium conducibilia fore, prudenti deliberatione praeviâ, arbitramur. Prooemium.

§ 1. Cum itaque congregationes monachorum Vallis Umbrosae et Silvestrinorum nuncupatorum sub eâdem, nempe S. Benedicti, regulâ militent, si vero illae sub unius superioris generalis gubernio unirentur, et in unum corpus coniungerentur, inde non modicum divini servitii utilitatisque utriusque congregationis hu- Motiva huius Constitutionis.

1 Monacorum Silvestrinorum congregationem fundavit S. Silvester Guzzolinus, abbas Auximanus, ut in Pauli V const. CCXCVI (*al.* CCLXXVI) *Sanctorum* tom. XII, pag. 400; monachorum Vallis Umbrosae institutor fuit S. Ioannes Gualbertus, ut in Caelestini III const. XV, *Religiosam*, tom. III, pag. 95.

iusmodi proveniret incrementum, et inter ipsarum congregationum professores charitatis, aliarumque religiosarum virtutum studia magis magisque in dies florerent et vigerent: hinc est quod nos, ex pastorali officii nostri debito earumdem congregationum felici statui et commodis salubriter, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes,

Unit ambas religiones.

§ 2. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem congregationes monachorum Vallis Umbrosae et Silvestrinorum nuncupatorum, ac omnia et singula utriusque illarum monasteria, grangias, conventus, membra et alia loca regularia quaecumque ad illas quovis modo spectantia, et ab ipsis congregationibus, earumque monasteriis et locis regularibus quomodocumque et qualitercumque dependentia, in unam congregationem, quae Congregatio Vallis Umbrosae et Silvestrina Ordinis sancti Benedicti nuncupari, et coniunctis ambarum congregationum praedictarum insignibus uti debeat, tenore praesentium perpetuo coniungimus et unimus: volentes, ut universa Congregatio sic ex duabus in unam coalescens, in tres professiones in omnibus inter se, ac penitus et omnino coaequatas, quarum una S. Benedicti, et altera S. Ioannis Gualberti, ac tertia Silvestrina respective vocentur, divisa sit:

Nonnullae ordinationes.

§ 3. Electio autem abbatis generalis alternatim et per turnum inter easdem professiones fiat, et abbas generalis pro tempore electus universae Congregationis huiusmodi caput existat. Quandocumque vero abbas generalis ex unâ professione fuerit, visitatores ex aliis duabus professionibus assumantur. Porro electio abbatis generalis post modernum ex toto gremio capituli generalis de personâ habili fiat, nullo habito adullam professionem respectu, et finito generalatu electi, eâdem formâ eligatur ad subsecuturum quadriennium unus ex professione Silvestrinâ, nisi tamen ex illâ assumptus fuerit abbas generalis pro quadriennio antecedenti, itaut a primo electo turnus seu alternativa incipiat.

§ 4. Statuentes ut quando abbas generalis fuerit ex aliquâ dictarum professionum S. Benedicti et S. Ioannis Gualberti, vicarius generalis congregationis huiusmodi semper sit ex professione Silvestrinâ, et vice versâ, si ex professione Silvestrinâ fuerit abbas generalis, ex aliquâ praedictarum S. Benedicti et S. Ioannis Gualberti professionum assumatur vicarius generalis. Quod si prius electus in abbatem generalem[1] unus ex illâ aliarum duarum professionum, quae abbatem generalem in prius immediate non habuerit. Vicarius autem generalis secundum in universâ Congregatione huiusmodi locum habeat, omnique facultate, quae vicario generali competere solet (praeterquam eligendi, vel removendi superiores et officiales, ac mutandi, seu transferendi monachos ab uno loco in alium absque occasione gravis scandali et casus urgentis) potiatur, et in casu vacationis generalatus succedat vicarius generalis in omnibus et per omnia, cum auctoritate abbatis generalis usque ad novam electionem quae tertiâ dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicae vacationem huiusmodi immediate subsequente fieri debeat.

§ 5. Praeterea statuimus, ut universae Congregationis praedictae in Romanâ curiâ procurator generalis, pariformiter sicut abbas generalis, alternatim eligatur, cum restrictivis et clausulis supra expressis quoad electionem abbatis generalis; ita tamen ut, si primâ vice abbas generalis ex professione Silvestrinâ non eli-

1 Nullus sensus est, nisi addas ex edit. Cherub. *sit ex professione S. Sylvestri, post hunc eligatur in abbatem generalem*, etc. (R. T.).

gatur, debeat ex illâ eligi procurator generalis.

§ 6. In quolibet autem capitulo generali eligantur novem definitores, tres videlicet ex singulis illis professionibus, ex quibus abbas generalis non fuerit assumptus, duo vero ex illâ, quae eâ vice habuerit abbatem generalem, qui semper sit et intelligatur esse caput definitorii, et novennarium definitorum numerum compleat. Porro extra capitulum in causâ vacationum electio novorum abbatum vocalium et officialium fiat ab abbate generali et duobus visitatoribus; prius tamen definitores illius professionis, in qua vacatio contigerit, tres monachos habiles per vota secreta eligant proponendos abbati generali et visitatoribus, qui aliquem ex tribus nominatis in abbatem vocalem et officialem eligere teneantur. Eveniente vero legitimâ vacatione unius vel plurium ex praedictis tribus definitoribus, unus vel plures abbates eiusdem professionis illi ex dictis tribus definitoribus qui professione antiquior fuerit, viciniores advocentur. Et hic idem stylus etiam servetur in casu vacationis visitatorum extra capitulum.

§ 7. Quaelibet autem electio, tam in capitulo quam extra capitulum celebranda, per duas ex tribus partibus suffragiorum fiat, alioquin sit nulla. Ad haec volumus, ut quicumque monachi trium professionum antedictarum, qui sunt, et usque ad publicationem novarum constitutionum erunt capaces cuiusvis gradus, in suâ habilitate remaneant.

§ 8. Constitutiones vero ambarum congregationum per praesentes in unam coniunctarum a tribus ex Vallis Umbrosae, qui sint abbas generalis et duo visitatores, necnon ab aliis tribus monachis ex Silvestrinorum congregationibus huiusmodi, qui sint vicarius generalis, ac procurator generalis et primus visitator, revideantur. Ipsaeque constitutiones, sic revisae et reductae, a capitulo generali approbentur, et nobis subinde confirmationis apostolicae desuper obtinendae gratiâ praesententur.

§ 9. Debita autem hucusque contracta a praedictis duabus congregationibus solvantur distincte[1], sicut modo fit, nec sint communia; ad debita vero contrahenda, et expensas faciendas post praesentem unionem, quae concernent corpus religionis, concurrant omnes professiones pro ratâ. Sequuntur ordinationes.

§ 10. Praeterea volumus pariter et ordinamus ut dilectus filius modernus abbas generalis congregationis Vallis Umbrosae generalatum universae congregationis Vallis Umbrosae et Silvestrinae huiusmodi gerat, dilectus vero pariter filius modernus abbas generalis congregationis Silvestrinorum remaneat vicarius generalis congregationum Vallis Umbrosae et Silvestrinae, ut praefertur, coniunctarum, et in suâ professione Sylvestrina eamdem auctoritatem eamdemque denominationem, quam nunc habet, retineat usque ad capitulum generale, et casu quo deficiat abbas generalis, generalatum totius congregationis suscipiat gerendum usque ad novam electionem ut supra faciendam.

§ 11. Dilecti quoque filii moderni procuratores generales tam Vallis Umbrosae quam Silvestrinae congregationis supradictarum remaneant procuratores respective suarum professionum eo modo quo nunc sunt usque ad capitulum generale; quod si interea aliquis eorum cessaverit ab officio, alter remaneat procurator generalis ambarum congregationum insimul unitarum; pari modo dilecti filii moderni visitatores Silvestrini in suis muneribus remaneant usque ad finem eorum triennii, quo tempore durante tantum abbas ge-

1 Edit. Main. legit *districte* (R. T.).

neralis unà cum illis professionem Silvestrinam visitare possit; finito vero triennio huiusmodi, eo anno qui superest usque ad capitulum generale, tam visitatores Silvestrini quam duo Vallis Umbrosae unà cum abbate generali universam religionem visitent, idque intelligatur pro dicto quarto anno; postmodum vero observetur in novo capitulo generali illud quod supra decretum est circa visitatores; quod si durante dicto triennio alicuius ex monasteriis professionis Silvestrinae vacatio occurrat, possit illius vicarius generalis nominare monachum habilem abbati generali a quo nominatus instituatur, et haec forma observetur usque ad capitulum generale. Praefatae autem electiones et electi, necnon omnes moderni superiores Silvestrini in suis superioritatis officiis durent usque ad dictum capitulum generale, in quo pro novis electionibus faciendis ad probitatem ac virtutes et merita promovendorum attendatur.

§ 12. Postremo eidem Congregationi per praesentem unionem ex duabus in unam coalescenti, eiusque monasteriis et aliis locis regularibus, ac superioribus, monachis et personis quibuscumque, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indulgentiis, indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, honoribus et favoribus, tam a nobis quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et Sede Apostolicà cuilibet ex memoratis duabus congregationibus quovis modo et qualitercumque concessis uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, motu, scientià, deliberatione et potestatis plenitudine paribus concedimus et indulgemus.

Clausulae appositae. § 13. Decernentes easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quovis modo praetendentes, cuiusvis status, gradus, praeeminentiae, superioritatis, ordinis, conditionis et dignitatis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut alià quavis ecclesiasticà vel mundanà dignitate praediti, seu aliàs speciali et individuà mentione et expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et sufficienter aut nullo modo iustificatae non fuerint, vel ex alià quacumque, quantumvis iustà, iuridicà, pià et privilegiatà causà, occasione, colore, ingenio, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae seu ius vel interesse habentium seu habere praetendentium consensus aliove quovis quantumlibet magno, formali, substantiali ac incognito et inexcogitabili, necessarioque et specificam expressionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas et illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientià et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, neque ipsas praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium unionum, coniunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum et indultorum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisve contrariis dispositionibus, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, Sedemque praedictam, sub

quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et aliàs quomodocumque et quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore datâ per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, quandocumque eligendâ concessas intelligi, semperque et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per easdem praesentes motu pari committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, seu illorum, quos praesentes litterae concernunt, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos ipsarum praesentium litterarum et in eis contentorum huiusmodi commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari vel quovis modo impediri, praemissaque omnia et singula curent et faciant ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, realiter et cum effectu ac exacte et inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tollit.

§ 15. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, necnon Lateranensis concilii uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac praedictarum congregationum Vallis Umbrosae et Sylvestrinorum, illarumque monasteriorum et locorum re-

gularium quorumvis, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem congregationibus, seu earum alteri, illarumque seu alterius earum superioribus, monachis, personis, monasteriis et locis regularibus quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, causas, formas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, servatis et specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse ac plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 16. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. 29 martii 1662, pontif. anno VII.

CCCLXXXIV.

Decretum circa visitatores officio functos Congregationis Lateranensis canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini[1].

Alexander Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Ex iis qui visitatoris officio functi unus tantum in qualibet provinciâ praelatus remaneat.

§ 1. Cum in constitutionibus congregationis Lateranensis canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini dispositum sit, ut, qui visitatoris officio functi sunt, remaneant in perpetuum prelati titulares cum voce activâ et passivâ in capitulis generalibus ac dictis; id vero in grave regularis observantiae praeiudicium, ac monasteriorum provinciarumque dispendium cedere compertum sit: nos, opportune hac in re providere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus, ut ex iis, qui visitatoris officium in posterum expleverint, unus tantum pro qualibet provinciâ, et qui in eodem sit antiquior, tamquam praelatus et definitor habeatur ad supradictarum constitutionum praescriptum, eoque aut per obitum, aut aliâ ex causâ deficiente, proximior pro officii antianitate assumatur (modo aliquod non obstet canonicum impedimentum), exceptis tamen generalibus, qui, absque tali discrimine, perpetui definitores habeantur.

Clausulae.

§ 2. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obti-

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

nere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 29 martii 1662, pontif anno VII.

CCCLXXXV.

Deputatio vicarii apostolici ecclesiae Bisuntinae cum revocatione cuiuslibet alterius a capitulo Bisuntino electi [1].

Dilecto filio Ioanni Dorivallo, archidiacono Luxoviensi ac canonico ecclesiae Bisuntinae,

Alexander Papa VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Onerosa sacrosancti apostolatus cura humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, divinitus imposita postulat, ut earum praecipue ecclesiarum, quae pastoribus viduatae sunt, periculis salubriter occurrere et utilitatibus consulere quantum nobis ex alto conceditur studeamus.

Motiva.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) metropolitana ecclesia Bisuntina, per obitum bonae memoriae Ioannis Iacobi ultimi illius archiepiscopi nuper defuncti, solatio pastoris destituta sit, ipsiusque ecclesiae capitulum et canonici, ex causâ et occasione electionis Guglielmi Humberti Praecipiani seu de Praecipiano in decanum eiusdem ecclesiae contra mandata nostra temerario ausu attentatae et nulliter factae, inter se dissideant, et pars quidem eorum nobis et Apostolicae Sedi (ut par est) obedientes sint, altera vero pars, videlicet dictus Guglielmus Humbertus, aliique singuli canonici, qui in ipsius Guglielmi Humberti electionem huiusmodi per se ipsos vel procuratores consenserunt, ac vota dederunt, ab exequutione sacrorum ordinum et ab exercitio quorumcumque officiorum per nostras in simili formâ Brevis litteras die V decembris proxime praeteriti expeditas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, suspensi, ac ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum voce activâ et passivâ privati aliisque poenis innodati reperiantur: hinc est quod nos, pro commissâ nobis a Domino omnium ecclesiarum sollicitudine providere volentes ne dicta ecclesia Bisuntina propter praemissa aliquod in spiritualibus et temporalibus detrimentum patiatur, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate, vigilantiâ et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi; teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomo-

Ioannem praedictum in vicarium eligit ceteris exclusis.

[1] Ex Regest. in Secret. Brev.

dolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeviâ electionis seu deputationis huiusvis alterius vicarii et vicariorum a praedicto capitulo hactenus forsan electi et deputati, aut electorum et deputatorum revocatione et cassatione, prout illam, quatenus et prout facta fuerit, cassamus, annullamus et revocamus, te in civitate et dioecesi Bisuntinâ vicarium et officialem, ac nostrum et Sedis Apostolicae praedictae commissarium in spiritualibus et temporalibus, tenore praesentium, quamdiu ecclesiae praedictae vacatio duraverit et a nobis de alio archiepiscopo et pastore illi provisum fuerit, ac interim ad nostrum et eiusdem Sedis Apostolicae beneplacitum, facimus, constituimus, eligimus et deputamus cum eisdem facultate, auctoritate et potestate, quoad exercendum ea quae iurisdictionis et voluntariae existunt (exceptâ tamen facultate beneficia ecclesiastica conferendi, ac litteras commendatitias et dimissorias ad sacros ordines concedendi) quam archiepiscopus Bisuntinus pro tempore existens habere et exercere solet in universâ dioecesi in foro conscientiae et contentioso, et aliâs quomodocumque et qualitercumque, necnon ecclesias et loca pia omnia, etiam monialium monasteria, etiam exempta, quoad clausuram ad sacri Concilii Tridentini praescriptum visitandi et reformandi, ac in visitatione huiusmodi quam celerrime et debitâ cum diligentiâ procedendi, iudices, consultores, vicarios foraneos, notarios, actuarios, magistros actorum, procuratores, fiscales, exequutores, omnesque alios et singulos officiales, tam maiores quam minores, curiae archiepiscopalis, quibuscumque nominibus censeantur, in civitate et dioecesi praedictis, quoties opportunum fore iudicaveris, et aliâs iuxta solitum removendi, ac alios in eorum loca eligendi, deputandi et subrogandi, mulctasque et poenas pecuniarias apud aliquem probum et idoneum virùm per te de clero eligendum deponendi piis usibus arbitrio tuo applicandas, quascumque litteras apostolicas archiepiscopo praedicto, sive eius vicario, vel officiali directas et dirigendas, aeque ac si sibi[1] specialiter dirigerentur, aperiendi et exequendi, litteras monitoriales in formâ *significavit* pro rebus deperditis, seu furto sublatis, iuxta praescriptum dicti Concilii Tridentini ae Bullae felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri concedendi, in beneficiis de iurepatronatus, eiusque erectione et constitutione, necnon locationibus, emphyteutis, alienationibus et permutationibus bonorum ecclesiarum iuxta formam sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum, auctoritatem et consilium praestandi, causas criminales civilesque et beneficiales, ac matrimoniales, et alias quascumque principales et incidentes, etiam per appellationem devolutas, et quae ad archiepiscopum Bisuntinum quovis modo pertinent, de iure vel consuetudine in civitate et dioecesi praedictis cognoscendi, audiendi, committendi, fineque debito terminandi, contra delinquentes per inquisitionem etiam ex officio prout iuris fuerit procedendi, eosque corrigendi, mulctandi, puniendi, deponendi et excommunicandi, suspendendi et interdicendi, poenarumque et sententiarum earumdem moderationem et mitigationem tibi reservandi, necnon censuras et poenas ipsas in casibus a iure permissis aggravandi et reaggravandi, ac ab illis aliisque casibus archiepiscopo praedicto reservatis, prout tibi videbitur convenire, in utroque

Nonnullas facultates.

1 Videtur legendum *tibi* pro *sibi* (R. T.)

foro absolvendi et absolvi faciendi, ceteraque omnia faciendi et exequendi, quae dicto archiepiscopo ratione iurisdictionis de iure et consuetudine competunt in praemissis et circa ea, etiamsi talia forent, quae magis specialem et expressam exigerent commissionem.

Ex ecclesiae redditibus ducenta scuta vicario persolvantur.

§ 2. Volumus autem ut, pro tuâ et familiae tuae sustentatione, ex redditus ecclesiae praedictae provisio annua ducentorum scutorum monetae romanae, pro tempore quo officium praedictum, ut praemissum est, exercueris, tibi persolvatur, et eius rata de quadrimestri in quadrimestre anticipatâ solutione ultra emolumenta ordinaria et extraordinaria licita, solita et consueta (ita ut si ii, ad quos spectat, in solutionibus vel earum aliquâ defecerint, suo tempore, lapsis decem diebus, ex fructibus mensae archiepiscopalis pro deficiente portione, quae tibi videbitur, propriâ auctoritate capere et exigere libere et licite possis et valeas), simulque habitationem congruam in palatio archiepiscopali pro tempore officii habere debeas, dantes tibi quoque facultatem contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentes, poenis pecuniariis piis usibus arbitrio tuo applicandis, ac etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon praedictae ecclesiae Bisuntinae, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae illiusque capitulo et canonicis aliisve personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita[1] pro servatâ habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem et declaramus quod salva sit et reservata quaecumque facultas et iurisdictio competens venerabili fratri episcopo Andrevillensi praedictae ecclesiae Bisuntinae suffraganeo vigore litterarum apostolicarum eius deputationis, si quae[2] in praemissis vel aliquo praemissorum competeret, cui per nostras praesentes litteras derogare seu praeiudicare non intendimus. Reservatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCLXII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 aprilis 1662, pontif. anno VII.

1 Oporteret legere *formam in illis traditam* (R. T.).

2 Legendum *si qua* (R. T.).

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

B

C

D

E

F

G

L

M

P

R

S

T

U

INDEX INITIALIS.

A

C

D

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

ALEXANDRI PAPAE VIII

AB ANNO PRIMO SACRI EIUS PRINCIPATUS

AD TOTUM SEPTIMUM.

FINIS TOMI DECIMISEXTI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

Pag. 703 *b*	linea 15	regiminis	*Lege*	regimini
» 707 *b*	» 2	*ab eddem*	»	*ad eadem* *
» 708 *a*	» 13	ab eádem	»	ad eadem **

* Nota delenda.
** Nota delenda.

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Desso Taurinensis.